


85-2-15

20


1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20



20

1943

17-a-98



8 2 1 1

Del C^o de la Comp^o de Sta. E. Sandoval

CURSUS
PHILOSOPHICUS
AD MENTEM
B.ÆGIDIJ
ROMANI

Doctōris Fundatissimi Augustiniensium, Archiepiscopi
Bituricensis, Aquitaniae Primatis, & S.R.E. Cardina
lis, illustratam Authoritatibus S.P.N. Augustini,
& Praeceptoris Angelici.

AVTORE

R. A. P. M. Fr. PETRO MANSO

*Augustiniano Provinciae Castellae in Salmanticensi Aca
demia Sacrae Theologiae Doctore, & nunc Cathedrae Duran
di moderatore: Conventus Salmanticensis S.P.N. Augustini
olim Priore, semel, iterumque Diffinitore Provinciae,
& pro Provincia in Comitibus Generalibus
Romae celebratis.*

REV. PATRI MAGISTRO

FR. FRANCISCO DE AVILES

Ord. S.P.N. Aug. in Provincia Castellae.

PER R.P. Fr. VINCENTIUM DE SANDOVAL

in Sacra Theologia Magistrum, Majestatis Catholicae
Concionatorem, & nunc in Regali Conventu
S.P.N. Aug. Cordubensi Praefulem, dica
tus, in lucemque editus.

TOMVS QVINTVS.

Complectens tres libros de Anim. de Generat. & Corrupt.

Cordubae: Ex Typ. Augustiniana Ann. 1724.

R^{mo}. PATRI
FRANCISCO
DE AULES

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRO
CASTELLANÆ PROUINCIAE
S. P. N. AUGUSTINI

Olim in Comitibus Provincialibus Præsidi, ejusdē Provin-
ciæ, semel, & iterum Priori Provinciali, pro omnibus
Hispaniarum Provincijs Augustinianæ Religionis bis
R^{mo}. P. N. Generali Assistenti, ac demum in per-
illustri Collegio Doñæ. Mariæ de Aragon,
in præsentiarum Rectori emerito.

M. FR. VINCENTIVS DE SANDOVAL AVGVSTINIANVS.

DIU EXOPTAVI R. R. P. HUNC
Librum, in quo totius Fundamen-
talis Philosophiæ Cursus subtili ca-
lamo absolvitur per R. A. P. M.
Fr. Petrum Manso Castellanae tuæ
Provinciae clarissimum Alumnum,

& Salmantinae Academię Solonum celeberrimum, è
præli eripere injuria, ut Rempublicam litterariam
tanti operis fructu non privarem, sed ad communem
studiosorū utilitatem proferrem; & quidē, quod ma-
gis animo insistebat, id mea sollicitudine consequutus

videor, vt totus Cursus veluti exanime corpus hucui-
que existens, & tractatus de Generatione, & Anima
ad sui complementum exposcens, hoc perpolitio ope-
re, quasi de novo sic factus in animam viventem. Vt
autem anima eius demoretur in bonis, & operis digni-
tas magis omnibus commendetur, sub tui nominis fe-
lici auspicio faciendum putavi, vt pote quod ab Auc-
tore habuit inceptum, per te sit omnibus feliciter accep-
tum, quod olim ab amico expetebat Ovidius lib. 4.
trist. eleg. 16.

Ille dedit vitam: tu quam dedit ipse tueris,

Et facies accepto munere posse frui.

Non quia magnum erga te mei obsequentis animi in-
dicium, hocce munere de se magno præbere putaverim,
maximè cum à labore proprio non procedat, (in hoc autè
magis pensari debet affectus, quam census) sed quia ad
mare, vnde exeunt flumina propriè revertuntur fluxu,
vt iterum fluant, tuam, inquam, vt notum est, illustris-
simam Provinciam, tot scriptorum fluminibus redun-
dantem, quot Augustinianum Paradisum irrigant,
fas erat ambire Patronum omnes præter, te vnum, qui
inter tuos, ceu Sol inter sidera folges, cuius fama to-
rum peruenit ad Orbem. Hunc etiam ad scopum nos-
tri conspirat scriptoris documentum, de quo dictum à
Gersono usurpavi, quod *Scriptor noster lucem sequitur,*
& eam posteris administrat. Opus enim tanta claritate
elaboratum, vt pote triplicis Sole, Augustino, Tho-
ma, & Ægidio mirificè illustratum, te vnum præ om-
nibus insequitur, in quo lux doctrine numquam sub

modio

modio, semper quidem in candelabro posita omnibus
lucere visa est, qui in domo sapientiæ sunt, equidem
in eodem studio, eademque, vt ita dicam, palestra ver-
satus es, vt testatur celeberrimum Collegium Domi-
næ Mariæ de Aragon in floridissimo studiorum curri-
culo tuæ eruditionis regimine moderatum. Nihil ergo
alienum, aut ingratum videri tibi existimo quidquid
huius generis à quoquam ad te proficiscitur: Quid
enim homini docto, & in Minervali Palestra, veluti
educato, magis peculiare, ac proprium, quàm id ip-
sum, quod ex litteris natum, ad eum atque acceptum sit?
Nam, vt musitabat Poeta:

Rusticus agricolam, miles fera bella ferentem

Rectorem dubie navita pupis amat.

Tu quoque pieridum studio studiose tueris,

Ingenioque faves ingeniose suo.

Nec alia digna præteriti silentio, nec percurrere elo-
quio adjiciam, non parva tuæ amplitudinis monu-
menta testis extat tua Religiosissima Provincia, quæ te
Præsulem ornatisimum peramanter suspexit vsque
ad Religionis fastigium, non fortunæ ludo, non repen-
tionis successibus (vt de Cassiodoro profert Theodo-
ricus) sed eximijs, & præclaribus meritis, non semel,
sed iterum habuit erectum, quia omnium iudicio ne-
mo te christiana probitate, & Religione expectatio, ne-
mo doctrinà laudabilior, nemo prudentià, pietate, &
beneficentià ornatio, nemo denique regiminis imperio,
& providentià mirabilior. Plaudet Romana Curia te in
Assistentis munere Generalis non semel expertum, vbi

*3

gra-

gravissimum regiminis munus, quod alios obrueret, non fatigavit Atlantem, & difficilima rerum negotia, quibus Augustinianæ reipublicæ perpetuò destinentur, atque agitantur, te facilem omnibus licuere, quod quidem mirabile, neque cuiusvis hominis est, quinimo Divinis comparandum; sic enim Pacatus in Panegyrico Theodosij; *Gaudet, inquit, Divina perpetuo motu, & jugi agitatione, & ita tu Imperator continuis negotijs, & in te quodam orbe redeuntibus semper exercitus es.* His ergo, & alijs fretus pignoribus, hoc amplitudini tuæ rependo munus, obsequium, & pignus, ut tanto numine, & Omine commendatus, tuæ ipsius famæ pennis facias volitare per Orbem; hoc unum exposcens, ut calcaria prestes, & vrgeas Oedipum nostrum ad similes post hoc labores suscipiendos, quo dulci pabulo studiosiorum mentes saginatæ, ut Manà desiderium attulit eis, ut non sint fraudati à desiderio suo. Nestoreis interim, deprecor, asserveris annis, valeas interim.

**IVDICIVM R. R. P. P. M. M. FR. VINCENTII DE Sandoval in Sacra Theologia Doctoris, olim in Magno S. P. N. Aug. Pascenti Conventu studiorum Regentis, eiusdemque Diœcesis in Episcopali Synodo Examinatoris, à Concionibus Regiæ, Catholicæque Maiestatis, & in præsentibus duplicata Vice Prioris huius Regalis Cordubensis Canobij. Et Fr. Caroli de Ayllon etiam in Sacra Theologia Doctoris, in Conventu Giennensi semel, & iterum Præsulis, & Iudicis assignati in Academijs Theologicis illius Diœcesis, & in eiusdem Synodo Examinatoris, à Secretis huius Provinciae, & R. P. Provincialis Comitibus, pro eodem Visitatoris, ac de-
mum Provinciae Dif-
finitoris.**

NVnquam, ac nunc jucundior obedientia nostra, quando obsequentes mandato R. A. P. N. M. Fr. Francisci de Albinar Dignissimi Provincialis huius nostræ Provinciae Bethicæ, tam impatienter diu exoptatum jam vidimus, legimus, & iterum perlegimus librum, qui totum philosophicum completeret opus R. R. P. M. Fr. Petri Manfo, qui post alias meritissimè obtentas, ac præsentem, in Salmantina Academia Durandi Cathedram moderatur.

Liber iste sic harmonicæ unitati doctrinæ deficiebat, ut quamvis quintus numero, cum quatuor prioribus, unus consonantiâ fiat: eâ propter desideratus, maximaque commendatione dignus: dum de hac unitate mirabiliter perfecta per istum, speramus abs dubio gloriosam de ignorantia victoriâ, cum fixa doctis mentibus robustiorem quâlibet difficultatè prosternat. Sic David strenuus, quâvis electus sibi quin- Reg. 1: que limpidissimos lapides misisset in peram; tamen properans ad paginam, c. 17. n. festinavit, tulit unum, & circumducens, funda prostravit frontem Gigantem: Vnde felix iste quintus, ut mereretur de hoste reportare victoriâ? Iam respondet Mg. Parens. Inde felix, quia unus: hæc sunt verba: *Quinque lapides posuit, unum misit, libri quinque lecti sunt, sed eorum unitas vicit.* Hi quinque, hic unus liber, non in quinque membra dirumpitur, sed ejus sententiæ sic inter se coherent, sic aspiciant invicem, ut consensu mirabili prorsus videantur unus: Unus est consonantiâ sententiarum, qua eorum multiformis eruditio ornatur, unus stylo, & claritate, efficacitate arguendi, atque dicendi elegantia unus: apperiat quis, quæ hoc includuntur in opere; quærat quid, inveniet multa: apparebit certè plura quamvis

vis effusa per folia; una in differendo subtilitas, una, & mira in enodando difficilissima quaeque dexteritas, felicitas, vel maxima in inveniando, nimia in oblicuris appetendis facilitas, in oppositis conciliandis satis gratiae, & naturae. De hac locupletissima suppellectilium unione dixit Cassiodorus: *Habent haec distributa praconium, ceniuncta miraculum.* Miraculum miramur in hoc excelsio Mg. dum ad quamcumque partem convertit ingenium, ita antiquorum philosophorum in se contexit elogia, ut quod illis provida impertivit natura, provida, & in ipso coadunasse videatur, idem de illo audeamus sine taedio dicere, quod scripsit de Claudiano Sidonius: *Sintit, ut Pythagoras, dividit, ut Socrates, explicat, ut Plato, implicat, ut Aristoteles, ut Demosthenes irascitur, vernat, ut Hortensius, incitat, ut Curio, suadet, ut Cato, persuadet, ut Tullius.* Tantum Virum desiderabamus, ut Aegidianum Magisterium floresceret, jam respiramus, patefacta per ipsum N. D. genuina mente, jam delectamur videntes lucis nostrae obnubilatae splendides spargi radios, quippe D. iste tam plura ad rei commoditatem confecit, ut abundantius nostrum desiderium impleverit, demonstrans proprio matre artificiosam harmoniam, qua sibi metipsis testimonia Aegidiana consonant.

At, o quas tibi rependamus gratias Magne, & jure Noster Mg! in te Aegidiani attingimus laticis verticem: Cum ergo nostro pro posse non sufficiamus tibi gratias agere pares; hoc vnum faciemus, quod nobis reliquum est, te amabimus, te colemus, te venerabimur inter doctissimos quosque à cingulo, & sursum eminentem Magistrum. Bene testantur opera praestantissimas dotes animi tui, benèque respondent testimonio, quod buccinante fama, nostras pervenit ad aures. O quoties in stuporem rapuisti sapientissimam Salmantinum Senatum, detonans vocem illatricem ergo! Insuper heroicam morum suavitatem tuorum amplissimis laudibus omnes super astra ferunt. Sed ne prolixiori dorum animi tui debita commendatione nostra, plus aequo turgescat pagina, manus hinc exerimus, ut calamus ad huc aliud fluat.

Sed jam quibus vocibus Theologum te dignè conclamabimus? Quis illum in te absolutum dogmatum orthodoxae sapientiae orbem perfectè decurret? Quod enim elogium proferemus aequale illi magno libro, in quo pro indaganda Maximi Magistri gratiae firmissima mente se ipsum sui ipsius interpretem mirabiliter introducis?

Noster non audet

Rem tentare pudor, quam vires ferre recasant.

Testes adhibemus quotquot legunt, & lectum ab omnibus scimus in Urbe, & orbe: Nos verum effamur, nostrum quaecumque conferentes suffragium, quòd statim, ac operis salutavimus limen, etiam in ipso nomine suspicati sumus, quòd in excelsio, & artificioso tanta eruditionis fastigio reperimus absolutam: certè enim sola super scriptio: *Augustinus sui interpretes*, totius, tamque ingentis negotij illustrissimum tradit argumentum. Verè nil aptius, excellentius vè potuit cogitari pro Doctoris gratiae mente prolixius inquirenda; quàm Augustinum ipso Augustino exponere: testis adsit Angelicus Doctor: *Propheta non potest exponi in eodem spiritu, in quo condita est, nisi cum ipsa exponit se ipsam.* Ex hoc tui libri sufficiens nobis commendatio videbatur constanter dicere; quòd opere tanto titulum adimplet. Sic in eo, pro Magistro gratiae à sensu perverso vindicando, novo furore arripuisti de manu *Norissa* eminentissimum calamum, atque illius cuspidem felicissimè acuisi. Sic appares ibi contra perversos gratiae fulminans partus Augustiniani tonitruum. Sic etiam per inextricabilem efficacis gratiae labyrinthum, tam novum, & tan vetus monstras iter, ut, & quod semper tenere P. P. constanter retineas, & pro libertatis dono, novam, & indissolubilem concordiam astruas: eà propter toto pectore prodimus.

Vilia sunt nobis quaecumque prioribus annis.

Vidimus, & sordet quidquid spectavimus olim.

Sic demùm ibi magis, ac magis manet roborata doctrina, dum in appendice illius, omnes ludis tortas jactu percunte sagittas, quas nimis rigida potuit vibrare manus.

O Manso Theologum fortunatum, ad veritatis indaginem electum! Certè certius facimus tuum nomen *Mansurum* in ævum, nec ipsis adversarijs adulatorem videri pertimescimus, si tui in nominis decus dixerimus, quòd in alterius gratiam alter effinxit: *Quidquid in te miramur, manet, mansurumque est in aeternitate temporum, fama rerum.*

Sed parce prolixitati (Excelsio M.) non enim possumus manusingere, quin reliqua opera tua salutemus; dum quasi animi Augustiniani Pythagoricas transitus in te contigerit, *audimus te vocem exaltantem pro vocatione Sancta*, ut lumini rebelles divino ambas attollant aures, opere isto nullum excellentius orthodoxae reipublicae à multis seculis est donatum: igitur in eo hunc maximi momenti lapidem, penè intactum à Doctoribus, tam strenuè propulsas, ut longè removeas; est enim lapis liminaris, in quo dum omnem gratiam

D. Th.
Prol. in
Danielé.

Cornel.
Tacito in
vita A-
gricola.

excitantem, vel omninò relègant, vel indignè sentiunt, offensa omnium Judeorum, & Hæreticorum tortuosa mens, miserrimè decedit præceps in tot errorum abyssos.

Tandem pari strenuitate, & Augustiniano zelo, elevas tertio calamum adversus Quæsnellianos, Baianos, & Jansenistas, pluresque alios ingratos, qui in præsentis tempestate, liberalissimum donum sufficientis gratiæ negare conantur, excerpens, & resicans Augustiniano gladio hujus ingratitude occultam radicem, ut semper fulgeat, *Augustinus gratiæ vindex*. Simillimo splendore micat, & tu, o tanti Patris legitime fili! Dum intetam altè impressum cernimus Augustinum, ut totus appareas alter Augustinus. Quemadmodum nubis per gyrum solaribus illuminata fulgoribus, radiare, ut alter Sol, jam aliquandò apparuit. Non es sol, sed Augustiniani Solis speculum nitidissimum, fulges ut Sol, fulges ut Augustinus. Sed contra lucem lippidioribus oculis semper adest querèla: *Multi utroque claudicant pede* (ingenio, & affectu) *& nec fractis cervicibus inclinantur*. Adhuc scrupuli animos movent, sed tu gratior adhuc post nubila micat. Ergo inceptum *Cursum* velox, ut nubes perface, Magne Doctor, ecce omnis Ægidiana schola fundamentalem Theologiam avidissima exoptat. Interim præcabitur Cælum, te servet incolumem. Vivas Augustino, vivas Ægidio, vivas Religioni, vivas tibi, hoc petat Religio, hoc velit litterarius orbis. Nos autem ne muneris nostri metam transcendamus, sentimus, opus hoc doctrinæ Catholicæ consonare, & bonis moribus nedum non adversari, verum etiam viles, & omnibus Scholasticis desiderandum, quare doluimus, quòd serò præla fatigat. Sic serò judicamus in hoc Regali S. P. N. Augustini Cordubensi Conventu. Die 10. Octobris. Anno Domini 1723.

Fr. Vincentius de Sandoval *Fr. Carolus de Ayllon*
Mg. & Prior. *Magister.*

LICENTIA ORDINIS

Magister Fr. Franciscus de Albinar Prior Provincialis Ordinis Eremitarum S. P. N. Augustini de Observantia in hac Bœtica Provincia: Reverendo P. M. Fr. Vincentio à Sandoval nostri Regalis Cordubensis Conventus Priori, Regiæque Majestatis Concionatori, ut totum quintum Cursus Philosophici à R. P. Magistro Fr. Petro Manso Salmanticensis Universitatis Doctore, Cathedræque Durandi moderatore accuratè elaboratum, quatenus à gravibus, doctisque viris hujus nostræ Provinciæ (quibus ipsum videndum examinandumque commissimus) recognitum, & approbatum, typis mandare possit, obtenta Superiorum facultate, tenore præsentium licentiam concedimus. Datis in nostro Portus à Sancta Maria Conventu nostri muneris sigillo munitis. Die vigesima mensis Septembris anni Dñi. millesimi septingentesimi vigesima tertij.

Mag. Fr. Franciscus de Albinar Provincialis.

De mandato R. adm. P. N. Provlis.
M. Fr. Ioannes Lycardo, Sec.

A P P R O B A T I O R. Adm. P. Fr. FRANCISCI
Miguez Lectoris Iubilati, Tribunalis Fidei Censoris,
& Seraphicæ Granatensis Provinciæ
Patris perpetui.

Singulari mentis obtutu, summaque animi voluptate vidi Libros de Anima, de Ortu, & Interitu, elaboratos, B. Ægidio Rom. Doctore Fundatissimo ducente, & docente, à R. Adm. P. M. Fr. Petro Manso Augustiniano; & in operis initio, ut titulum legi, nomen Auctoris audivi, & vox ipsius scientiæ dulcis in auribus meis insonuit, illicò in memoriam venit ad tantum virum (licet nunquam satis) laudandum, quod de Salomone olim Regina Sabà prædicavit: *Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sapientia tua: vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nunciata non fuerit. Major est sapientia tua, & opera tua, quam rumor, quem audivi; nam in dissolvendis philosophicis enigmatibus vivax hujus Salomonis ingenium splendet; profert de thesauro suo nova, & vetera; plura siquidem Doc. Fundatissimi vetera arcana nova luce lustrat, & illustrat;*

trat : *præclara enim ingenia* (ait Philo Hebreus) *plura innovant circa sententias.* Novas quæstiones , & non vulgares difficultates movet , eas mira eruditione resolvens , conclusionesque validissimis rationibus stabiliens , & si opus est , auctoritatibus Sac. Scripturæ , Conciliorum , & SS. Patrum confirmans ; ob quod concludo cum Regina Sabà : *Beati viri tui , & beati servi tui , qui stant coram te semper , & audiunt sapientiam tuam.* Nec miretur quis , me potius laudare , quàm corrigere , nam vt Casiodorus aiebat lib. 9. cap. 22. *Nec enim fas erat , vt quem Familia tanta produxerat , sententia nostra in eo corrigendum aliquid invenerit.* Qua propter , quia ejus calamus singularis est , ejus stylus disertus ; ejus materia pura , & discursus catholici , firmi , religiosi , & longè doctissimi judico tantum opus dignam typis mandari Sic subscribo. Salvo &c. Cordubæ Die 30. mensis Novembris Anno Dñi. 1723.

Fr. Franciscus Minguez.

LICENTIA ORDINARIÏ

NOS Doctor D. Franciscus Michael Moreno Hurtado Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis hujus Civitatis Cordubensis Portionarius , Provisor , & Vicarius Generalis ejus , & totius Episcopatus , ab Illmo. D. D. Marcelino Siuri , hujus Diocæsis Episcopo , Regisque Consiliario. Recognito *tomò quinto Cursus Philosophici* Admodum R. P. M. Fr. Petri Manso Ordinis S. P. N. Aug. Castellanae Provinciæ olim Diffinitoris ; & nunc in Salmanticensi Universitate Cathedræ Durandi Moderatoris. Et inspecta censura per admodum R. P. Fr. Franciscum Minguez in Sacra Theologia Lectorem Iubilatum , Tribunalis Fidei Censorem , & ordinis S. P. N. Francisci Provinciæ Granatensis Patrem perpetuum , & quod nihil redolet alienum à nostra Sancta Catholica fide , & rectis moribus , licentiam concedimus , vt typis mandari possit , & mandetur in quocumque hujus Civitatis prælo. Datum Cordubæ die 23. Mensis Novembris. Ann. 1723.

*D. D. Franciscus Michael
Moreno Hurtado.*

De mandato D. Provisoris

Ildefonsus Ioseph Gomez de Lara.

APROB

APPROBATIO R. Adm. P. Fr. ILLDEFONSI Ruiz Lectoris Iubilati , Tribunalis Fidei Censoris , olim Provinciæ Granatensis Ordinis Minimorum S. P. N. Francisci de Paula Provincialis , postea Vicarij Generalis, iterumque ejusdem Eparchiæ Provincialis.

EX supremi Senatus Regali commissione , vt tam excelso dicto obsequentijs audirem , amicitias Philosophicæ Librum accuratè perlegi , luculenter inspexi , hilaritate peragravi ; librum (in quam) cujus titulus : *Cursus Philosophicus ad mentem B. Agidij Romani Doctoris Fundatissimi Augustiniani , Archiepiscopi B't ricenps. Aquitanicæ Primatis , & S. R. E. Cardinalis illustratum auctoritatibus S. P. Augustini , & Præceptoris Angelici.*

AUCTORE

R. Adm. P. M. Fr. Petro Manso Augustiniano , Provinciæ Castellæ in Salmantina Academia Sacræ Theologiæ Doct. r. , & nunc Cathedræ Durandi Moderatore , Conventus Salmantini olim Priore , semel , & iterum Diffinitore Provinciæ , & pro Provincia in Comitij Generalibus Romæ celebratis.

Librum (in quam) omnimoda eruditione refertum ; cujus Auctorem , licèt facie non viderim ad faciem , haud difficulter gratulandus agnovi : ex fructibus enim cujuscumque arboris proceritas dignoscitur : & ex abundantia fecunditas metitur. Resplendet siquidem collustraturus materiem proceritate vigens , fecunditate pollens. Agit verè (ni dicam sapienter egit , tanquam vera sapientia , quæ gyrum Cæli sola circumvit) de anima rationali , vt nata recipi in ergastulo carnis , munera ejus ab ortu vsque ad interitum hominis perlustrans. Magni sanè Parentis Augustini demonstratur filius ; sui que confratris Doctoris Fundatissimi mens erudita , vt altius fundaretur ; iam Africæ Phœnicem , jam Angelicum Thomam exponere conatur ad superna confurgens ; vt tandi operis fastigia rimaturus auctoritatibus vtriusque Doctoris.

En funiculus triplex ob ignorantiam minimè lacerabilis , facileque juvenibus addiscibilis ; vt trahi possint (quasi in vinculis Adam) qui

qui Augustini Ecclesie Aquilæ, qui Thomæ Ecclesie luminis mentium concordiam, ad mentem Fundatissimi Doctoris cordicibus studuerint. Tres sunt qui testimonium dant in terra (exclamabat Ioan. 1. cap. 5.) Spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt. Ecce Augustini Spiritus, & anima, cujus sonus in omnem terram, in finesque orbis terre fructuosus exiit! Ecce sapientie aqua, de qua tam bene scripsit Angelicus Aquinas! Ecce sanguis Egidianus, qui verbo Dei fretus, novi auctoris industria, novaque quadam harmonica mansuetudine, ut nobilissimum funiculum illacerabilem faciat, facit utraque unum!

Audiamus jam Parentem Augustinum: Thomam deinde avidè auscultaturi. Ille in lib. de anima sic oritur: *Magna est negligentia nescire, quid illud sit, quo celestia tam profunde cogitamus: quo naturalia tam subtili indagazione investigamus: quo de ipso Creatore tam sublimia scire desideramus. Non est res peregrina, nec longè quærenda à nobis: animus est, quo ita sapimus, nobiscum adest, tractat, loquitur, & intus versatur. Datum est illi tam ingenium rerum secreta scire, & se ipsum cognoscere non posse.* Idem autem in sua 1. p. quest. 12. art. 11 in corpore, hæc tradit: *Anima nostra quanto magis à corporalibus abstrahitur, tanto intelligibilius abstractarum sit capacior.* Et quest. 76. art. 4. ad 1. *In eo casus anima dicitur actus, etiam anima includitur: eo modo loquendi, quo calor est actus calidi, & lumen est actus lucidi, non quod sorsum sit lucidum sine luce, sed quia est lucidum per lucem.*

O verè Beatissima totius Ecclesie lux Magne Pater! Augustine! O verè Beatissimum Ecclesie lumen Aquinas! Certè, cui licet ad mentem Beati, suique Fundatissimi Magistri, facere, quasi utraque, tot mirabilia unum, quasi ad cor nostram loquens, loquens de anima nostra: dicere ausus exiit: *anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hereditabit terram.* Psalm. 94.

Qua propter quia nihil probis moribus adversum in perfectione censui tanti operis; in lucem prodeat, ut pote laude dignum, utilitatisque verè studentium satis, & ultra congruum. Sic sentio in hoc Divæ Mariæ Victricis Cordubensi cœnobio. Die 18. mensis Novembris Ann. Dñi, 1723.

Fr. Ildefonsus Ruiz.

EL

EL REY.

DON BALTHASAR DE SAN PEDRO AZEVEDO
Escrivano de Camara de el Rey Nuestro Señor, y de Gobierno de el Consejo. Certifico que por los Señores de él, se ha concedido licencia al Maestro P. Fr. Pedro Manso del Orden de San Augustin; para que por una vez pueda imprimir, y vender el Quinto tomo intitulado Curso Philosophico, por el original que va rubricado, y firmado al fin de mi mano, conque antes que se venda se traiga al Consejo, juntamente con el original, y certificacion del Corrector de estar impreso conforme à él, para que se tale el precio à que se ha de vender, guardando en la impresion lo dispuesto por las leyes del Reyno, y que esta certificacion se ponga al principio de cada vno. Y para que conste la doy en Madrid à veinte y cinco de Enero de mil setecientos y veinte y quatro años.

YO EL REY.

Por mandado del Rey N. Señor:

Don Balthasar de San Pedro
Azevedo.

T A S S A

DON BALTHASAR DE SAN PEDRO AZEVEDO, ESCRIVANO de Camara del Rey nuestro Señor, y de Gobierno del Consejo, certifico, que aviendose visto por los Señores de él un libro intitulado Quinto tomo del Curso Philosophico, que con licencia de dichos Señores ha sido impreso, tassaron à seis maravedis cada pliego, y el dicho libro parece tiene setenta, y nueve, y medio sin principios, ni tablas, que al dicho respecto montan quatrocientos, y setenta, y siete maravedis de vellon, y à este precio, y no mas mandaron se venda el dicho libro, y que esta certificacion se ponga al principio de cada vno. Y para que conste lo firmè en Madrid à veinte y nueve de Enero de mil setecientos y veinte y quatro años.

Don Balthasar de San Pedro
Azevedo.

RE:

FOL. 1. columna linea 6. monitos, lege, monitos. Fol. 5. col. 1. lin. 16. medullis, lege, medullis. Fol. 11. col. 2. lin. 16. recipis, lege, recipit. Fol. 46. col. 1. lin. 7. Methodicos, lege, Methodicos. Fol. 75. col. 1. lin. 40. consequantia, lege, consequentia. Fol. 86. col. 1. lin. 33. anima, leg. animas. Fol. 90. col. 2. lin. 38. audit, leg. audi. Fol. 109. col. 1. lin. 29. patentia, leg. potentia. Fol. 138. col. 1. lin. 8. fabulorem, lege, fabulotum. Fol. 156. col. 1. lin. 26. vivendum, lege, videndam. Fol. 208. col. 2. lin. 39. enervius, lege, enervius. Fol. 251. col. 1. lin. 11. quia, lege, qui. Fol. 256. col. 1. lin. 36. enstivus distinctus, lege, sensitivus distinctus. Fol. 266. col. 1. lin. 6. arduas, lege, has duas. Ibidem col. 2. linea 14. fluentem, lege, frusatam. Fol. 268. col. 2. lin. 4. substantia, lege, substantia. Fol. 294. col. 1. lin. 33. Pulificus, lege, pulificus. Fol. 295. col. 1. lin. 11. quod, lege, quo. Fol. 305. col. 2. lin. 24. est, lege, non est. Fol. 311. col. 2. lin. 6. possit, lege, possit. Fol. 328. col. 1. lin. 38. agens, lege, possibili. Fol. 329. col. 2. lin. 5. specie, lege, speciei. Fol. 331. col. 1. lin. 27. &c lege, &. Fol. 372. col. 1. lin. 8. aliena, lege, aliena. Fol. 464. col. 1. lin. 26. expedito, lege, expeditio. Fol. 465. col. 1. lin. 29. causabant, lege, causabant. Fol. 501. col. 1. lin. 1. requiritur, lege, requiruntur. Fol. 569. col. 1. lin. 40. qualitatem, lege, quantitatem. Fol. 589. col. 2. lin. 9. rationes, lege, ratione.

ESTE libro intitulado *De Anima, Generatione, & Corruptione*, su Autor el Padre Maestro Fray Pedro Manto del Orden de San Augustin, y advitiendo estas erratas, corresponde a su original. Madrid y Enero, año de 1724.

Lic. Don Benito de Rio Cao de Cordido
Corrēct. General por su Mag.

PRO

PRO LIBRIS DE ANIMA

PROEMIUM.



RECIPVAM, & nobiliorem partem Philosophiæ nostræ aggrefurus exponendam, quædam prænotanda duxi, de quibus Lectores meos monitos vellim. Primò, quoniam non rarò studentes nostri, peractis octo Physicorum libris, ad Theologiam properant, immaturo licèt fructu, ut testatur inexcusabilis experientia; ne incederent sine præcipuis Animasticæ scientiæ principijs, multa in Physicis tractavi, & quàm plura in Logicalibus, quæ licèt à propria sede distita, & peregrino solo collocata, huc deberent restitui; satius putavi loca designare, ubi dilucidata sunt, quàm semel tacta iterùm repetere. Nec est animus, omnia, & singula, quæ de Anima disputantur, in examen vocare, sed præcipua, & quæ rationalem concernunt animam, ne disputatio nostra crescat in immensum: & ut cum S. P. N. Augustino loquar: *Amputabo Lectori latissimam quandam, & infinitam expectationem, ne me de omni anima dicturum putet, sed de sola humana, quam solam curare debemus, si nobismetipsis cura sumus.*

Hæc scientia de anima difficilis est, sed utilis æquè, ac necessaria. Difficultatem præsentit Parens noster, quam nobis indicavit serm. 11. de verbis Domini dicens: *Quis enim facile scientia percipit, quid sit anima?* Subintellige, neminem, cum enim spiritualis sit anima nostra, nec possit intelligi per conversionem ad phantasmata, quæ quoniam materialia unice reddunt imagines rerum corporearum quidditative nosci non potest à corporeis intellectibus, nec per causam à priori: noscitur tamen quàm benè à sapientibus, & aliquantulum etiam ab insipientibus, per effectus suos. Hinc S. Pat. ducens nos in animæ cognitionem dicit: *Spiritus noster, quo vivit omnis ho-*

Lib. de quæ
tit. anima
CAP. 33.

LIBER PRIMVS

DE ANIMA IN COMMUNI.



RIBVS libris absolvit Aristot. tract. de Anima, quorum primus est mera impugnatio sententiae antiquorum; secundus est explicatio propriae mentis circa animam in communi, & quae concernunt animam vegetativam, & sensitivam; tertius est plene de anima intellectiva, & potentis ejus, necnon de potentis eidem ministrantibus, ut sunt sensus interni, & externi. Hanc methodum servant antiqui Expositores litterae Aristotelicae, ut patet in D. Thom. & B. Aegidio, quorum doctrinas exponemus, sed Recentiorum more ordinem immutabimus. Primus liber erit de anima in communi, & de concernentibus, ut sunt potentiae ejus, indivisibilitas, &c. Secundus de vegetativa, & sensitiva. Tertius de intellectiva, & rationali. Nec conamur omnia disquirere, quae de anima tractantur, praesertim, quia jam Theologi plura fecerunt sui juris cum D. Thom. quae ideò Theologis remittenda duximus, ut pro reliquis sit charta, & tempus. Ob id etiam tres libros de anima praeposimus duobus de ortu, & interitu, ut si pro tomo isto nostri cursus Philosophici oporteat aliqua tractare compendio, ea sint, quae spectant ad generationem, & corruptionem. Disputatur ab aliquibus de objecto hujus tractatus. An sit anima, an corpus animatum? Res est parvi momenti, cum apud omnes constet, animasticam esse praecipuam Philosophiae partem, sed objectum Philosophiae est corpus mobile: ergo objectum formale animasticae est corpus animatum.

Sed notandum cum D. Thom. & B. Aegidio intentum Aristot. in his libris esse tractare de anima, ut plenius intelligantur, quae alibi docet de corpore animato, nempe lib. de sensu, & sensato; de parvis naturalibus, de animalibus, & plantis.

A:

QVE-

2
mo, anima vocatur: & videtis quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat. Omnibus simul adest membris, ut vitam det omnibus, officia singulis, &c.

Serm. 186. Scientiae hujus utilitatem, ac necessitatem exposuit S. Pater, dum nos ad imaginem Dei factos, docet, eam quaerere animae impressam, non corpori. Vos (inquit) fratres, vos homines factos ad imaginem, & similitudinem Dei. Imago intus est, non in corpore; non in auribus istis, quas videtis, non in oculis, & naribus, & palato, & manibus, & pedibus; sed est facta ubi est intellectus, ubi est mens, ubi ratio investiganda veritatis. Hinc sumenda tota hominis excellentia supra corporeas omnes creaturas, ab anima nempe rationali, quae paulò ab Angelis minorata, supergreditur cuncta corporea. Fecit hominem ad imaginem suam (ait S. Pater) ut quemadmodum ipse per omnipotentiam praestitit universae creaturae, sic homo per intelligentiam praestitit omnibus terrenis animalibus. Qua etiam parte homo rationalis est, evadit capax aeternae felicitatis, libero potitur arbitrio, potest mereri, & demereri; omnia valet noscere, & rationaliter appetere; sibi Finem praestituere, & Divina favente gratia, in Finem ultimum pervenire, eidemque aeternaliter, & inamissibiliter adherere. Vide quanta nobis concessit, qui animam rationalem donavit, dum in prima hominis formatione inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, ut illa ejusdem de limo terrae corporea molles fieret in animam viventem. Hanc animam, si bene noscerent animati rationales, non tam leviter exhiberent venalem, ut olim dolens lamentabatur S. Pater. Ad ejus ergo notitiam properemus, & Doctorum nostrorum vestigijs inhaerentes, laboremus, non tam necessitate coacti, quam tracti discendi ardore, noscendique summum illum conditorem ex imagine nobis impressa.

Sub eorum auspicio Cursum nostrum Philosophicum incipimus, & profecuti sumus, eorundem ductu finiamus, & ad Deum optatum finem (ipso protegente) perveniamus,

LI.

Quid sit anima in communi?

§. I.

Quibusdam notatis traditur, & explicatur duplex diffinitio Aristotelica.

Num. 1. **S**UPPONIT hæc quæstio existentiam animæ, quam nemo negare potest, nisi qui sine anima censendus est, ut rectè dicit S. P. N. Aug. nihilominus traditur à Cicerone, quemdam senem negasse dari animam, nomenque illud esse totum innane, & frustra vocari animalia, & animantia.

Ostenditur existentia animæ ex duplici capite, nempe ex separatione ejus à corpore, quæ contingit in morte: nec non ex operatione, & motu. Prima ratio traditur à P. N. August. serm. 33. ubi ait: *Corpus, quod vivit ex anima, fit exanime, discedente anima: qui ambulabat, jacet: qui loquebatur, tacet: clausi oculi lucem non capiunt; aures nulli voci patescunt; omnia membrorum officia conqueverunt, non est, qui moveat gressus ad ambulandum, manus ad operandum, sensus ad percipiendum. Nonne ista est domus, quam nescio quis habitator invisibilis ornabit? Discessit, qui non videtur, remansit quod cum dolore videatur.*

Eadem ratio, vice versa, probat existentiam animæ, recensitis ejus operationibus, quæ deficiunt à corpore per solam absentiam animæ. Eas tradit P. N. serm. 186. de

temp. cujus verba dedimus in proemio, & lib. de Beata vita disp. 1, id directè probat, ut suum germanum Navigium convincat ad asserendam existentiam animæ.

Supposita animæ existentia, circa ejus quidditatem varia fuerunt Philosophorum placita, quæ refert, & impugnat Aristot. tot. lib. 1. Democritus, & Leucipus eam fecerunt igneam substantiam: Diogenes vero substantiam aeream: Thales substantiam subtilem, & aqueam; Alemeon substantiam cœlestem: Seneca, Euripides, & Epictetus animam rationalem, altiùs evexere asserentes, eam esse Dei particulam, & substantiam Divinam, cui etiam Romani Tempia, & aras consecraverunt. Empedocles tenuit, animam esse harmoniam quatuor elementorum: Galenus complexionem, seu temperamentum qualitatum: Epicurus unionem atomorum: Plato, & Pithagoras eam diffinierunt Numerum se ipsum manentem. Eis turpius errarunt Manichei, qui etiam arboribus tribuebant animas rationales, quarum nec ramus scindi poterat absque homicidij reatu. Vide in N. Gavard. tom. 4. Philosophiæ q. 1. de Anima art. 1. hos omnes errores breviter impugnatos ex doctrina P.

N.

N. August. & à ratione. Eis omis-

3. Dicendum 1. *Anima est actus primus corporis physici organici, habentis vitam in potentia.* Sic omnes Philosophi post Aristot. dicitur 1. *Actus primus*, quia omnis anima est forma substantialis, de qua 1. Phys. dictum est, esse actum primum materiæ. Dicitur *corporis*, ad denotandum, quòd viventia constant ex corpore, & anima, ad differentiam non viventium, quæ constant ex materia, & forma. Dicitur *Physici* ad excludendum corpus mathematicum, quod est tertia species quantitatis, constans trina dimensione. Dicitur *organici* ad denotandum partes corporis viventis debere esse dissimiles, & diversas pro diversis operationibus viventium, ut sunt nutritio, augmentatio, & motus. Quæ diversitas in animalibus apparet, cum constet ex carne, ossibus, nervis, sanguine, pedibus, manibus, &c. Corpus etiam plantæ constat ex radicibus, medulis, trunco, cortice, folijs, &c. Vocantur partes organicæ nomine derivato ab organis, quorum fistulæ sunt inæquales, & diversos edunt sonos. Quæ hæc disputantur, infrà dissolventur.

Tandem dicitur: *In potentia vitam habentis.* Ad denotandum, quòd diversitas partium corporis debet esse apta ad habendam vitam. Per quod excluditur corpus cadavericum, organicum quidem, sed impotens vivere: necnon statua lignea, & si partes habeat organicas, cum sit in-

capax vitæ.

4. Aristoteles aliam dedit animæ diffinitionem dicens: *Anima est: id, quo vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus.* Hæc diffinitio est explicatio primæ à qua differt; quia prima traditur per ordinem ad subjectum: secunda traditur per ordinem ad operationem vitalem. Prima convenit animæ, ut facit ad esse; secunda animæ, ut facit ad operari: & sensus ejus est, quòd anima est primum principium omnis operationis vitalis. Quare est principium radicale operandi, ut diximus lib. 2. Physicor. explicantes conceptum naturæ. Et licet Card. Aguirre teneat hanc diffinitionem esse descriptivam, quia traditur per ordinem ad operari; quod cum supponat esse, supponit jam essentiam constitutam. Nihilominus dicenda est diffinitio essentialis, quia explicat essentiam animæ sub conceptu naturæ, sicut prima diffinitio diffinit animam sub conceptu essentia. Huic secundæ diffinitioni attendens S. P. N. August. sæpè dicit, quòd anima est *vita corporis*. Ita serm. 6. de verbis Domini. Et lib. de Immortalitate animæ cap. 7. & varijs locis. Sed notandum, quòd vita alia est in actu primo, quia est principium vitæ; non est vita corporis in actu secundo, quia hæc vita est operatio, & anima non est operatio, sed principium operandi.

22

Dubia quaedam circa diffinitionem animæ dissolvuntur.

5. **Q**UÆRES primò, an diffinitioni animæ sit addenda particula *substantialis*? Respondetur negativè cum D. Thoma, & B. Ægidio in præsentì, qui approbant diffinitionem Aristot. sine illa particula. Probatur ratione. Nā omnis actus vel est substantialis, vel accidentalis: si substantialis. ergo primus, cum esse substantiale fundet esse accidentale: ergo perinde est dicere, actum primum materiæ, ac actum substantialem. Quare si anima est actus primus, subintelligitur substantialis.

6. Quæres secundo, cur dicitur *corporis*? Respondetur ad denotandum discrimen viventium à non viventibus: nam viventia constant ex corpore, & anima; non viventia ex materia, & forma. Ratio discriminis sumitur ex B. Ægidio, & probatur sic: Omne vivens debet se movere, nam vita *Est motus à se, & in se*, ut dicemus: sed motus petit movens in actu, & mobile in actu: ergo omne vivens debet constare ex movente in actu, & ex mobili in actu. At qui sola materia prima non est mobilis in actu, sed tantum in pura potentia: ergo vivens non constat ex materia, & anima, sed ex corpore, & anima. Quid amplius dicat corpus, quàm materia, constabit ex dubio sequenti.

7. Quæres tertio, quid nomine *corporis* intelligendum sit? Scotistæ docent, intelligi materiam cum forma corporeitatis, per quam redditur corpus, & est subjectum receptivum animæ. Thomistæ R. R. dicunt, corpus esse totum compositum ex materia, & forma, non ex forma sub gradu infimo, sed sub gradu universalissimo corporeitatis, sub quo reddit materiam substantiam corpoream completam; & sic est subjectum ad receptionem ejusdem forme sub gradu viventis. Ita cum D. Thom. 1. p. q. 76. art. 4. ad 1. Alij docent, esse materiam cum organizatione accidentali, quæ venit à quantitate. Sic plures cum Artia-

ga. Contra primam expositionem militant, quæ diximus tom. 3. Philosophiæ lib. 1. q. 153. ubi ex S. P. N. August. D. Thom. & B. Ægid. exclusimus formam corporeitatis à viventibus. Contra 2. expositionem obstat distinctio realis formæ à subjecto realiter recipiente. Sed si corpus receptivum animæ realiter constituitur in ratione subjecti per animam sub gradu corporis, non distinguitur realiter ab eadem anima sub gradu vitæ: ergo corpus, quod est subjectum animæ, non constituitur per ipsam animam. Minor patet, quia gradus corporeitatis in anima non differt realiter à gradu vitæ, sed solum per rationem. Rursus. In Sacramento Altaris *Ex vi verborum* ponitur tantum corpus Christi: sed si hoc corpus constituitur per animam

sub

sub gradu corporeitatis, etiam poneretur anima *Ex vi verborum*: ergo cum hoc sit falsum, dicendum est, quod corpus receptivum animæ, non est substantia completa ex materia, & anima.

Observa, quòd loco citato, dū impugnavimus formam corporeitatis, diximus, quod gradus corporeitatis provenit in viventibus ab anima. Ne autem putes hinc, nos tenere contrarium, nota quòd duplex est corporeitas, *Vna completa*, quæ ponitur directè in predicamento substantiæ, vi cujus corpus est substantia completa, & compositum ex substantia, & forma. Hæc corporeitas provenit ab anima, ut loco citato dictum est, & hoc probat doctrina D. Thomæ, & B. Ægid. ibidem allegata contra Scotistas. Altera corporeitas est *incompleta*, & hæc provenit ab organizatione materiæ per modum quantitativum, explicatum à nobis 2. Physicor. q. 7. §. 3. n. 12. Materia sic constituta in ratione corporis incompleti, est subjectum receptivum animæ.

Contra tertiam expositionem obstat diffinitio Aristotelica. Nam anima est actus primus de cujus ratione est nullum aliud supponere: sed si subjectum receptivum animæ esset materia cum organizatione accidentali, jam anima supponeret in materia accidentia, quæ sunt actus organizantes accidentaliter: ergo tunc anima non esset actus primus materiæ.

8. Dicendum nomine corporis intelligi materiam organizatam à modo quantitativo, explicato ubi supra, & etiam in Logica tom. 2. quæst. de Quantitate. Ita N. B. Fgidius hic, & alijs locis citatis à N. Gregor. in 2. distinct. 17. quæst. 2. N. Argentinas in 4. dist. 13. q. 1. art. 1. & est mens D. Thom. quem referunt, & sequuntur Conimb. hic, quos omnes allegat, & sequitur N. Villanova in M. S. & patet à sufficienti partium enumeratione. Nā corpus in diffinitione animæ aliquid addit supra materiam: sed hoc additum non est forma corporeitatis, nec forma viventis, nec alia forma substantialis, aut accidentalis: ergo est modus aliquis substantialis, vel accidentalis. Sed non accidentalis, ut dictum est, contra tertiam expositionem: ergo est materia cum modo substantiali. Talis est modus quantitativus, à nobis explicatus.

Sed dices. Modus iste quantitativus provenit à quantitate, quæ est accidens: ergo non est modus substantialis, sed accidentalis. Rursus, modus iste præcedit in materia ante animam, ut eam constituat subjectum receptivum animæ: ergo in materia præcedit quantitas. Patet consequentia, quia implicat effectus formalis formæ pro aliquo signo, pro quo non sit forma: ergo si præcedit modus quantitativus, præcedit etiam quantitas in materia. Sequela est falsa, quia hoc esset ponere quantitatem in materia ante receptionem animæ,

Ad

Ad primum dico, modum illud quantitativum esse indistinctum scilicet à materia; quare est modus substantialis. Quomodo hoc sit, explicavimus lib. 2. Physicæ quest. 7. §. 4. ubi etiam explicatum est, quid sit in materia, illud esse vitale, quod recipit materia ab anima in genere causæ formæ.

Ad secundum constat solutio ex dictis lib. 2. Physicæ q. 8. præsertim §. 4. ubi dictum est, subjectum quantitatis esse materiam sub ordine ad formam universalem; qui ordo semper manet idem, licet formæ substantiales varientur; quia omnes conveniunt in ratione actus primi materiæ. Et licet in instanti generationis forma substantialis sub aliquo gradu, puta entis, & actus primi materiæ sit pro aliquo signo priori ante quantitatem, non tamè præcedit ut subjectum receptivum quantitatis, sed ut conditio in materia, ut recipiat quantitatem; quia forma non dat materiæ vim receptivam, sed est mera conditio, sicut applicatio in igne, cui non dat vim calefaciendi, est mera conditio ad calefaciendum. Vide dicta loco nuper citato, ubi actum est de subjecto, & causa materiali accidentium.

9. Quæres 4. Quomodo intelligendum ly *in potentia vitam habentis*? Gardin. Aguirre citans plures indiscriminatim, docet, intelligendum esse de vita accidentali, hoc est, de operatione vitali. Et probatur: nam subjectum, quod est in

potentia ad vitam, non est corpus informe, & incompletum, sed completum, & formatum per animam: sed corpus completum per animam habet animam, quæ est vita in actu primo: ergo corpus tale est in potentia ad solam vitam accidentalem.


Contrarium tenendum est ex dictis num 8. & probatur: nam corpus, quod est subjectum animæ, est substantia incompleta materia, cum modo quantitativo organizante: sed hæc substantia incompleta est in potentia ad esse animæ, quæ est vita in actu primo substantiali: ergo ly *in potentia* debet intelligi relatè ad vitam substantialem.

10. Quæres 5. An hæc definitio sit univoca, & adæquata? Respondetur affirmativè quoad utrumque: univocatio probatur ex eo, quod licet animæ se mutuo excedant in perfectione, & sint inæquales; at inæqualitas oritur ex rationibus particularibus, & non ex ratione communi, in qua omnes animæ conveniunt: sed inæqualitas in ratione particulari non tollit univocationem in ratione communi, ut patet in animali, quod perfectiori modo reperitur in homine, quàm in bellua, & tamen ratio animalis est univoca, ut in Logica dictum est: ergo licet perfectior sit anima in homine, quàm in bellua, & perfectior in brutis, quàm in plantis: ratio tamen animæ communis ad omnes, univoca est. Vide dicta in Logica circa analogiam.

Quoad

Quoad secundum procedit dubium de anima rationali, quæ ab aliquibus negatur esse formæ corporis. Sed contrarium est de fide, & statutum est in Clementina cap. de Summa Trinit. ubi dicitur, *Doctrinam omnem, seu positionem temerè assertentem, aut veritentem in dubium, quod animæ rationalis substantia verè, ac per se hujusmodi corporis non sit forma, vel ut erroneam, ac veritati Catholica*

inimicam fidei, prædicto sacro approbante Concilio reprobamus. Hoc statuto, patet secundum assertum. Nam distinctio data convenit animæ vegetativæ, sensitivæ, & intellectivæ: sed nulla est anima, quæ non sit vegetativa, sensitiva, aut intellectiva, ut ampliùs constabit ex sequenti quæstione: ergo distinctio data est optima, & adæquata.



QUESTIO II.

Quotplex sit anima? Vbi de anima loco motiva:

§. I.

Quibusdam notatis, & erroribus explosis, explicatur communis sententia

1. **T**RIPLEX tantum ponitur anima, nempe vegetativa, sensitiva, & intellectiva, pro plantis, brutis, & hominibus. Et licet doctrina hæc ferè communis sit in præsentia; non sic apud veteres, quos malè divisit inexplorata natura. Et omissio Pythagoræ somnio de transmigratione animarum ex corporibus humanis in alia corpora belluina, de quo Conimb. 2. de anim. cap. 1. q. 7. juxta quod delirium omnes animæ non differunt specie essentiali, sed accidentali, ita ut tota diversitas animarum refundenda sit in diversitatem organorum; taliter, quod eadem anima in homine discurrat, in leone rugiat, in equo inhiat: sicut in diversis hominibus similis anima tardiùs, aut præ-

ptiùs discurrat. Omissio hoc errore jam antiquato, & à SS. P. N. præsertim August. profligato, vera sententia docet, distinctionem essentialem specificam animarum, quam suadet ratio naturalis ex eo, quod natura intendit perfectionem suorum effectuum in suo genere: sed perfectio effectuum naturæ consistit in integritate essentiali specifica, quæ non stat sine distinctione specifica animarum, quæ sunt actus compositi, à quibus sumitur distinctio: ergo distinctio hominis, & bruti non provenit à mera organizatione distincta, sed à diversis formis specificis, per quam diversitatem tollitur transmigratione animarum.

Accedit placitum Stoicorum, & Epicureorum negans formam ve-

B

geta-

getivam esse animam, & tenens plātas non vivere, sed per intus sump-tionem excrefcere, sicut ignis crescit per pabulum. Hoc placitum est error, & colligitur ex Scriptura: nā Psalm. 67. dicitur, *Occidit in grandine vineas eorum*, en vitis occiffa: ergo vivebat ante occiffionem. Ad idem S. P. N. August. serm. 27. de verbis Apost. dicit: *Nobis vivere cū arboribus, & fructetis commune est, nam vitis vivit, cū viret, moritur, cū arefcit; sed vita ista non habet sensum*. Tum etiam, quia in plantis modus ille se dilatandi, intus sumentum per fibrias, & ad-jungendo sibi, supergreditur modum inanimatorum, nec convenit igni, ut dicemus.

2. Omittendus etiam error Platoniorum, & Manichæorum, de quo S. P. N. August. lib. 2. de Morib. Manichæor. qui arboribus tribuebant vitam etiam sensitivam Quos meritò respuit S. P. N. August. lib. de Quantit. animæ cap. 33. dicens: *Non est audienda, nescio, quæ impietas rusticana; magisque lignea, quàm sint ipsæ arbores, quibus patrocinium præbent cū dolere dicunt vitam, quando vna decerpitur*. Ratio etiam id evincit, quia nullum sensus vestigium apparet in plantis; immò organa eorum sunt inepta ad sentiendum, quia summè materialia, atque densissima.

Hic reponere errorem aliorum, qui opposito somnio brutis tribuebant animam intellectivam. Contra hoc stat Scriptura, Psalm. 31. dic

cens: *Nolite fieri, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*. Ratio est, quia si equus haberet intellectum, non differret specificè ab homine. Sequellam concedere solum potest, qui jumentis insipientibus similis factus est, ut benè Suarius in præfenti.

In eodem Cathalogo reponendi sunt, qui brutis negarunt vitam sensitivam. Quosdam refert Suarius pro hoc placito. Hæc sententia contradicit Scripturæ. Nam Ilaia 1. dicitur: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*. Ex Philosophia convincitur error; nam in brutis videmus, esse organa sensuum, tam externorum, quæ oculis patent, quàm internorum, ut per anatomiam ostenditur. Sed ista organa non sunt data frustra à natura: ergo data sunt ad vitam sensitivam. Rursus, animalia moventur ab appetitu media cognitione, jam per visum, jam per olfactum, jam per auditum excitantur, & diriguntur: item moventur timore, vel amore ad aliquid de novo, ut viam discere, saltare, &c. ergo quia vivunt vita, & motu sensitivo.

3. His erroribus explosis communis sententia tres tantum agnoscit vitas, quia tres tantum agnoscit animas, nempe vegetativam, sensitivam, & rationalem. Sic communis DD. cui favet S. P. N. August. lib. 1. de Doctrina Christi. cap. 8. dicens: *Ipsam vitam per se inspicere, & si eam sine sensu vegetantem invenierint, qualis est arborum, præponunt ei*

sen-

sentientem, qualis est pecoribus, & huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Idem habet lib. 5. de Civitat. Dei cap. 11. ubi dividit vitam in seminalem, sensualem, & intellectualem. Et lib. 8. cap. 6. dicit: *Omnem vitam, quæ vel nutrit, & continet, qualis est in arboribus, vel quæ & hæc habet, & intelligit, qualis est in hominibus*. Quid sit continere, constat ex S. P. 1. retractat cap. 11. dicente, animam continere compagè corporis, ne dissolvatur, & disfluat.

Ratio cur tantum sunt tres gradus vitæ, & viventium, traditur à D. Thom. 1. p. quæst. 78. art. 1. Probatur sic. Vita consistit in eo, quod aliquid moveat se ipsum; quia inanimata non movent se, sed moventur à generante: ergo tot modis datur vita, quot mobile à se ipso movetur: sed tres sunt motus à se, nempe vegetatio, sensatio, & discursus: ergo tres sunt vitæ, & gradus viventis. Probatur min. Modi vitæ sunt modi operandi, excedentes operationem naturæ inanimata: sed hi modi sunt tres: ergo &c. Prob. min. Datur operatio independens à qualitate corporea, & hæc est operatio animæ rationalis, quæ est suprema in genere vitæ. Rursus. Datur operatio media qualitate corporea, sed non ita materiali, ut sunt calor, & frigus; & aliæ qualitates immertæ in materia; & talis est sensatio, & vita sensitiva, quæ fit medijs speciebus sensibilibus. Tandem, licet vegetativa operentur, medijs primis, & secundis qualitibus;

non tamen operantur ab extrinseco, ut inanimata, sed ab intrinseco, & per intus sumpcionem: sed ultra tres hos modos operandi non est alius, qui excedat in perfectione modum operandi inanimatorum: ergo tres tantum sunt gradus vitæ.

Confirmatur ex D. Thoma 1. p. q. 17. art. 3. ubi notat, quod tria sunt in quolibet motu, nempe executio, forma causans motum, & finis propter quem fit motus. Quid quid movetur, vel se nullomodo movet, & sic est inanimatum. Vel se movet executivè, ceterum per formam causatam ab alio; & sic se movent vegetabilia motu quidem nutritionis, & augmenti; ceterum per formam datam ab Authore naturæ. Vel se movent non solum ad executionem, sed etiam ad formam causantem motum; & sic se movent sensitiva, quia per oculos, & sensus externos se movent ad acquirendas formas intentionales, & imagines rerum, quibus cognoscunt, & appetunt objecta. 3. potest aliquid se movere non solum ad executionem, & ad formam sui motus, sed etiam quantum ad finem, in quantum præstituit sibi finem operandi. Talis est homo, vita intellectiva præditus, qui non solum ellicit motus suos, & acquirit formas intelligibiles, quibus se moveat, sed designat sibi finem, propter quem operatur: ergo tres sunt tantum vitæ, & tres tantum gradus animæ. Vide aliam confirmationem in B. Egidio lib. 2. de Anim. text. 3. §. Dubitaret forrè.

Solvuntur objectiones contra communem sententiam.

4. **P**RIMO objectiones contra vitam vegetativam plantæ. Magnes ferro nutritur, si diu illud conjunctum retineat; item ignis pabulo nutritur: & tamen nec magnes, nec ignis habent animam vegetativam: ergo malè ex potentia nutritiva colligitur in plantis anima vegetativa. Rursus, si plantis convenit vita vegetativa, eis etiam convenit vita sensitiva: sed hoc negat communis sententia: ergo debet negare vitam vegetativam. Probatur maj. in plantis est potentia appetitiva; sed hæc arguit vitam sensitivam: ergo &c. Probatur maj. Plantæ fugiunt noxium, & prosequuntur profiquum; v.g. vitis fugit laurum, & amplectitur ulmum: sed hæc fiunt per potentiam appetitivam: ergo &c. Confirmatur. Vita in plantis probata est in Psalm. 77. ubi plantis tribuitur occisio: sed occisio convenit habentibus vitam sensitivam: ergo plantis concedenda est vita sensitiva, vel neganda vita vegetativa.

Hæc levia sunt. Ad 1. dicitur, quod magnes, & ignis non nutriuntur propriè, quia non crescunt secundum omnes suas partes, quod est propriè nutriri, & fit per intus sumpcionem: nutriuntur impropriè, & secundum illas partes crescunt, quæ tangunt pabulum, & ferrum; quod

fit per juxta positionem. Sicut flumen, cui adjungis aquam, crescit quidem, sed non secundum omnes fluminis partes, sed secundum illas quibus fit additio recentis aquæ. Vita vegetativa est nutritio propriè.

Ad 2. dic, quod plantæ habent potentiam appetitivam naturalem, & ad unum inclinam, quæ nullam supponit cognitionem, sed datur à natura, ut dictum est ex lib. 1. Logicæ q. 1. Potentia appetitiva propria vitæ sensitivæ est illa, quæ supponit cognitionem sensitivam, per species intentionales, quas vivens recipit per sensus. Hæc appetitiva non datur in plantis: quare nec in eis probatur vita sensitiva. Hinc ad confirm. dic, quod occisio infert carentiam vitæ: & cum in plantis sit vita vegetativa, & non sensitiva; occisio in plantis non infert vitam sensitivam. Unde S. P. N. August. ubi suprâ dicit, quod planta, *Quamvis non sentiat, vivit; ac per hoc potest mori, & occidi.*

5. Objicies 2. contra divisionem animæ. Diffinitio nihil aliud est, quàm diffinitum: sed diffinitio animæ est quadruplex; dicitur enim à Philosopho, quod anima est *id, quo vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus*: ergo anima est quadruplex, nempe vegetativa, sensitiva, loco motiva, & rationalis. Secundò juxta communem sententiã, quatuor sunt genera viventium, & animatorum; nempe vegetativum, sensitivum, loco motivum, & rationale: ergo quatuor sunt animæ. Pa-

tet

tet consequentia, quia animatum formaliter constituitur per animam, nec possunt multiplicari concreta, nisi multiplicentur formæ abstractæ. Tertiò, dum ponuntur tres animæ, vel ponuntur tres species, vel tria genera? Non primum, quia vegetativa, & sensitiva sunt genera, & differunt genere. Non secundum, quia anima rationalis non est genus, sed species infima. Quartò in bona divisione una species nequit aliam continere: sed anima rationalis continet sensitivam, & sensitiva continet vegetativam: ergo non sunt tres species dividentes rationem communem animæ. Tandem anima cognoscitur per suas potentias, & potentia per actus: sed potentia animæ sunt quinque: ergo & animæ.

Ad 1. respondetur, quod in verbis Philosophi solum datur triplex animæ diffinitio, quia *ly loco movemur* non est diffinitio, nec pars diffinitionis, sed est explicatio animæ sensitivæ per operationem magis notam, quàm sit sensitio. Ita communiter Interpretes, ut videre est apud B. Ægidium lib. 2. de Anim. text. 31. Hinc fit, quod non datur anima loco motiva, distincta à sensitiva. Ad 2. nego antecedens, quia licet Card. Aguirre cum alijs contendat, quatuor esse genera viventium, communior opinio hoc negat, contendens, tres tantum esse gradus. Ceterum admissio antecedenti, nego consequ. quia gradus viventis in ea sententia non multiplicantur penes distinctas vitas, sed penes diversos

modos habendi vitam. Quare vita sensitiva, quæ est unica constituit duos gradus vivendi, unum sentiendo tantum, ut in ostreis, & conchileis; alterum sentiendo, & loco movendo, ut in ceteris animantibus.

Ad 3. dic, animas esse tres species, vegetativam, & sensitivam species subalternas, rationalem autem speciem infimam. Ad 4. dic, quod una species animæ non continet aliam formaliter, bene tamen æquivalenter, aut virtualiter, quatenus inferior continetur in superiori.

6. Observa ab aliquibus longam quætionem institui circa modum, quo anima rationalis continet vegetativam, & sensitivam. In qua quætionem Thomistæ cum Cajetano lib. 2. de Anima text. 30. docent, animam rationalem continere vegetativam solum eminenter. Quod probant, quia vegetativum formaliter tale, est materiale formaliter, & divisibile. Sed anima rationalis non est formaliter materialis, & divisibilis, sed solum eminenter: ergo anima rationalis solum eminenter continet vegetativam.

Per oppositum DD. Societatis cum eximio Suariorum docent, continentiam esse formalem, & eis subscribunt ex Thomistis Complutenses, & Ioann. à Thom. Probant. Quia anima rationalis dat homini formaliter esse vegetativum, & sensitivum: sed dat quod continet, & modo, quo continet: ergo continet formaliter esse vegetativum, sensitivum. Rursus Anima rationali convenit formali-

ter

ter definitio animę vegetativę, & sensitive: ergo est formaliter vegetativa, & sensitiva. Patet consequenter quia arguitur à definitione ad definitum.

In hac quaestione multum est de voce, ut fatetur Ripalda in manuscriptis: quo dato, congruentior est modus loquendi Cayetani. Ei subscribens, dicendum nobis est, quod anima rationalis est, ut quod, formaliter spiritualis, & eminenter materialis vegetativa, & sensitiva. Ceterum ut quo est formaliter vegetativa, & sensitiva. Primum patet, quia anima in se formaliter est spiritus indivisibilis, & inextensa: ergo non continet formaliter, ut quod animam vegetativam; & sensitivam, quę sunt extensę, divisibiles, & materiales. Secundum patet, quia anima rationalis est id, quo homo constituitur vegetabilis formaliter, & sensitivus: ergo anima est, ut quo formaliter vegetativa, & sensitiva. Nec requiritur, ut præter istos effectus formaliter, quod sit formaliter ut quod talis. Probat. Nam apud omnes (exceptis Scotistis) anima rationalis constituit hominem formaliter corporeum: & tamen anima rationalis non est formaliter corporea, ut quod, sed eminenter corporea ut quod, & formaliter corporea ut quod.

Ultima probatio argumenti positi num. 3. est levis momenti, nam animę non multiplicantur ad multiplicationem suarum potentiarum, ut patet in anima irrationali; cujus

potentię sunt tres: nempe memoria, intellectus, & voluntas: & tamen anima rationalis est una: ergo licet in viventibus sint quinque, aut plures potentię, non idem animę sunt plures, quàm tres. Et ratio esse potest, quia sicut una potentia plures elicit operationes; ita una anima plures potest radicare potentias: ergo sicut ex pluralitate operationum non sequitur pluralitas potentiarum, ita ex pluralitate potentiarum non sequitur pluralitas animarum.

§. III.

De anima loco motiva, ubi etiam de animatione Cælorum.

7. LICET ex §. antecedenti confiteri, non dari quartam speciem animę, quę sit loco motiva, adhuc urget dubium ex duplici capite, nempe à ratione, & ab experientia, ad suadendum hoc quatuor genus animę. Ratio formatur sic. Licet in anima rationali sit unicus gradus intellectivus, & gradus sensitivus, ac cõstituant diversas animas, quia in brutis reperitur gradus sensitivus sine intellectu. Similiter licet in brutis sint adunati gradus sensitivus, & vegetativus: cõstituunt diversas animas, quia in plantis reperitur vegetativus sine sensitivo: atqui in Ostream, conchilijs, & alijs reperitur gradus sensitivus sine gradu loco motivo: ergo gradus loco motivus constituit quartam speciem animę distinctam à reliquis. Accedit experientia in Cælis, & astris. Sed quoniam de eis lon-

ga manet discussio, idem ante eam solvemus hanc rationem.

8. Ad illam dico 1. quod in Ostream, & alijs non plene separatur gradus sensitivus à loco motivo, quia aliquantulum se movent. Quod patet ex signo sensationis, nam si pungis Ostream, se comprimit. Compresio signum est sensationis, & etiam aliquantulum motus, quo per compressionem & dilatationem se movent hæc viventia, licet imperfecte. Dic 2. quod gradus vitę, & animę multiplicantur juxta multiplicationem earum operationum, quę excedunt communem modum operandi inanimatorum: sed operatio potentię loco motivę non excedit communem modum operandi inanimatorum perfectione distincta majori, aut minori, quàm sit perfectio potentię sensitivę: ergo non constituit diversum gradum vitę à gradu sensitivo. Minus probatur. Potentia sensitiva excedit communem modum operandi inanimatorum, quia se movet ad executionem sensationis, & operatur per species intentionales acceptas à sensibus; sed etiam potentia loco motiva sic se habet, & per species intentionales noxij, & proficui attrahitur, vel retrahitur: ergo &c.

9. Major est difficultas pro eodem asserto quartę animę loco motivę argumento sumpto à Cælis, & astris, quę moventur, & quidem à principio intrinseco, ut plures opinantur, & ratio inde sumpta formatur sic: Cæli, & astra consimiliter ad suam naturam moventur: et-

ergo moventur à principio intrinseco talis motus: sed quod in se habet principium intrinsecum sui motus, se ipsum movet: ergo Cæli se ipsos movent; sed quod se ipsum movet, vivit, quia vita est motus à se, & in se, ut dictum est: ergo Cæli, & astra vivunt; sed quod vivit, habet animam, quę est vita in actu primo, ut dictum est: ergo Cæli sunt animati, & eorum anima erit loco motiva, cum non sit vegetativa, sensitiva, aut rationalis.

Et confirmatur argentiissime. Nam Cæli, Sol, & Astra sunt causa eorum animalium viventium, quę pluries generantur ex putri; sed quod non est vivens non potest esse causa viventium, nec dare vitam, quę non habent: ergo quia Sol, & astra vivunt vita eminentiori, quàm sit vita animalium ab ipsis genitorum.

Nec valet dicere cum communi Philosophia, tales effectus sublunares tribuendos esse non Cælo, & astris, sed intelligentijs motricibus Cælorum, quę cum sint Angeli, continent eminenter perfectionem omnium sublunarium.

Nec valet hoc effugium, quia virtus intrinseca Cælorum non potest elevari per extrinsecam assistentiam Angelorum: sicut à Thomistis dicitur, quod intellectus humanus non potest elevari ad operationem supernaturalem per solam extrinsecam assistentiam Dei; & ratio est clara, quia assistentia extrinseca non mutat intrinsecè: ergo virtus per assistentiam extrinsecam manet in-

trinsecè, sicut erat ante assistentiam: sed virtus ante assistentiam erat intrinsecè impotens: ergo etiam post assistentiam manet intrinsecè impotens. Hæc ratio, quæ probat juxta Thomam de intellectu nostro impotente elevati per solam extrinsecam assistentiam, probat etiâ, quod Cæli, & alia, quæ intrinsecè non possunt producere animalia viventia, non possunt etiam in vi intelligentiæ extrinsecè assistentis: ergo restat, quod virtute propria producant Cæli hæc viventia animata: quare ex effectu Cælorum dicendū venit, Cælos esse animatos anima loco motiva, superiori in perfectione ad animas sublunares.

9. Propter hanc rationem, & alias, magna fuit antiquitūs controversia circa animationem Cælorum, & luminarium, quam refert D. Thom. 1. p. q. 70. art. 3. ubi inquit, *Verum luminaria Cæli sint animata?* Respondet negativè, & primò refert varias opiniones his verbis. *Respondet dicendum, quod circa istam questionem apud Philosophos fuit diversa opinio. Anaxagoras enim, ut S.P.N. Augustinus refert lib. 8. de Civit. Dei, factus est reus apud Athenienses, quia dixit, Solem esse lapidem ardentem, negans utique ipsum esse Deū, vel aliquid animatum. Platonici verò posuerunt corpora cælestia animata.*

Similiter etiam apud D.D. fidei fuit circa hoc diversa opinio. Origines enim posuit corpora cælestia animata. Hieronymus etiam idem sentire videtur exponens illud Eccles. 2. lustrans uni-

versa per circuitum pergit spiritus: Basilus verò, & Damascenus asserunt corpora cælestia non esse animata. S. P. August. verò sub dubio dereliquit in neutram partem declinans, ut patet in 2. super Genes. ad litteram, & in Enchiridio, ubi dicit, quod si sunt animata cælestia corpora pertinent ad societatem Angelorum eorum animæ. Deinde accedit ad ferendum iudicium, & excludit à luminaribus Cæli omnem animam vegetantem, sentientem, ac ratiōnalem, atque &c.

10. Hic obiter nota, quàm leviter ductus est Ioannes Martinus, alio nomine Antoninus Morcines, qui in suo Antijansenio exprobat S. P. N. August. *Quod dubitavit nunc Sol, & Luna, aliæque sidera, quæ oculis conspicimus sint animata?* Hoc dubio reponit Morainius inter S.P.N. August. errores, quos prius collegit Ioannes Dallæus perfidissimus Calvinista lib. de Bono usu PP. ubi sententiam de animatione Cælorum tribuit Divis Hieronymo, Fulgentio, Chrisologo, & alijs.

Ab hac calumnia vindicat S.P. August. N. Norixius in vindictijs Augustinianis cap. 4. §. 2. ubi notat, calumniam ortam ex defectu eruditionis. Nam ut reliqua, quæ in Norixio videbis, prætermittamus, sufficit unus articulus D. Thom. ad ostendendum, quod non fuit error dubitare de animatione Cælorum, cum sub lite fuerit decisio, tam apud Philosophos, quàm apud D.D. Ecclesiæ. Immo ut mireris magis, vide Cardin. Aureolum acutissimum

Theo-

Theologorum in 2. dist. 14. quæst. 2. art. 4. ubi collectis ex utraque parte fundamentis, & ab eo solidissimè solutis, sic concludit. *Si ergo tantus Doctor August. in hac materia dubitavit, ego nihil desinno in hac parte.* Hæc verba allegat Card. Noris, & reponit sic: *Risendus igitur Morainus, qui August. dubitationem inter errores rejicit, quam sublistenus Scholasticorum Aureolus sola S. D. auctoritate, atque ex ipso motu secutus est.* Quid tandem sentent S.P. Augustinus dicemus infra.

11. Eandem quæstionem jam ferè antiquatam, denud invexerunt in Scholas aliqui RR. sequentes Eusebium Nierembergium lib. 6. de Vita Stellarum cap. 24. & 25. ubi tribuit cælo, & stellis animam quæ sit primum principium motus localis, quæ anima est perfectior, quàm vegetativa, & forsam eminenter continet animam etiam sensitivam.

Eundantur in eo, quod cæli habent virtutem producendi multa viventia in his sublunariis, v.g. mulcas in aëre, serpentes in luto, ranas in aquis, gramina in arvis, &c. ergo cæli, & Astra sunt animata, & vivunt saltem eminenter. Rursus ex Aristotele hic docente, quod anima est id, *Quo loco movemur.* Sed cæli, & Astra moventur à se: ergo animata sunt. Et augetur: nam licet cæli moveantur ab Angelo quoad accuratissimas sui motis leges, non tamen neganda est cælis vis ad motum quoad substantiam;

sicut homines præceptis ducuntur ad elegantiores corporis flexus, & tamen in eis est congenita causa regularis motus. Hæc, & alia expendit Causinus florida eloquentia lib. de Domo Dei cap. 7. & 12. quibus adde, quæ collegit Card. Aureolus loco citato.

12. Nihilominus contraria sententia est communis, & vera, quæ à nostro Gavardi dicitur dogma Fidei post quintam Synodum, & post Concilium IV. Lateran. ubi damnatus fuit Almericus, Sectator sententiæ Varronis, qui ut docet S. P. N. August. lib. 7. de Civit. Dei cap. 9. arbitratus fuit, Deum esse animam mundi; crediderim, sententiam contrariam damnatam esse in sensu ab affectoribus damnatis intento, & posse impunè defendi, si reducatur quæstio ad solos terminos, quibus discussa fuit, teste D. Thom. à SS. PP.

Quidquid sit, probatur communis sententia 1. ex 5. Synodo statuite: *si quis dixerit, Cælum, & Solē, & Lunam, & stellas, & aquas, quæ super Cælo sunt, animas, & materiales esse quosdam virtutes: anathema sit.* Confirmatur ex S.P. N. August. tract. 1. in Ioannem. Ad illa verba: *Quid factum est in illo vita erat,* ubi hæc habet: *Arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia, antequam proficiantur. &c. terram vides, est in arte vita. Cælum vides. Solem, & Lunam vides, sunt & ista in arte; sed foris corpora sine vita, sine*

anima sunt; in arte vita sunt. Ecce expressè docet, Cœlos, & astra non esse animata. Et licet alibi dubitativè procedat, hoc ideo, quia ibi novit prolixam texere quæstionem, ceterum ubique propendit in partem negativam.

Et confirmatur ex eodem S. P. lib. 13. de Civit. Dei cap. 16. ubi dicit: *Nec enim Platoni credendum est, globos istos luminum, sive orbiculos luce propria super terras die, seu nocte fulgentes suis quibusdam proprijs animis vivere, &c.* Hujusmodi rationem dedit in Epistola ad Orosium cap. 8. dicens: *De Sole, & Luna, ceterisque syderibus, quod cœlestia sint corpora videmus: quod animata sint, non videmus. De Divinis hoc libris legitur, & credamus.*

13. Ex dictis duplex sumitur validum argumentum. Primum est sic. Juxta P. N. August. videmus, quod Cœli, & astra sunt corpora, ceterum non videmus, quod sint animata; at videmus, quod moventur: ergo motus Cœlorum non probat Cœlos esse animatos, & consequenter ruit potissimum argumentum desumptum ex motu.

Secundum juxta P. N. August. q. de Animatione Cœlorum debet dissolvi ex his, quæ in Scriptura leguntur; sed in Scriptura legimus, vitam vegetativam plantarum, sensitivam animalium, & intellectivam hominum; non autem vitam locomotivam Cœlorum: ergo quia in cœlis, & astris nulla est vita, nec datur nisi triplex viventium gradus.

Probatur min. Nam Genes. 1. Moy. ses non fecit mentionem animæ, nisi in productione plantarum, & animalium aquatiliam, volatiliam, & terrestrium illis verbis: *Producat terra animam viventem in genere suo, &c.* Et infra: *In universis, quæ moventur in terra, & in quibus est anima vivens.* Et cap. 2. loquens de productione hominis dicit: *Et factus est homo in animam viventem.* Dum autem loquitur de cœlis, & astris nullam vitæ mentionem facit: ergo quia nullam habent vitam, quam si haberent, à fortiori descripsisset, quia cum sint corpora longinqua, & remota à cognitione nostra, deberet nos instruere potiori ratione.

14. De mente D. Thom. constat expressè 1. p. q. 70. art. 3. cujus verba dedimus. De mente B. Egidij constat locis datis à N. Gaurardi, & ab eo sumitur ratio pro communi sententia. Formatur sic: Vivens essentialiter importat principium vivendi; sed in cœlis, & astris nullum est principium vitæ, nec intrinsicum alicujus motus: ergo non sunt viventia. Min. probatur, quia cœli non habent principium vitæ vegetativæ, nam hæc fundatur in corruptione, & generatione; cœli, & astra sunt incorruptibilia: nec habent principium vitæ sensitivæ, quia carent organis ad sensationem necessarijs, ut sunt nervi, muscoli, spiritus animales geniti ex sanguine, &c. Tandem non habent principium vitæ intellectivæ, quia eorum forma non est anima rationalis.

Nec

QVÆSTIO. I.

Nec ex motu colligitur vita, quia motus ille non est à principio intrinsicum, sed ab extrinsecum, nempe ab Angelo assistente, & movente, sicut movetur rota figuli à figulo, quin motus ille sit vitalis.

Confirmatur ex D. Thom. loco laudato sic. Vita tantum est triplex, nempe vegetativa, sensitiva, & intellectiva; sed nullæ apparent in cœlis, & astris: ergo non sunt animata. Probatur min. & de vegetativa sic. Præcipua potentia vegetabilium est nutritiva; sed hæc non datur in cœlis, & astris; nam unde erit copia ciborum pro nutrienda tanta mole cœlesti? Nam vapores terræ, quos quidam dixerunt, esse astrorum alimenta, præcipua solis, imò & tota terra non sufficeret ad alimentum unius diei, cum Sol sit tot vicibus major terra. De vita sensitiva patet. Tum quia non sunt in cœlis organa ad sensationem, ut dictum est: tum etiam, quia finis omnis operationis sensitivæ est protectio animalis à nocivis, & procuratio necessariorum ad vitam. Hic finis non habet locum in corporibus cœlestibus. Tandem de vita intellectiva patet, quia hæc non petit corpus nisi ad acquirendas species per sensus; unde in Angelis, qui habent species infusas non datur corpus, nec illis est necessarium ad vitam intellectivam: ergo si cœli corporales habent vitam intellectivam, idem est, quia veniunt à corpore, & sensibus corporalibus, ut intelligant. Quare eorum vita intellectiva erit,

§. II.

19 sicut in hominibus, dependens à vita sensitiva. Sed cœlis repugnat vita sensitiva, ut probatum est: ergo in eis non datur vita intellectiva.


15. Ad fundamentum in contrarium positum num. 8. respondetur facile ex dictis, negando, quod cœli moveantur à se, & quod habeant principium intrinsicum sui motus: moventur enim, sicut rotæ horologij infimum cœlum ab immediato superiori, & hoc ab immediato usque ad cœlum primum mobile, quod movetur ab intelligentia assistente, quale movetur ab extrinsecum, & sic non vitaliter. Forma autem orbicularis conducit ad motum circularem, sed non probat principium vitale, sicut non probatur in rota figuli, ex forma circulari.

Ad conf. ibidem positam dicimus, cœlos non esse causam principalem generationis viventium, sed esse causam instrumentalem; ut ergo instrumenta ab agenti eleventur, non est opus immutatione intrinseca, sed satis est, quod in actu secundo actio instrumenti elevetur intransitivè per solam subordinationem ejus ad agens principale, ut dictum est lib. 2. Physicæ q. 11. §. 2. Hujusmodi elevatio intransitiva per solam subordinationem instrumenti in actu secundo, optimè compatitur cum sola extrinseca assistentia causæ principalis: quare per solam extrinsecam assistentiam Angeli moventis cœlos satis eleventur ad productionem viventium sublunarium; nec valet instantia de doctrina

na Thomistica contra elevationem intellectus nostri per extrinsecam assistentiam. Nam hæc doctrina Benè probat de instrumentis, quæ non sunt rigorosa, & sunt simul causæ principales, & vitales, ut est intellectus noster respectu operationum supernaturalium vitalium, quas debet continere in actu primo, ut principium vitale; & sic debet elevari in actu primo, quod nequit fieri per extrinsecam assistentiam. Cæli autem sunt instrumenta rigorosa pro-

ductionis viventium sublunarium.

Ab alijs respondetur Cælos nõ gignere hæc animalia inferiora, sed gigni à quibusdam seminibus latentibus, quæ derivata sunt ab alijs substantijs animatis. Per hoc patet ad illa objecta posita num. 11. quæ in idem reddunt. Vide alia in Auteolo loco citato. Adde, quòd animalia genita in his sublunarijs sunt sensitiva: ergo si inde probatur Cælos vivere, probatur eos sentire.



QUESTIO III.

An in quolibet vivente sit unica anima, an verò dentur formæ subordinatæ realiter distinctæ in eodem subjecto?

§. I.

Quibusdam notatis referuntur sententiæ cum suis fundamentis.

1. **N**ON est dubium, animam vegetativam, quæ est in planta realiter differre à sensitiva, quæ est in bruto. Quare inquiritur de eodem supposito, nempe an vegetativa, & sensitiva, quæ est in leone; an etiam vegetativa, sensitiva, & rationalis, quæ est in homine sint duæ, aut tres animæ realiter distinctæ; an verò vegetativa, sensitiva, & rationalis sit unica anima per identitatem?

Et omissò errore Manicheorù, qui in quolibet homine posuerunt duas animas, unam bonam, quæ

inclinat ad bonum, alteram malam, quæ excitat ad malum: quem errorem altero involutum tradiderunt, docentes bonam animam creatam à Deo, alteram à dæmone procedentem, ut colligitur ex P. August. lib. de Hæresibus hæres. 46. & lib. de Genes. ad litteram cap. 7. & lib. de duabus animabus contra Manicheos.

Omittimus etiam sententiam illam nostri Veneri, & Burlæi, qui in omni individuo duas formas agnoverunt, unam universalem, alteram particularem, ut ita invenirent uni-

per.

versalia in rebus. Huc accedit aliorum sententiæ docentium, tot esse formas substantiales in composito, quot sunt predicata essentialia illius. Hoc placitum impugnâvimus in Logica lib. 3. agentes de universalibus realibus. Omittimus etiam sententiam Scotistarum de forma corporeitatis, quæ datur in viventibus realiter distincta à forma viventis. Nam illam impugnâvimus lib. 1. Physic. q. 15. §. 2. Vide etiam in eadem quæst. varios errores circa pluralitatem formarum citatos §. 1. ubi satis impugnantur, & ne ibi dicta iterum repetantur, eis adjuge, quæ hic proponemus.

2. His notatis, aliqui Philosophi docent, in homine animam vegetativam, sensitivam, & rationalem esse realiter distinctas, licet subordinatas. Citatur ex antiquis Plato. In Timæo, ex modernis eam tenet Landanus lib. 1. de Anim. quæst. 8. & 12. Philopponus 1. de Anim. Zavarela de facultate animæ cap. 8. Gandavensis Quodlib. 7. quæst. 8. Okamus quodl. 2. q. 20. & Maioron 2. Sentent. dist. 15. q. 1. admittunt in homine ultra animam rationalem solam animam sensitivam.

Fundatur hæc sententiæ in Aristot. 2. de Generat. cap. 13. dicente de homine, quòd fœtus prius vivit vita plantæ, postea animalis, ac tandem vita hominis: ergo quia in homine sunt tres vitæ in actu primo realiter distinctæ, cum se realiter præcedant; ergo sunt tres ani-

mæ realiter distinctæ à quibus sumitur triplex vita in actu primo.

Secundò probatur ex 3. Danielis, ubi dicitur: *Benedicite spiritibus, & animæ iustorum Domino.* Sed nomine spiritus significatur anima rationalis, & nomine animæ significatur anima sensitiva: ergo saltem in homine sunt duæ animæ. Ad idem adducuntur verba Apost. dicentis: *Caro concupiscit adversus spiritum.* Sed ab eodem principio, & anima non possunt oriri motus contrarij: ergo ex tali pugna colligitur, duas esse in homine animas sensitivam, & rationalem.

3. A ratione probatur. Operationes specie differentes arguunt formas specie diversas; sed in homine dantur operationes specie diverse, nempe vegetandi, sentiendi, & intelligendi: ergo in ipso datur triplex anima. Confirmatur 1. Anima vegetativa, & sensitiva in homine sunt extensæ organicè; anima autem rationalis est inextensa, quia est spiritualis, & incapax quantitatis corporeæ. Sed implicat, extensum, & inextensum esse idem realiter, quia implicat corpus spiritu identificari: ergo idem.

Conf. 2. Operationes vitales sunt immanentes, & idèd subjectantur in principio, à quo eliciuntur; sensatio, & vegetatio nequeunt subjectari in anima rationali; quia materiale nequit recipi in re spirituali: ergo in homine ponenda est anima vegetativa, & sensitiva, in quibus subjectentur vegetatio, & sen-

sen-

fenfatio. Tertio, in homine triplex est, fcilicet, vegetativum, fenfitivum, & rationale: ergo est triplex forma, à qua sumitur effe. Quarto anima rationalis est incorruptibilis; sed homo est corruptibilis: ergo ultra animam rationalem ponenda est in homine anima corruptibilis, hæc est vegetativa, & fenfitiva.

4. Ultra assertiones arguit Card. Aguirre in favorem ejusdem sententia sic: eadem anima non potest creari, & generari: nam creatio non præsupponit subjectum, generatio illad supponit; sed de fide est, quod anima rationalis in homine creatur; anima verò hominis fenfitiva generatur: utraque anima in homine est realiter distincta. Minor quoad secundam partem probatur. Primo, quia generans hominem ponit ultimam dispositionem ad animam fenfitivam: ergo illam generat, nam qui ponit ultimam dispositionem ad formam, producit formam. Secundò probatur min. ex Philosopho 7. Metaphys. text. 30. dicente: *Causa potens adhibere medium ad certum finem, potest ipsum exequi, & obtinere.* Quod verum est de medio ex natura rei connexo cum fine. Sed ultima dispositio ad animam fenfitivam est medium connexum cum ipsa, ut patet ex Philosopho 1. Physic. text. 74. ergo &c. Et confirmatur ex generatione humana, in qua generans aliquid producit; sed non materiam, quia hæc est ingenerabilis; non etiam animam rationalem, quia hæc fit per crea-

tionem; non item modum unionis, quia hic non datur juxta plurium sententiam: ergo ut generans aliquid producat, debet poni in genito anima vegetativa, & fenfitiva. Hoc latè versatur ab Aguirre, sed illud omittimus, quia lib. 1. Physic. q. 18. propositum, & solutum est.

5. Argues 3. cum eodem, esse vegetativum, & fenfitivum in homine est effectus formalis proveniens ab aliqua forma animante; sed non est effectus animæ rationalis: ergo animæ vegetativæ, & fenfitivæ realiter distinctæ. Probatur min. Esse vegetativum, & fenfitivum in homine, est aliquod distinctum ab anima rationali homini communicata, sed nullus effectus formalis est quid realiter distinctum à forma, ut communicata: ergo esse vegetativum, & fenfitivum non est in homine effectus animæ rationalis. Probatur maj. Esse vegetativum, & fenfitivum in homine est formaliter materiale; sed quod est materiale, distinguitur ab spirituali, anima autem rationalis etiam non communicata est spiritualis: ergo.

Quartò argues cum eodem. Post mortem hominis, recedente anima rationali, manet vegetativa, & fenfitiva: ergo quia distinguuntur realiter, cum realiter separantur. Antecedens probatur experientijs. Primo, in cadaveribus hominum visunt dentes crescere, ungues, & capilli, & quidem ab intrinseco, cum non creverint per appositionem materiæ

teriæ; sed incrementum ab intrinseco est signum evidens animæ vegetativæ: ergo discedente anima rationali, manet in corpore anima vegetativa. Secundò: in corde humano recentè distracto à corpore, visum est per breve tempus fieri pulsationes regulares: istæ indicant animam fenfitivam. Tertio: capita punitorum recens amputata, saltus edunt, & sursum moventur: ergo idè. Tandem apud Sanctacrucium lib. 3. de Anim. disp. 3. q. 1. legitur, caput hominis recentè abscisum clausisse os apertum, ut morderet digitum cujusdem tangentis ejus linguam: sed tunc non inerat anima rationalis: ergo sola fenfitiva.

6. Contraria sententia est communis omnium Scholasticorum cum Aristot. lib. 1. de Anim. cap. 4. & 5. & cum D. Thom. tum hic. Tum 2. contra Gët. cap. 89. & 1. p. q. 76. art. 3. ubi rem ex professo tractat. Accedit Scotus, & Durandus, necnò reliqui DD. Veteres, & RR.

Probatur 1. ex Synodo generali octava, quæ est Constantinopolitana quarta, ubi can. 11. dicitur: *Apparet quosdam id temporis in tantam impietatem venisse, ut duas in homine animas impudenter dogmatizent. Quos omnes, & similia sentientes, cum veteris, & novum testamentum, & omnes Ecclesiæ PP. unam animam rationalem in homine asseverent, Sancta universalis Synodus anathematizat.* Hic Canon formatus est contra errorem Manicheorum supra relatam; ceterum etiam scedit reli-

quos, qui alijs titulis ponunt in homine duas animas, quia Canon dicit: *Et similia sentientes*, ut notat Toletus.

Si dicas cum Okamo Synodum loqui de duabus animabus rationalibus, non de duabus, quarum una sit rationalis, altera fenfitiva.

Contra est: nam in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus apud S. P. N. Aug. c. 15. dicitur: *Nec duas animas dicimus, esse in homine, unam animale, qua animetur corpus, & immixta sit sanguini; alteram spiritualem, qua rationem ministrat, sed dicimus, unam esse, & eandem animam in corpore, qua corpus sua societate vivificet, & semetipsam sua ratione disponat.* Hinc patet, quod sententia ponens in homine unicam animam fuit communis omnium PP. quorum cathalogum adducit Aguirre, & contraria de pluralitate animarum fuit PP. exorsa. Accedit, quod à multis censuratur sententia illa censura Theologica, & à B. Alberto Magno lib. de Origine Animæ, cap. 4. vocatur error contra omnem veritatem naturæ. Excusantur tamen DD. Catholici, qui eam defenserunt post Concilium allegatum, quia verba ejus latuerunt, nec in omnibus codicibus legebantur, ut ostendit Aguirre loco citato.

7. Probatur à ratione communis sententia. Primo, quia anima illa fenfitiva, aut etiam vegetativa distincta, mortuo homine, vel corrumpitur, & desinit esse, vel manet. Si primum: ergo mortuo Christo Domi-

Domino, aliqua anima, & ideo aliqua substantia corrupta est, & dimissa à Verbo, contra illud: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* Et quidem substantia maximè principalis, & maximè sp. etans ad humanitatis constitutionem. Si secundam, vel illa anima sensitiva mansit unita corpori; & sic corpus Christi in triduo mortis non fuit mortuum; sed vivum vita sensitiva, quod est hæreticum. Vel mansit separata; & hoc est miraculum inauditum; cum forma materialis sine subjecto esse non possit. Idem est, si dicatur, mansisse unitam Verbo simul cum anima rationali. Hæc ratio est theologica.

Philosophicè prob. 1. à priori sic. Potest eadem anima simplex in bruto ratione perfectionis suæ habere virtutem vegetativam, & sensitivam, & in homine virtutem discurrendi: ergo sic dicendum, cum non sint multiplicande entitates sine necessitate. Antecedens probatur. Palsim experimur, simplicem entitatem ob sui excellentiam continere virtutem, & operationes plurium imperfectorum. Sic Sol continet lucem, calorem, pluresque alios effectus, quos causæ inferiores distinctæ producant. Sic phantasia elicit sensationem coloris cum visu, odoris cum olfactu, & saporis cum gustu: ergo &c. Tum etiam in casu presenti eadem anima sensitiva, etiam juxta adversarios habet virtutem exercendi operationes vitales videndi, audiendi, & alias, quæ diversa organa

requirunt, item vim habet cognoscendi, & appetendi, & rationalis anima habet simul virtutem intelligendi, & amandi; sed istæ non minus distant inter se, quàm operationes nutriendi, & sentiendi: ergo.

Si dicas: operationes nuper relatatas convenire in eodem gradu elevationis à materia, secus operationem nutritivam, & sensitivam. Contra est, quia virtus ad operationem magis elevata potest tecum identificare virtutem ad operationem minus elevatam: *Nam qui potest ad magis, potest ad minus: & quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt collecta:* ergo. Nec ex diversitate operationum, nec ex inæqualitate elevationis à materia probatur multiplicitas animæ in eodem subjecto.

8. Secundò probatur à posteriori notissimo experimento, quo constat in homine, quando nimis intendit mentis operationibus contemplandi, aut discurrendi, impeditur tunc operationes sentiendi, ita ut sæpè non audiat vehementem sonum; immodò nec sentiat vehementer tactus, tum etiam impeditur, ne vegetet, & ne perfectè coquat alimentum; sed hoc non accideret, si diversæ essent animæ, à quibus sunt illæ operationes: ergo.

Confirmatur, quia omnis anima sensitiva in bruto est intrinsicè vegetativa: ergo &c. Probatur antecedens. Omnis sensitiva est virtus generandi; sed hæc virtus est animæ vegetativæ: ergo &c. Probatur maj. principium, & virtus generan-

di animam sensitivam equi non est vegetativa equi generantis, utpotè imperfectio: ergo est sensitiva: urgetur, quia animam esse intrinsicè vegetativam, est esse principium internum partium, & unionum, quibus substantia vivens augetur per nutritionem; sed ipsa anima sensitiva bruti est intrinsicè talis: ergo.

9. Probatur; Quodlibet vivens est unicum vivens: ergo habet unicam animam. Patet consequent. quia unitas viventis desumitur ab unitate animæ. Antecedens probatur. Nam si homo vivens non esset unicum, esset coacervatio viventium, scilicet plantarum, belluarum, & intelligentis. Hæc ratio est D. Thom. 1. p. q. 76. art. 3.

Conf. ex eodem ibidem. Principium radicale omnium actionum hominis est unicum; sed tale principium est anima: ergo anima est una in homine. Probatur maj. Primò, quia una operatio hominis, si est nimis intensa, impedit aliam, quod non contingeret, nisi principium operationum esset unum per essentiam, ut ibi docet D. Thom. Tum etiam ex summa subordinatione potentiarum, earumque consensu, cujus alia ratio reddi non potest, nisi radicatio in eadem essentia animæ.

Conf. 2. ex eodem ibidem. Anima superior continet inferiorem: ergo ubi est anima superior, superfluit inferior. Antecedens probatur. In subordinatis superior continet inferiorem. Sic Rex continet digni-

tates inferiores. Sic numerus ternarius continet binarium; sic quadrangulus continet triangulum. Sed anima vegetativa, sensitiva, & rationalis sunt subordinatæ, & ideo Aristot. comparat animas, & species numeris, & figuris: ergo.

6. II.

Præfertur communis sententia, & probatur, argumentaque solvuntur.

10. **N**OSTRA sententia est negativa cum communi placito, quam latè defendit B. Egidius tract. de Gradibus formarum, & locis datis lib. 1. Physic. q. 15. §. 1. Egidius sequuntur omnes DD. nostri, cum quibus sit nostra conclusio negans in homine animas distinctas realiter. Eam confirmo ex sacra Pagina: nam Genes. 2. dicitur de Deo creante hominem: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vite, & factus est homo in animam viventem.* En insinuat in homine unica anima, quæ propter Ss. PP. exponentes hunc locum, tenent in homine unicam animam. Ad idem adducitur illud Matth. 27. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Et de ipso in cruce pendente dicitur ibidem: *Clamans voce magna emisit spiritum.* Vbi insinuat, quod quid quid in Christo fuit anima, spiritus est. Et Lucæ 2. dicitur à Simeone: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Vbi non plures animæ; sed unica insinuat in B. Virgine.

Confirmatur ratione desumpta ex P. N. August. lib. 3. qq. q. 8. arguente contra Appollinarem docentem, Verbum Divinum in Christo assumpsisse animam sensitivam sine rationali; nam inde sequitur, quod Verbum Divinum non assumpsit naturam humanam; sed quandam belluam. Ratio formatur sic: si in homine præter animam rationalem datur anima sensitiva realiter distincta, sequitur hominem esse simul brutum, & rationale; sed hoc repugnat: ergo &c. Probatur sequela. Compositum resultans ex corpore, & anima tantum sensitiva, nequit non esse brutum. Sicut compositum resultans ex corpore, & anima rationali nequit non esse rationalis.

11. Hæc ratio non placuit P. Oviedo neganti sequelam, quia brutum importat animam sensitivam existentem in subiecto sine rationali, qualem ponebat Appollinares in Christo, & ideo impugnatur à P. N. Augustino. Contraria sententia ponit in homine animam sensitivam simul cum rationali.

Sed contra, & instauratur argumentum. Nam juxta P. N. Aug. Verbum assumens animam sensitivam tantum, assumeret belluam tantum; ergo juxta eundem, Verbum Divinum assumens animam sensitivam, simul & animam rationalem, assumeret simul belluam, & naturam humanam. Tale est nostrum argumentum, quod non inferat positionem sententiæ contrariæ, ho-

minem esse tantum brutum, sed brutum simul, & hominem, quia haberet animam bruti, & simul animam rationalem. Vide nostram Physicam quæst. citata num. 2. nec non Card. Aguirre disp. 78. ubi multis instaurat rationem istam. Nobis sufficiat unica instauratio ex P. N. August. Epist. 168. ubi ait: *implicat, quod aliquid sit, & non hoc, vel illud sit*: ergo implicat, quod forma sensitiva det gradum sentiendi, & non det esse completum in aliqua specie; sed juxta distinguentes animam sensitivam à rationali, sensitiva non dat speciem rationalem: ergo dat speciem irrationalem, & belluam.

12. Ad fundamenta contraria posita num. 2. facile respondetur, & ad primum desumptum ex Aristot. respondetur 1. cum D. Thoma 1. p. q. 118. art. 2. quem sequitur Aguirre disp. 57. de Anim. sect. 2. mentem Philosophi esse, quod in homine incipit esse anima vegetativa, quæ perijt, adveniente sensitiva; & sensitiva deperditur per adventum animæ rationalis: nam quælibet est superflua in conspectu perfectioris. Hoc positum, non convincitur intentum, quia pro nullo instanti sunt in homine tres illæ animæ; sed successive. Vel dic 2. cum alijs, Philosophum ibi insinuare, quod anima rationalis prius exercet in fœtu operationes vegetativæ, postea sensitivæ, ac tandem rationalis. Nec inde inferatur, quod in fœtu pro illis prioribus

bus non sit anima rationalis, sicut non inferatur, quod anima rationalis non sit in infantibus, licet in eis non exercent operationes rationales.

Ad aliud ex Daniele respondetur cum P. N. August. lib. de Spiritu, & anima cap. 9. dicente: *Anima, & Spiritus idem sunt in homine; quamvis aliud nomen Spiritus, & aliud anima. Spiritus namque ad substantiam dicitur, quæ spiritualis est, & anima ad vivificationem, quatenus vivificat corpus*. Nec illud Apost. quidquam probat, licet assumptum sit à Manichæis pro errore duarum animarum, quos explicat P. N. August. toto lib. de duabus animabus. Directè respondetur, motus illos contrarios procedere ab eadem anima, sicut ab eodem intellecta procedunt assensus, & dissensus.

13. Ad argumentum à ratione positum num. 3. respondetur, quod operationes specie diversæ arguunt formas specie diversas; sed non semper realiter distinctas; sed aliquando virtualiter tantum, ut contingit, quando forma superior continet inferiores. Sic accidit in Sole, plures, & specie diversos effectus producente; nec ideo Sol est multiplex realiter; sed unicus realiter, & multiplex virtualiter. Ad 3. conf. dic; animam vegetativam, & sensitivam, quando sunt separatæ à rationali, esse extensas formaliter; secus quando per identitatem sunt cum anima rationali, in quæ

continentur eminenter. Sic creaturæ materiales in se ipsis sunt extensæ; sed non sunt extensæ, ut continentur eminenter in Deo, qui est simplicissimus spiritus. Anima vegetativa, & sensitiva in homine, sunt per identitatem cum anima rationali purè spirituali, in quæ continentur eminenter, quare in homine non sunt extensæ tales animæ.

Ad 2. conf. respondetur quod operationes vitales hominis sentientis, & vegetantis, quæ sunt materiales, subiectantur immediatè in potentijs sensitivis, & organis materialibus, non autem in anima, quæ spiritualis est. Et si quæras, subiectum remotum talium operationum, hoc non est anima; sed totum compositum humanum, quod corporale est. Ad 3. conf. dic, quod esse vegetativum, sensitivum, & rationale, quod est in homine non est triplex esse realiter distinctum; sed unicum realiter, & triplex virtualiter, quare procedit ab eadem anima, unica realiter, & triplex virtualiter. Hinc ad 3. dic, quod anima vegetativa, & sensitiva, quæ sunt formaliter tales, sunt corruptibiles; secus quando sunt virtualiter tales. Sic calor formalis, qui reperitur in igne, est corruptibilis sicut ignis. Ceterum calor in Sole, ubi est virtualiter, est incorruptibilis, sicut Sol.

14. Ad argumentum Cardin. Aguirre facilè respondetur in nostris principijs. Primum positum num. 4. solvitur ex doctrina à nobis

bis data loco ibidem citato. Aliud positum num. 5. difficulter solvitur à communi sententia docentium, quòd effectus formalis formæ non distinguitur à forma communicata subjecto. Difficultatem solutionis vi debis in Aguirre, quem poteris sequi, si teneas commune placitum. At nostra sententia tenet cù B. Ægidio, effectum formalem formæ distingui realiter à forma communicata, quare argumentum hoc nihil probat contra nos, sed confirmat sententiã de distinctione effectus formalis à forma; & illo usi sumus lib. 2. Physic. q. 7. §. 3.

15. Sed dices, per nos in solutione præcedentis argumenti, esse vegetativum, sensitivum, & rationale, quod præstat ab eadem realiter anima, est esse unicum realiter, & triplex virtualiter: ergo hoc esse est formaliter materiale, vel formaliter spirituale; sed utrumque repugnat: ergo repugnat, quòd illud triplex esse sit unicum realiter. Probatur min. In primis repugnat, quòd illud esse sit materiale, quia esse intellectivum est esse spirituale; sed esse materiale non est spirituale: ergo illud esse non potest esse materiale. Quoad 2. partem etiam patet, quia esse vegetativum, & sensitivum est esse materiale formaliter; sed materiale non potest esse spirituale: ergo.

Respondetur, quòd esse vegetativum, sensitivum, & rationale, potest sumi *active*, & *passive*. Si sumatur *active*, nihil aliud est, quàm

anima rationalis subjecto communicata. Et cùm anima rationalis sit spiritualis formaliter, etiam ut communicata subjecto, ideò illud triplex esse *active* sumptum est formaliter spirituale. Nec obest replica, quia vegetativum, & sensitivum *active* sumpta, sunt materialia, quando præstantur à forma formaliter sensitiva, & vegetativa; secus quando datur à forma eminenter sensitiva, & vegetativa.

Si verò illud triplex esse sumitur *passive*, tunc illud esse est materiale, quia ut latè probatum est lib. 1. Physic. q. 7. esse quòd dat forma *passive* sumptum, non distinguitur entitativè ab esse subjecti recipientis: quare esse, quòd substantia recipit à quantitate, est entitativè substantia. Vide plura ibi dicta: ergo esse vegetativum, sensitivum, & rationale, quòd dat anima rationalis corpori humano *passive* sumpto, non distinguitur ab entitate corporis humani. Sed hæc entitas est formaliter materialis: ergo illud triplex esse *passive* sumptum est formaliter materiale. Nec obstat replica facta, quòd solum esse intellectivum *active* sumptum est formaliter spirituale; secus si *passive* sumatur, quia sic non habet aliud esse, quàm esse subjecti, cui anima communicatur. Quæ contra hoc faciunt, posita, & soluta sunt q. 7. citata.

16. Ad ultimum argumentum positum eodem num. 5. respondetur neg. assumptum, nec probant

experientiæ adductæ, quòd recedente anima rationali, maneat in cadavere anima sensitiva, aut vegetativa. Ad primam experientiam dicimus, dentes, ungues, & capillos hominis mortui verè non crescere, nec augeri adhuc ab extrinsecis; sed solum apparere majores ex contractione, seu exsiccatione carnis, & cutis; unde quasi extrahuntur: Ad hunc effectum non est necessaria anima vegetativa, sed satis est externus calor exsiccans carnes.

Ad 2. dic, cor humanum recenter extractum palpitare, & dare pulsationes non vi animæ sensitivæ latentis; sed vi spirituum animalium, in eo permanentium, & resultantium ex violentia mortis. Isti spiritus post absentiam animæ

aliquo modo conservantur, sicut calor post ignem extinctum, & sicut calor in corpore recenter mortuo. Per hoc patet solutio ad experimentum capitis amputati, quòd saltat vi spirituum animalium, quæ ad breve tempus in eo conservantur.

Ultimum experimentum de capite recenter abscisso os claudente, ut morderet tangentem linguam, solvitur ab Aguirre per conjecturam, qua asserit, quòd forsan, qui misit digitum intra os illius capitis, tetigit nervum aliquem impediendum clausuram dentium, & eo impedimento ablato, dentes clausi sunt absque aliquo motu vitali. Solutio est sufficiens, nec amplius oportet immorari.



QVÆSTIO IV.

An anima informet quidquid est in corpore viventis?

§. I.

Statuitur anima in toto corpore viventis, & non in determinata parte.

1. SENTENTIA fuit quàm plurimum Philosophorum, animam non existere quoad sui essentiam in toto corpore animato; sed in determinata parte, ut refert S. P. N. August. quatuor libris de Origine animæ, & testantur etiam S. Gregorius Nissenus, Tertullianus, Ci-

cero, & alij veteres. Variabant in designanda corporis parte; quidam in cerebro, alij in concavo cerebri, alij in vertice, alij in supercilio- rum meditullio: omnes tamen in capite eam collocabant, veluti in supremam corporis arcem, ut inde medijs potentijs totum gubernaret corpus.

Stoicorum Schola animam putavit in corde; quod placitum secutus Tertullianus lib. de Anima cap. 15. contendit, illud ex Sacra Pagina probare, quatenus dicitur, Deus scrutator cordium; & præcipue animæ operationes, etiam intellectuales, tribuuntur cordi, dum dicitur, *Corde enim creditur ad justitiam*; & his similia. Nota, Tertullianum in lib. de Anima male errasse; & à P. N. August. vehementer impugnari quatuor libris datis de Origine animæ, ubi ostendit crassissimam Tertulliani errorem asserentis, nostram animam corpoream, quoniam eam putavit statum oris Dei, quem etiam dixit, corporeum. Hinc Tertulliani auctoritas nulla est in præsentia materia.

2. Fundamentum hujus opinionis esse potuit dictum Philosophi 1, de motu animalium cap. 7. dicentis: *Nom oportet in unoquoque esse animam; sed in quodam principio corporis existente; alia quidem vivere, quia ad nata sunt.* Idem sententia videtur lib. de Juventute cap. 1. innuens, animam residere in determinata corporis parte, quam non alia, nisi cor, putant ejus Interpretes, præsertim Andreas Calspinus lib. 9. q. 6. Hac causa B. Albertus M. lib. 2. de Anim. tract. 1. cap. 7. putavit, animam secundum essentialiam residere in solo corde; secundum facultates, & potentias, adesse alijs membris.

A ratione suadet, nam anima unica requirit informare partes

discontinuas, sicut, nec specie diversas; sed partes corporis animasi sunt specie diversæ, & discontinuæ; ossa enim differunt à carne, & hæc à sanguine, nervis, &c. nec caro continuatur ossibus: ergo anima nequit omnes has partes informare; sed unicam, & præcipuam, ut inde totum regat corpus; sicut Rex totum gubernat regnum, existens tamen in determinata regni civitate.

3. Contraria sententia est verissimam, & omnino tenenda, præsertim de anima rationali, quæ est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis humani. Sic colligitur ex Concil. Lateran. sess. 6. ubi docemur, animam rationalem uni corpori humano per se, & essentialiter. Nomine autem corporis humani intelligitur non una pars; sed totum corpus. Ob id contraria opinio varijs afficitur censuris, à quibus abstinemus.

Probatæ assertio nostra ex Aristot. 1. de Anim. text. 9. & cap. 5. text. 90. ubi impugnat sententiam Platonis, ponentis tres animas in vivente, unam in cerebro, alteram in corde, tertiam in jecote. Et concludit, unicam animam in toto vivente, quæ omnes, & singulas corporis partes informat. Idem patet ex distinctione animæ data à Philosopho, quæ dicitur: *Actus corporis physici organici*; non enim anima est actus partis corporeæ determinatæ; sed totius corporis, ut bene docuit D. Thom. 2. contra Gent. cap.

cap. 71. & 1. p. quæst. 76. art. 8.

A ratione probatur ex S. P. N. August. serm. 186. de Tempore ubi ait: *Spiritus noster, quo vivit omnis homo, anima vocatur; & videtis, quid faciat anima in corpore. Omnia membra vegetat; per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, per manus operatur, per pedes ambulat. Omnibus simul adest membris, ut vitam det omnibus, officia singulis.* En anima nostra *Omnibus simul adest membris.* Nec in una tantum corporis parte residet; sed ubique præsens. Ratio est, quia omnibus dat vitam, omnia vegetat, & ubique operatur: ergo est ubique præsens. Patet consequentia, quia operatio vitalis debet esse à principio intrinsicè subjecto viventi: ergo à principio intrinsicè informante. Rursus, vivens quoad omnes sui partes vivit; sed vivit per vitam animæ informantem; ergo anima informat omnes partes viventis.

Confirmatur. Ex anima vegetabilium, quæ est divisibilis, ut dicemus quæst. seq. Argues sic. Anima vegetativa plantæ dividitur in duas, dum planta scinditur; sic etiam de vermibus anulosis, qui facta divisione utrobique moventur, & sentiunt: ergo ante divisionem anima non erat in determinata parte, sed in omnibus; alioquin divisio corpore, non divideretur, & anima.

4. Nec urgent contraria obiecta. Ad 1. dicitur, mente in Phi-

lophi esse, animam toto corpore diffusam, residere principaliter in corde, quia ibi præcipuas exercet operationes; ibique generantur vitales spiritus, ut inde mittantur ad partes distantes, quas cor movet ad operandum medijs illis spiritibus. Nec vita residet in pede, sic præcipue ut in corde; nam læto pede, vivit animal, quod deficit, si cor lædatur. Hæc suadent, animam præcipue residere in corde; sed non sic, ut minus principaliter non adsit ceteris partibus, cum omnes vegetet, & vitaliter moveat.

Ad aliud negamus partes viventis esse discontinuas. Continuatur enim ossa, & caro fibris, nervis, & telis, de quibus anatomici testantur, & si aliqua sint adeo tenues, ut sint visu imperceptibiles. De hoc infra. Diversitas specifica partium, quæ objicitur, est accidentalitatis, sumpta à quantitate, & qualitibus, ut in Logica dictum est quæst. de partib. substantiæ. Quare ossa, caro, & alia, non differunt essentialiter, & per formam substantialem, cum ab eadem anima informantur. Differunt specie accidentali penes durum, & molle, rarum, & densum, quæ sunt effectus quantitatis, & qualitatis.

Partes sic specie accidentali

diversæ bene possunt

ab eadem ani-

ma infor-

mati.

§. II.

Quibusdam notatis deciditur questio de partibus solidis.

Partes in vivente alix sunt substantiales, alix accidentales. Illæ sunt ex quibus componitur substantia viventis, ut manus, pes, caput, &c. & vocantur partes integrantes. Accidentales sunt, quæ accidunt ad substantiam viventis, ut partes nutritivales, &c.

Partes substantiales alix sunt *homogeneæ*, seu similes, quæ constant ex partibus ejusdem rationis, ut caro, cujus partes ejusdem rationis sunt, ossa, nervi, &c. Alix sunt *heterogeneæ*, quæ constant ex partibus diversæ rationis, ut caput, quod constat ex oculis, auribus, maxillis, &c. Item partes substantiales alix sunt *essentiales*, & sic principales, ut sine illis non possit vivens conservari, talia sunt cor, cerebrum, jecur, caput, &c. Alix sunt *integrales*, sine quibus vivens potest servari, ut manus, pes, auris, &c. Vocantur *integrales*, quia spectant ad integritatem corporis viventis.

Partes *accidentales*, quæ non pertinent ad substantiam viventis, alix sunt *nutritivales*, quibus nutritur corpus viventis, ut cibus, chylus, chymus, &c. Alix sunt *excrementivæ*, quæ separantur, quando depurantur partes nutritivales; sive sint solidæ, ut scæces, quæ per ventriculam dejectantur, sive liquidæ, ut urina, sudor, saliva, lac, &

alix: necnon quatuor humores, nãpe sanguis, atrabilis, flavabilis, & pituita. Alix tandem partes sunt in vivente, quæ faciunt ad ejus ornatum, & aliqualem usum, ut dentes, ungues, pili, capilli, &c. His notatis.

6. Dicimus 1. carnem, nervos, cartilagineas, & ossa animari, & informari anima totius. Hæc est omnium Philosophorum sententia. Et constat, quia prædicta sunt partes præcipuæ viventis, & in illis exercentur operationes vitales. Omnia illa vegetantur, seu augentur per intus sumptionem, atrahendo per fibras, & organa alimentum. In carne etiam, & nervis invenitur operatio sentiendi; omnino nervi juxta Medicos communiter sunt præcipua sedes tactus. In ossibus etiam vim sensitivam defendit Alphonsus disp. 11, sect. 5. cui favet Galenus; sed contradicit P.N. August. cum meliori Philosophia dicens lib. 6. Musicæ cap. 5. sic: *Non existimas, id eod nos non sentire, cum ossa, & ungues, & capilli secantur; non quia in nobis ista omnino non vivunt; non enim aiter, aut continerentur, aut nutritentur, aut crescerent, &c.* En ossa vivunt vita vegetativa, et si nõ sensitiva.

7. Dicimus 2. dentes etiam animari. Est communis etiam cum Aristor. 1. de Gener. animal. cap. 4. & Galen. lib. de ossib. & lib. 5. de medicam. Probat 1. quia juxta Philosophum ubi supra dentes gignuntur ex eo alimento quod in ossa

QUESTIO. IV.

ossa administratur. Quare eandem naturam habent, & idem temperamentum; sunt enim sicci, duri, frigidi, albi, & solidi, quæ juxta Medicos est propria ossis complexio.

Tunc, quia intra se medullam continent, ut alia ossa; item vegetantur, quia per venulas, quas ad radicem habent, alimentum sugunt, & in omnes partes dispensant. Neque augentur tantum versus radicem, sed versus omnes dimensiones. Immo Galenus ubi proximè eis tribuit vim sentiendi asserens, esse dolorem in ipsa substantia dentis, & non præcisè in nervo propinquo.

Nec momenti sunt, quæ obijciuntur. 1. quod dentes non continuantur cum maxillis. 2. quod spõte sua decidunt, præsertim in senibus; quod non accideret, si viverent. Ad 1. dic, id non tenere de dentibus luporum, qui cum maxillis continuantur. Dic etiam, in omnibus continuari saltim mediatè per nervos, vel fibras, cum quibus maxillæ sunt immediatè continuatæ. Ad 2. dic, illud accidere, tum ex abundantia humoris excrementitij, corrumpentis nervos, quibus dentes alligantur maxillis: & sic accidit in senibus. Tum ex defectu humoris nutritivæ ministrantis dentibus, ut contingit in arborum folijs: humor enim ille atenuatur sæpè, præsertim in senibus.

Majus dubium est de unguibus, & capillis. Aliqui dicunt ea

§. II.

esse animata, non anima totius viventis; sed purè vegetativa distincta. Tribuitur Bonaventuræ, & Durando, & refertur pro hac sententia Cardin. de Lugo de Incarnat. disp. 24. sect. 8. Cujuscumque sit, displicet. Nam non aliò fundamento tribuitur ipsis anima purè vegetativa, distincta ab anima totius, nisi quia in illis solum invenitur operatio vegetandi; sed hæc ratio nulla est: tum quia ossibus etiam in communi sententia tantum tribuitur operatio vegetandi; nec tamen negatur ea informari anima totius.

Nec satisfacit, quod ossa sunt partes valdè præcipuæ viventis; nã etiam capilli, & ungues, sunt verè partes, & pertinent ad ornatum hominis, & defensionem, & idè in communi sententia fuerant assumptæ à Verbo Divino. Tum etiam, quia ex tali fundamento pateret via ad ponendam in homine animam sensitivam à rationali distinctam; cum in pluribus hominis partibus solum operationes sentiendi appareant, non verò intelligendi.

8. Negant, ungues, & capillos animari Galenus, & alij citati à Pontio disp. 18. De capillis etiam Hartado. Moventur 1. quia sæpè vocantur à Philosopho. Excrementa, & ut talia abijciuntur, & rescinduntur; quod non videtur permitendum à natura, si informarentur anima totius. Secundò, quia non habent terminum magnitudinis; sed amputata semper crescunt. Tertid, & præcipuè, quia non crescunt per

intus sumptionem, & versus omnem partem; sed per juxta positionem; quatenus, nimirum partes excrementitiæ alimenti expulsa à facultate expultrice, impingunt in extimos poros, ibique excocta agglutinantur, & earum formam suscipiunt.

Hoc suadent, quia in unguibus, & capillis nullæ apparent venulæ. Tum etiam, quia si in ungue notetur punctum, aut linea versus radicem, paulatim provehitur usque ad extremum, nullo incremento admissio; quod non accideret, si unguis versus omnem partem cresceret. Tandem, quia illa crescunt etiam, quando animal est in statu decrescendi, ut in senibus, ægrotis; immò etiam in mortuis juxta Aristoteli & Plin. 3. de hist. animal.

9. Nihilominus dicendum 3. ungues, & capillos animari anima totius. Ita P.N. August. verbis datis num. 6. & sæpè aliàs, præsertim in libris de Orig. anim. Etiam D. Thom. in 4. distinct. 44. q. 1. art.

Turpis sine frondibus arbor,

Pluma tegit volucres, ovibus sua lana decori est;

Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ.

Ex quo etiam: & recipientur in resurrectione; & in communione Theologorum sententia assumpta sunt à verbo. 2. quia crescunt per nutritionem. Quod probatur, tum quia in unguibus, teste Valles 1. controv. medic. cap. 4. notantur fibræ, & venulæ, ut in arboris

2. quæstione. 2. ad 3. ibi: *Dicendum, quod capilli, & ungues nutriuntur, & augentur; & sic patet, quod aliqua operatione participat; quod non posset esse, nisi essent partes aliquo modo ab anima perfectæ: & quia in homine non est nisi una anima, scilicet, rationalis, constat, quod ab anima rationali perfectæ sunt, quævis non usque ad hoc, quod operationem sensus participant; sicut nec ossa.* Idem docet B. Ægid. 2. de Anim. text. 42. dub. 1. favet Philosophus 3. de hist. animal. cap. 427. docens, ungues in aliquibus animalibus non differre ab ossibus; & pascim eas recenset inter corporis partes.

Probatur 1. ex D. Thom. nâ arborum frondes vivunt juxta omnes; etiam in communi sententia avium plumæ; sed non aliter respectu viventis comparantur ungues, & capilli, ut partes, scilicet non primariæ, & ad operationem ordinatæ; sed secundariæ, seu destinatæ ad conservationem, defensionem, & ornatum, sicut cecinit Ovid. 13. Metamorphos.

folijs. Capilli etiam sunt cavi in medio, & fistulosi, teste Plinio. Et licet in his apertè non appareant, momenti non est; nam non magis distinguuntur in pulicis, & aranulæ tibijs, in quibus tamen dari constat. Tum quia crescunt versus omnem partem, seu sunt longiores;

latio

latiores, & crassiores. Tum quia crescunt in cuspidem; & idè non ex materia præcisè adjecta.

Confirmatur. Quia sæpè homines visi sunt ex accidenti aliquo subito incanescere; id autem non facillè intelligitur, nisi in capillis sint fibræ aliquæ, per quas humor, qualitatem illam causans, dispensetur.

10. Hinc ad fundamenta opposita respondetur. Ad 1. dic, vocari excrementa, non quia absolute, & in ordine ad totum sint talia, & superflua; ut enim ait D. Thom. intenduntur ad conservationem, & defensionem; sed quia nutriuntur ex residuo alimenti à partibus primarijs relicto; & hoc respectu illius, ex quo primariæ partes generantur, est quasi excrementitium. Quod amputentur non est momenti. Amputantur enim vites, & arborum rami. Nec majoris, quod amputata magis crescunt; id enim in vite, & arboribus contingit. Causa verò est, non quod augeantur per juxta positionem; sed quia in minori molle distribuitur alimentum, quod non ita benè erat in majori dispensandum.

Ad 2. negamus, non habere terminum magnitudinis, qui cernitur in pilis, palpebras, & barbam ornantibus; immò in omnibus. Ad 3. negatur ex dictis augmentum tantum versus radicem. Ad probationem constat ex dictis, etiam in illis, fibras inveniri, & nihil probare, quod non distinguantur. Ex-

perientia notæ illius, in ungues posita à nullo forsitan acurate observata est. Dicimus tamen, punctum, aut lineam non augendam, si unguis ad statum naturalem pervenit; quod idem accidit in carne, aut faciei cicatrice. Si tamen non dum pervenit, ut in puero, puncta illa aliquantulum magis inter se distabunt. Exemplum adest in avium pennis, varijs coloribus distinctis, in quibus crescit pars qualibet cum suo colore. Quod verò pars infirma propellatur, ita ut fiat superior, contingit, vel quia majus incrementum fit versus radicem; vel quia horum nutritio non ita perfecta est, ac aliarum partium viventis. Ad ultimam dic, sic contingere, quia in senibus, & ægrotis, quo minus est humoris nutritivus, & vis concoctivæ alimenti, eo plus est humoris excrementitij, terrei, & crassi, illis partibus inservientis, quod ab omnibus est dicendum. Ad aliud negatur totum, nam id accidit sola contractione carnis, ut dictum est quærit. præced.

Ex dictis fit, avium rostra antè mari; sunt enim ejusdem naturæ cum ossibus: Belluarum, etiam cornua ejusdem naturæ cum dentibus. Quo fit, ut animalia cornifera careant primoribus dentibus superioris mandibulæ, horum materia transseuante in cornua: avium etiam plumas, & pennas animari, quæ instar arboris calamo, veluti stipites surgunt, plumis, quasi ramis distendantur, & in calamo fibræ ascen-

dunt, ac in radice succus cernitur, qui in alimentum dispensatur.

§. III.

Proponuntur sententia cum suis fundamentis circa animationem sanguinis.

11. **P**RIMA sententia negat. Eā tenet cum Galeno. Major pars Medicorum, necnon Scotistæ cum Subtili Doct. & Seraph. Bonavent. Item Thomistæ plures, quos citat Aguirre, allegantes pro se D. Thom. & Doctores Societatis, quàm plures cum Suariorum lib. 2. de Anim. cap. 5. & tom. 1. in 3. p. disp. 15. sect. 6. & disp. 51. sect. 3.

Probatur 1. ex Aristot. lib. 3. de partib. animal. cap. 5. ubi statuit, sanguinem contineri in venis, tanquam in vase. Quod etiam docuit capit. 4. ergo sanguis non est continuatus cum reliquis partibus corporis viventis; sed anima non potest informare partes discontinuas; cum solum informet unicum corpus continuum: ergo de mente Philosophi sanguis non animatur, nec in formatur ab anima. 2. ex eodem Philosopho lib. 2. de partib. animal. cap. 3. ubi ait: *Non enim sanguis continuus carni, neque cognatus est; sed in corde, ac venis, quasi vasis continetur.* Vbi de illo sanguine, qui est in corde, negat etiam continuatam in carne cordis.

Hoc totum suadet etiam à ratione, nam sanguis est humor

valdè liquidus, quare non amplius potest continuari cum partibus solidis venarum, ossium, carnis, cordis, aut jecoris, quàm liquores existentes in vase, qui non possunt cum eo continuari. Et utgetur nam liquidum, & solidum, non possunt continuari; sed sanguis est liquidus, reliquæ autem partes sunt solidæ: ergo non continuantur. Tum sic; sed si nõ continuantur, non potest informari sanguis ab anima: ergo non animatur. Min. probatur, quia vivens non minus petit ad sui unitatem, quod subjectum sit unum, quàm quod forma sit unica; sed si partes informatae non continuantur, & aliunde informantur, sunt plura subjecta, & non unicum, unitate continuationis: ergo.

12. Secundò probatur auctoritate, & ratione, quæ sic formatur. Sanguis est ultimum, & proximum nutrimentum viventis, quo vivens proximè augetur substantialiter; sed alimentum proximum, & ultimum non potest informari eadem forma totius: ergo nec sanguis anima totius. Major est expressa Philosophi 1. de Generat. animal. cap. 4. ubi ait: *Sanguis in esse ultimum alimentum in sanguinario genere animalium.* Idem repetit lib. 4. de partib. animal. cap. 4. & 5. & de somno, & vigilia cap. 4. Accedit sententia Medicorum, quibus in hac parte fides habenda videtur. Suadet etiam ratione, ex miro illo artificio, quo per nutritionem sanguis per venam, quæ *cava magna* dicitur, diffunditur per

partes omnes viventis; id enim contingit, ut partibus omnibus tribuatur alimentum, quod in ipsas transfretetur, juxta earum naturam.

Minor etiam probatur. Alimentum debet esse dissimile in natura rei, nutritæ per ipsum, ut docet Aristot. 1. de Gener. text. 37. & 38. & hic lib. 2. text. 45. cui consentiunt Medici, & accedit ratio. Nam alimentum convertitur in substantiam aliti: ergo præsupponi debet dissimile; aliàs non converteretur. Sed si sanguis informatur eadem anima viventis, non erit dissimilis in natura viventi; sed potius similis, & ejusdem naturæ: ergo nec poterit esse alimentum, nec substantialiter converti.

13. Tertio probatur eadem sententia. Nam nullum membrum viventis, in quo non exercetur aliqua vitalis operatio, informatur anima; sed omnis sanguis est membrum, vel pars, in qua nulla operatio vitalis exercetur: ergo nullus sanguis informatur anima. Major probatur à priori ex utraque definitione animæ. Est enim anima *Actus corporis organici*: ergo actuat tantum partes organicas, seu in quibus potest exercere aliquam vitalem operationem. Rursus, est principium, *Quo primò vivimus sentimus, & intelligimus*: ergo ubicumque est anima, est principium operandi: ergo ubi non est principium operandi, non informat. Tertio, anima non informat fortum, antequam in eo sint organa ad vitalem aliquam

functionem, vel tactus, vel appetitus: ergo nunquam informat naturaliter membrum, in quo nullam exercere potest operationem vitalem.

Quarto probatur major à posteriori, nam carentia omnis operationis vitalis est signum effectus, vel non informationis animæ. Inde animal censemus mortuum, quia videmus deficere in eo omnem operationem vitalem: ergo ubicumque non est operatio vitalis, ibi non est animal. Quod si probatur, quod in sanguine nulla est operatio vitalis, probatur ipsum non informari ab anima. Hæc erat minor principalis argumenti.

14. Probatur sic. Sanguis non habet operationem intelligendi, aut volendi, ut patet. Rursus, nec sentiendi, ut docet Aristot. 2. de partib. animal. cap. 10. dicens: *Nec ipse sanguis sensu præditus est, quippe qui nulla pars sit animalium, sed pars animam participans.* Et constat, sanguis enim commovetur, & alteratur in corpore sine ullo sensu: ergo non exercet vitam sensitivam.

Deinde non exercet operationem loco motivam, ut indicant Teletus, & Complutenses, tum quia ex communi Philosophia vita loco motiva non est sine sensitiva, Tum quia licet sanguis ob varios animæ affectus moveatur, & jam ob iram, & verecundiam, faciem suffundat, jam ob metum, ad cor se recipiat; hujusmodi motus oriuntur ex qualitate impulsiva, ab anima impres-

sic sanguinis pulsus oritur. juvenis ex nativo calore, spiritibus igneis summè inquietis; sicut ob vapores calidos aqua fervens ebullit, & caput abscissum saltus edit. Præterquam quòd capilli etiam gauderent vita motiva, quando metu horrent, & assurgunt; immò sudor, & excrementa, ac ipse aer, quem nunc atrahimus, nunc emitimus. Dicere, quòd ista vivunt, dum moventur, falsissimum est.

15. Tandem nec sanguis exercet operationem vegetandi. Tum quia crescit, & non per intus sumptionem; nec convertendo propria operatione in se chylum; sed per profluvium, & stillationem ex corde; quod juxta Philosophum est sanguinis officina; vel ex hepate, aut jecore juxta Hippocratem, & Medicos. Tam etiam, quia pars crescens per intus sumptionem, debet gaudere organis, & poris, per quos trahat, & suggat alimentum, ut in sui substantiam convertat; sed sanguis caret illis; neque eorum in sanguine apparet vestigium. Tum tandem, quia illa organa inutilia essent, si darentur; nam illicò occluderentur undis sanguinis fluentis, ac resurgentis: ergo plenè dissendum est, sanguinem crescere per juxta positionem, ut crescunt inanimata.

Et confirmatur. Sanguis, in sissima vena, fluens. anima non informatur: ergo nec sanguis remanens intra venam. Antecedens constat, quia alias anima esset extra corpus,

& in scultella, quod est ridiculum. Còsequent. probatur: nam sanguis erumpens continuatur cum remanente intra venas, quod patet oculaniter; ergo si remanens informatur, etiam erumpens, & à con-
 rario, alias non continuaretur.

16. Quartò probatur argumentis theologis. Nam sub speciebus panis in Eucharistia tantum ponitur vi verborum corpus Christi; sanguis, verò solùm per concomitantiam, ut docet Trident. sess. 13. cap. 3. Sed si sanguis informatur anima, poneretur vi verborum; nam nomine corporis intelliguntur partes animæ informatæ, & idè facente Hurtado, & alijs, veniunt ungues, & capilli; ergo cum non veniat sanguis vi verborum, ille non informatur anima.

Rursus, nam corpus Christi Domini non fuit formatum ex carne, aut osse intemeratæ Virginis Mariæ; sed ex purissimis sanguinibus ejusdem; sed juxta D. Thom. 3. p. quest. 3. art. 5. hoc idè fuit, ne qui corrupta venerat reparare, minueret, si ab illa tolleretur caro, aut os, quæ sunt partes corporis actuales, ex quibus constituitur corporis integritas; non sic sanguis, qui non est pars actu; sed potentia. Sed si sanguis informatur anima, æquè erit pars animalis, nec maneret integrum Deiparæ corpus; subtracto sanguine in Christi Conceptione: ergo sanguis nec est pars corporis, nec anima informatur. Hoc argumētum

tam à Suarío Institutum, latè versatur à Cardin. Aguirre in præsentibus, ubi sequentem adducit auctoritatem D. Thomæ.

Illam habetur loco citato, ubi traditur doctrina argumenti facti, per hæc verba: *Ad 1. dicendum, quòd cum Beata Virgo fuerit ejusdem nature cum alijs feminis, consequens est, quòd habuerit carnem, & ossa ejusdem nature. Carnes autem, & ossa in alijs feminis sunt actuales corporis partes, ex quibus constituitur integritas corporis; & idè subtrahi non possunt sine corruptione corporis, vel diminutione. Christus autem, qui venerat corrupta reparare, nullam corruptionem, aut diminutionem integritati matris suæ inferre debuit, ut supra dictum est. Et idè non debuit corpus Christi formari de carne, vel ossibus Virginis; sed de sanguine; qui nondum est actu pars, sed est potentia totum, ut dicitur lib. de generat. anim. Et idè dicitur carnem de Virgine sumpsisse; non quòd materia corporis ejus fuerit actu caro; sed sanguis, qui est potentia caro. Idè docetur à D. Thom. in 3. dist. 3. q. 5. art. 1.*

17. Affirmativa sententia traditur à Cayetano 1. p. quest. 119. art. 1. cum quo Complutenses disput. 6. quest. 1. apud quos alij Thomistæ, & novissimè cursus Compl. D. Thom. qui cum Cayet. distinguit duplicem sanguinem, unum perfectè decoctum, qui est de integritate animalis; alterum imperfectum, non plenè decoctum, qui potius est humor sanguineus, vel san-

guis nutritivus. Hoc supposito dicit de sanguine perfectè decocto informari anima secundum gradum vegetativam. Hanc sententiam admittit, vel non admittit illa divisio-
 ne sanguinis, tenent Toletus, Ariaga, Hurtado, & Oviedo cum alijs DD. Societatis.

Distinctio duplicis sanguinis traditur à D. Thom. allegato à cursu Complutensi his verbis: *Quamvis circa eas quæ sunt de veritate humane nature, sit diversa diversorum opinio; secundum quamlibet opinionem, non totus sanguis nutritivus, qui ex cibis generatur, pertinet ad veritatem humane nature. Cum ergo Christus ante passionem comederet, & biberet, nihil prohibet, in eo fuisse alium quem sanguinem nutritivum; què ad veritatem humane nature non pertinet, & quem non oportet ad corpus ejus redire in resurrectione. Idem docet in 4. dist. 44. quest. 1. art. 2. quest. 3. & 4. ad Anibaldu quest. 1. art. 1. ad 1. ubi distinguens ea, quæ cum corporibus resurgunt ab alijs, quæ non resurgunt, habet sequentia.*

Ille humiditates, quæ sunt in via corruptionis, sicut sanies, sudor, & hujusmodi; vel quæ sunt in via generationis non dum habentes determinatam speciem, ut humiditas, quæ dicitur ros, & cambium, quando scilicet sanguis incipit dealbari; vel quæ ordinantur ad conservationem speciei; ut semina, non resurgunt. Quæ verò habent speciem determinatam, & pertinent ad perfectionem individui, ut sanguis,

& alij tres humores, resurgens.

Hac supposita distinctione dicitur, sanguinem perfectum esse veram partem integram naturæ humanæ, quod constat ex Philosopho 1. de animalib. dicente: *Partes autem animalium similes, aut molles sunt, & humida, aut sicca, & solida; molles, ut sanguis.* Idem asserit lib. 3. differens de sanguine, ubi etiam D. Thom. & locis alijs multis.

18. Ex his probatur à ratione sic. Omnis pars integralis viventis animatur anima totius; sed sanguis est pars integralis viventis: ergo animatur anima totius. Maj. est certa, tum quia aliàs vivens non esset unum per se, sed per accidens, si omnes ejus partes non informarentur eadem forma. Tum etiam, quia in tantum aliquid est pars viventis, in quantum participat animam, quæ est forma viventis. Tandem, quæ non informantur anima totius, non possunt propriè dici partes viventis, ut spiritus, sudor, & alia hujusmodi, quæ sunt in vivente, quasi extranea. Minor constat ex auctoritatibus adductis, ubi sanguis dicitur à Philosopho, & D. Thoma, vera pars corporis viventis.

Et probatur rationibus Theolog. Sanguinem esse veram partem corporis viventis. Sic 1. in Christo Domino, & Beatis post resurrectionem, erit verus sanguis, & erunt alij humores, ut docent Theologi cum P. N. August. Epist. 146. & cum D. Thom. 3. p. quæst. 54. & in 4. dist. 44. Sed sanguis non erit

in Beatis propter nutritionem vitæ vegetativæ, quæ in Patria exercitijs non habebit juxta illud 1. ad Corinth. cap. 15. *Seminatur corpus animale, surget autem spirituale*: ergo quia sunt humores illi de integritate humanæ naturæ, quæ debet integra resurgere.

Rursus. Sanguis Christi in Eucharistia est etiam sub speciebus panis ex vi illius connexionis, *Quæ partes corporis inter se copulantur.* Ex Trident. sess. 13. cap. 3. At solum copulantur inter se necessariò partes corporis humani, quæ illud integrant: ergo sanguis est pars integralis corporis humani.

3. Si Christus veras partes naturæ humanæ non assumpsit, quo sanguine redempti essemus? Dicit Sanctus Cyprianus Papa in Decretali ad Felicem: ergo sanguis ille, quo redempti sumus, est vera pars naturæ humanæ, in qua Deus nos redemit. 4. Verbum Divinum sanguinem immediatè assumpsit, sicut carnem, juxta illud ad Hebræos cap. 2. *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Unde S. Cirilus Epistol. 8. ad Nestor. ait: *Cum dicitur Ioannes 1. Verbum caro factum est, nihil aliud est, quam quod carne, & sanguine nobiscum communicavit.* Sed Verbum Divinū solum assumpsit immediatè partes, quæ verè, & simpliciter integrant humanam naturam: ergo sanguis est vera pars integralis humanæ naturæ. Quapropter jam inter Catholicos non est dubiū de perfecto sanguine

guine, an sit pars; sed an omnis sanguis sub distinctione data sit pars per ordinem ad humanam naturam.

Confirmatur ex Innocentio 3. in extravag. de celebrat. Missar. ubi statuitur, quòd *De latere Christi exivit sanguis, & aqua, ut esset signum, corpus illud constare ex quatuor elementis, & habere quatuor humores; quod est de ratione, & compositione veri corporis humani, quale Verbum assumpsit.*

19. Secundò probatur à ratione. Tum quia animal exanguis esset mutilum, & mancum. Tū quia periret necessariò, deficiente sanguine; nec præcisè sicut per defectum aëris, aut respirationis; sed tanquam per defectum alicujus partis propriæ. Tum quia idèò assumptus fuit à Verbo, & in Resurrectione est resumendus, quia est vera pars naturæ humanæ.

Nec sufficit dicere, esse partem in potentia, quatenus potest transire in carnem; non autem esse partem actū; quare non informatur actū ab anima, sed in potentia, quando transeat in carnem, quod est verum de omni alimento, de quo dicitur, esse vitale in potentia,

Non valet, quia auctoritates, & rationes adductæ probant, esse partem actū, & non solum habere munus nutrimenti. Hoc patet in corporibus gloriosis, quibus sanguis non deserviet, ut alimentum. Tum etiam, quia sine alimento, & nutritionis exercitijs, potest vita breviter tempore conservari; ut enim ait Hur-

tado, partes corporis non sunt adeò voraces, ut semper sine intermissione debeant nutriri: ergo sanguis ultra munus alimenti habet rationem partis. Et urgetur, nam sanguis est pars viventis, magis præcipua, quam unguis, & capilli: sed hæc informantur anima: ergo multo magis sanguis.

20. Tertiò probatur ex Levitico 17. ubi dicitur: *Anima hominis in sanguine est.* Super quod S. P. August. quæst. 57. in Leviticum ait: *Quia & tale aliquid est in sanguine; quæ per ipsam maxime in hac carne vivitur; qui in omnibus venis, & corporis junctura diffunditur, ipsam vitam corporis vocavit animam, non vitam, quæ migrat ex corpore (id est spirituali) sed quæ morte finitur (id est vegetativa, aut sensitiva.)* Idem S. Patens quæst. 81. dicit: *Est enim, & ipse sanguis mortuus in corpore mortui; non enim est abscedente anima abscessit.* Quibus verbis consonat Philosopho dicenti lib. 3. de animal. cap. 19. quòd *Sanguis fervet in venis.* Et sanguis dicitur fervidus, & vivus viventibus, mortuus tamen in mortuis.

Et confirmatus. Nam dato, sanguinem pertinere ad constitutionem viventis, ut certissimū est, restat, quòd informetur aliqua forma substantiali: ergo vel anima viventis, & sic animatur; vel forma substantiali distincta; & tunc ponenda est duplex forma substantialis in viventibus, una, quæ sit forma vitalis, altera, quæ sit forma corpo-

reitis, quam contendunt Scotistæ, & negant reliqui Philosophi. Hæc ratio est efficacior reliquis, teste Aguirre, & eo movetur, asserere, sanguinem informari ab anima sub gradu corporis, licet non sub gradu viventis.

§. IV.

Præfertur sententia affirmans, & solvuntur fundamenta contraria.

21. **D**E mente B. Ægidij, non constat evidenter, quia N. Villanova tenet, negativam cū Ægidio tract. de Gradibus formar. p. 2. cap. 8. & in 2. dist. 30. q. 2. art. 2. A contrario N. Gavardi tenet affirmativam cum B. Ægid. propos. 50. de Sacramento Altaris: quare cū nostri DD. divisi sint, sicut, & Thomistæ, restat eam sententiã eligere, quæ cuicumque appareat probabilior. Nos autem inclinamur in partem affirmantem, quia expressior est in P. N. Augustino. Tum locis datis num. 20. tum quia ibidem ait: *Non frustra per sanguinem animam intelligi, rem scilicet invisibilem per rem visibilem, nisi quia sanguis per venas omnes ab ipso corde diffusus, in nostro corpore plus ceteris humoribus principiaur; ita ut ubicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, sed ipse procedat. Ita quoque anima, quia omnibus, quibus constamus, invisibiliter prævalet, illo melius significatur, quod omnibus, quibus constamus visibilibus, prævalet.*

Ibidem quæst. 57. citata dicit: *Vita itaque temporalis maxime sanguine continetur in corpore.* Et infra: *Sic, & sanguis, quoniam propter vitalem quandam corpulentiam, animam significat, in Sacramentis anima dictus est.* Item: *Quærendæ etiam locutiones, per id, quod continet, id, quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore (nam si fuerit effusus, abscedit) per ipsum aptius significata sit anima, & ejus nomen sanguis acceperit: ergo vita nomine sanguinis appellatur.*

Ecce in sanguine est *Corpulentia vitalis* juxta S. P. N. Augustin. quare vivit vita saltem vegetativa. Rursus juxta ipsum, anima, *Medio sanguine tenetur in corpore*: ergo anima medio sanguine animatur, & vivificat corpus: ergo sanguis medians vivificatur ab anima; aliàs medio instrumento mortuo, & inanimato, anima animaret corpus; & hoc implicat, sicut quod Sol medijs tenebris illuminet terras. Rursus. Locis datis non quærit, an sanguis debeat dici animatus; sed an possit dici anima? & rationes adducit, ut sic vocetur, quæ necessario probant, sanguinem, præ ceteris humoribus animari, quia præ ceteris movetur, & in ipso præ ceteris prævalet anima; unde prævalet vitæ; alioquin non prævaleret potius in sanguine, quam in alijs partibus animatis.

22. Ex his confirmatur à ratione. Anima non est in sanguine, tanquam in loco, sicut demones sunt

QVÆST. IV. §. IV.

sunt in corpore obsessi; alioquin anima esset unita, ut motor, & non ut forma, quod negatur à Philosophis, & Theologis. Rursus, non est in sanguine moraliter tantum, ut vita hominis in manu Principis; nã etiam mortuo Principe homo vivit; at separato sanguine, homo non vivit. Nec est in sanguine tanquam in foveate, & alente simpliciter, ut ait Mairius; quia sic etiam esset in cibo, à quo vita dependet, fovetur, & alitur: ergo est in sanguine per informationem.

Confirmatur. Si anima non est in sanguine per informationem, nõ recipit sanguis suum esse substantiale ab anima formaliter: ergo illud recipit ab alia forma substantiali distincta: quare in viventibus dabitur duplex forma substantialis contra dicta lib. 1. Physicæ quæst. 15. Nec patitas est de lacte, semine, & alijs excrementis, quæ non sunt partes integrantes corporis viventis, nec deserviunt ad conservationem ipsius. Nam talia non debent informari anima totius, à qua sumitur unitas viventis. Præter quam quod probabile est, quod sicut fructus, dum pendunt ex arbore, vegetantur anima arboris, secus dum præciduntur, aut sponte cadunt; ita semen, & lac, dum sunt in vivente, informantur forma viventis sub gradu saltem corporis, & juxta Ioann. à S. Thoma etiam vita vegetativa. Vide ipsum quæst. 8. de Nutritione art. 3.

Confirm. 2. Nam Verbum Di-

vinum assumpsit sanguinem, ut dictum est: ergo vel sumpsit sanguinem informatum anima, vel informatum forma distincta. Si primum? Ergo sanguis animatur. Si secundum? Ergo Verbum Divinum assumpsit naturam irrationalem. Patet consequentia ex dictis q. 3. præcedente, ubi simili argumento probatum est, non esse formas distinctas realiter in subjecto vivente. Vide ibidem dicta num. 10. & 11. tum quia argumentum sumptum est ex S. P. N. August. lib. 83. qq. q. 8.

Confirm. iterum ex D. Thoma 3. p. q. 6. art. 1. ubi docet, quod Christus non assumpsit partes corporis, nisi mediante anima. Sed Christus verè assumpsit sanguinem, qui est vera corporis pars, ut supra ostensum est: ergo Christus verè assumpsit sanguinem mediante anima: ergo sanguis informatur anima. Patet hæc consequentia, quia si anima est medium assumendi sanguinem, est medium uniendi sanguinem cum supposito Divino: ergo est medium unitum sanguini. Sed non alia unione, quam informativa, quæ est propria animæ: ergo.

23. Rursus probatur à ratione, & autoritate D. Thom. quæ non solum probat de sanguine, sed de ceteris humoribus. Illa habetur in 4. Sentent. dist. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 3. ubi ait: *Sicut elementa sunt in via generationis respectu mixtorum, ita humores (in quibus præcipuus est sanguis) se habent*

ad membra. Et propter hoc, sicut elementa in partibus universi habent formas determinatas, ratione quarum sunt de perfectione universi, sicut & corpora mixta; ita humores sunt de perfectione corporis humani, sicut & alia partes, quamvis non perveniant ad tantam perfectionem, sicut nec elementa habent formas ita perfectas, sicut mixta. Unde sicut partes omnes universi perfectionem à Deo consequuntur, non tamen aequaliter, sed unumquodque secundum suum modum; ita quoque humores aliquomodo perficiuntur ab anima rationali, non tamen eodem modo, sicut partes perfectionis.

Hinc iterum probatur sententia nostra. Nam juxta D. Thom. ita se habent humores ad membra; sicut elementa respectu mixtorum; sed elementa habent suas proprias formas substantiales, licet non ita perfectas, ut sunt mixta, quæ fiunt ex elementis: ergo humores habent suam perfectionem substantialem, licet non ita perfectam, ac habent partes, quæ nutriuntur ex humoribus. Sed perfectio substantialis humorum habetur ab anima rationali in homine juxta D. Thom. ibid. licet anima non perficiat humores æquè ac partes perfectiores: ergo quia partes perfectiores perficiuntur ab anima secundum gradum sensitivum; sanguis autem, & alij humores perficiuntur ab anima secundum gradum vegetativum.

24. Quod si dicas cum Aguirte, sanguinem perfici ab anima secundum gradum corporeitatis, non

autem secundum gradum viventis. Contra est, nam sanguis, & alij humores sunt partes viventis, ut viventis, & non præcisè ut corporei: ergo perficiuntur ab anima non solum ut corporea, sed ut vivente. Probatur antecedens. Vivens, ut præcisè corporeum est, non indiget sanguine, & alijs humoribus, ut patet in animatis: ergo &c. Rursum sanguis deservit animæ ad precipuas functiones vitales: ergo est pars viventis reduplicativè, ut viventis. Rursum, sanguis recipit animi impressiones longè facilius, quam cetera membra, nam in pavore fugit ad cor; in ira æstuat circa cor; verecundia, & rubore suffunditur ad vultum; dum sanguis ægotat, reddit animal languidum; dum viget, reddit ipsum alacre; dum melancholico humore permixcetur, causat tristitiam; dum nimium adurit, causat furorem; dum copiosa bile perfunditur, reddit motus subitos, & ardentes: ergo sanguis informatur ab anima non solum ut corporea, sed ut vitali, vita saltem vegetativa. Immo apud veteres certum erat, animam in uno sanguine residere, & apud quosdam sanguis erat ipsa anima.

Et confirm. Nam sanguis habet veras operationes vitæ, saltem vegetativæ: ergo informatur ab anima sub gradu vitæ. Probatur antecedens. Sanguis augetur, nutritur, fervet, movetur vitaliter ascendendo, & circulando totum corpus, ac se se quo totius utilitas postulat spon-

sponte ferendo vitali quadam alacritate; qui motus non est liquoris inanimati, sed viventis: ergo habet operationes vitæ saltem vegetativæ.

Hæc restrictio posita est, quia ex motu sanguinis potest probari vita sensitiva, aut saltem vita superior ad vegetativam, sequenti argumento. Motus localis probat vitam loco motivam, quando non est ad unam positionem determinatam, ut dictum est de Cælis, & Astris ex communi sententia supra q. 2. §. 3. sed sanguis movetur localiter in corpore, & non versus unam partem, sed versus omnes, ascendendo, & descendendo, & secundum varias positiones: ergo vivit vita loco motiva tantum, quæ est superior ad vegetativam; vel si non stat vita loco motiva sine sensitiva, potest utraque probari in sanguine, eo præcisè, quia movetur per formam intentionalem, nempe per impressiones animæ, ut sunt ira, pavor, verecundia, rubor, &c.

Nec audiendi sunt, qui docent, sanguinem augeti per additionem, & juxta passionem, sicut aqua, & alij liquores. Nam sanguis in corde, aut jecore, quæ sunt officina hujus humoris, verè convertit chylum in propria substantia; quare jecur, aut cor sunt instrumenta ad nutritionem sanguinis: ergo verè nutritur, & per intus sumptionem. Nec obstat contra rationem instrumenti, quod substantia cordis sit perfectior sanguine, & idèd nõ

possit esse instrumentum sanguinis. Non obstat, quia sanguis, & cor sub diversis considerationibus se mutuo excedunt in perfectione, quatenus se mutuo jubant ad conservationem viventis. Sanguis enim est minister cordis ad deferendum spiritus vitales in omnes partes viventis, nec non ad eas fovendas, alendas, & nutriendas: cor autem aut jecur ministrat sanguini, ut convertat in sua officina chylum in propriam substantiam, qua nutritur, & crescit.

25. Ad fundam. sententiæ contrariæ posita num. 11. responderetur primò authoritatem Philolophi nihil convincere, quia ibidem cap. 4. dicit: *Sanguinem ex corde ad venas derivari*: ergo non ita est intra venas, ut in vase, ut non sit continuus cordi, à quo profluit per venas. Nec secunda autoritas urget, nam exponi debet de continuatione visibili, quam negat, cum non appareat fibræ concatenantes sanguinem cordi, licet revera sint. Adde, quod difficilius apparet ossiù continuatio, quam sanguinis: & tamen nemo negat, ossa animari: ergo licet non appareat continuatio sanguinis, & partium solidarum; non idèd neganda est, nam plura sunt viscera, quæ latent Medicos, & Anatomicos, & tamen illa dari in vivente colligitur ex animatione, & præsentia animæ, qua omnes partes viventis vivificat. Ita S. P. N. Aug. lib. 4. de Anim. cap. 6. dicit: *Verumtamen cum omnis sensus ab ani-*

mi infit corpori, &c. ipsius autem anime interiore presentia, qua cunctis, quæ vivificat, & animat, præsto est. Nulla intrinsecus viscera nostra noverimus, non Medicos Empiricos, nec Anatomicos, nec Dogmaticos, nec Methodicos, sed hominem scire arbitror neminem.

Hinc ad rationem ibi inductâ dic, non posse continuari liquidum, & solidum, quæ diversis formis substantialibus constant, ut aqua in vase. Secus quæ actuantur eadem forma, quatenus sunt partes ejusdem viventis; sed juxta Philosophum allegatum num. 17. sanguis est pars mollis, & humida viventis: ergo continuatur cum partibus solidis ejusdem viventis.

26. Ad 2. fundamentum positum num. 12. responderetur, quod sanguis non est alimentum crudum, sed decoctum triplici decoctione: prima, quæ fit in māmillis, ubi primò alteratur cibus, qui est alimentum extrinsecum, non decoctum; secunda, quæ fit in stomacho, ubi per calorem separatur substantia alimenti, quæ dicitur chylus, à fœcibus, quæ mittuntur in ventrem; tertia in jecore, aut corde juxta varias sententias, ubi chylus noviter decoctus deparatur iterum à fœcibus, & convertitur in sanguinem, & alios humores, ut inde sanguis per venas, & arterias, ubi iterum decoquitur, est alimentum nutritivum aliarum partium, in quibus fit quinta decoctio, ut sanguis illa convertatur in carnem, ossa,

&c. Quando autem Philosophus negat alimentum vivere, & esse ejusdem naturæ cum vivente, intelligendus est de alimento puro, extrinsecò, & non decocto, ut est panis, &c. Secus de alimento partium intrinsecò, & decocto, quod simul habet rationem partis corporis viventis; sic est sanguis, teste D. Thom. ubi supra. Nec urget ratio argumenti; nam conversio alimenti in substantiam aliti, quæ petit dissimilitudinem in natura, est vera mutatio substantialis, sumpta nutritione, ut motus est continuus à prima coctione cibi, usque ad ultimam nutritionem partium viventis; nam verè panis, & quicumque cibus mutatur substantialiter, & variat substantiales formas. Secus in nutritione alimenti intrinseci partium, ter, aut quater decocti, nam in ea alimentum non acquirit novam formam substantialem, sed novam accidentalem, quatenus sanguis animatus durefcit in osse, solidatur in carne, & coagulatur in alijs partibus.

27. Ad 3. fundamentum positum num. 13. admissa majori, nego min. Sanguis enim exercet operationes vitales nutriendi, & crescendi, ut probatum est num. 24. Et urgetur, nam ut aliqua operatio sit immanens, & vitalis, sufficit, quod egrediatur, & recipiatur in toto subjecto vivente, ut sic quæ vitalis est respectu totius, sit etiam vitalis respectu partium viventis: sed sanguis est vera pars animalis viventis, ut probatum est; & conversio chyli

in

in sanguinem medio jecore, aut corde, est vera actio vitalis nutritiva viventis: ergo est vera actio vitalis respectu sanguinis.

Hinc ex eodem principio defendi potest in sanguine verè vita loco motiva, immò, & sensitiva, quæ probata est à nobis num. 24. nam motus ille sanguinis respectu totius viventis est verus motus sensitivus ex passionibus animæ, iræ, verecundiæ, &c. ergo etiam est verus motus sensitivus partium viventis, ut affecti talibus passionibus. Sed sanguis est vera pars viventis, & non viventis utcumque, sed viventis ut affecti talibus passionibus, quod patet ex obedientia sanguinis ascendentis, & descendens, suffundentis faciem, & fugientis ad cor: ergo talis motus vitalis sensitivus est vita etiam sanguinis. Quidquid sit, nostra sententia unicè curat de vita vegetativa, quam communiter defendunt DD. nostri. Nec impugnatur bene ab arguente per hoc, quod sanguis non habet organa, & poros, quibus suggat alimentum ad suam nutritionem. Nam omissò, quod aliqui notant in sanguine Bovino, & Asinino, ubi apparent fibræ deservientes nutritioni, Omissò etiam, quod ex S.P.N. August. dictum est, nempe plura esse viscera in homine, quæ ignota sunt Medicis, & comprobantur ex operationibus animæ; inter quæ reponenda sunt forsitan organa sanguinis, deservientia ad ejus nutritionem, & augmentum. His omissis, non quia impro-

babilibus, sed quia non necessarijs; responderetur, sanguinem habere vera, & perspicua organa ad sui nutritionem, & augmentum. Hæc organa sunt in officina sanguinis, quæ est cor, aut jecur; quæ sicut sunt officina sanguinis, sic sunt organa ejusdem ad nutritionem, & augmentum.

Ad confirm. positam num. 15. dicitur, quod sanguis fluens, incisa vena, corrumpitur, & amittit vitam, & induit aliam formam, dum è vena erumpit; sicut cadaver, licet aliquid caloris, & similis virtutis retineat. Nec sanguis ille continuatur cum sanguine animato intra venas existente, licet videatur continuari. Modo quo membrum aridum videtur continuari sano, & virga sicca viridi; sed non sunt continua, sed contigua, quia habent diversas formas, quibus unum vivit, & alterum est mortuum. De sanguine sic, qui intra venas est vivus, & fervet; extra venas est mortuus, & deorsum tendit more gravium per formam gravitatis.

28. Ad 4. fundamentum positum num. 16. responderetur, quod sub speciebus panis ponitur ex *vi verborum*. Omnis pars corporis Christi, quæ habet rationem cibi juxta illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus*. Sanguis autem, licet sit vera corporis pars, est pars fluida, deserviens ad potum juxta illud ibidem: *Et sanguis meus verè est potus*: quare non ponitur *vi verborum* sub speciebus panis, nam verba pro speciebus

bus

bus panis sunt: *Hoc est corpus meum*, de quo antea dixerat: *Accipite, & manducate.*

Ad aliud dic, illud esse solvendum ab omnibus. Nam sanguis est vera pars de integritate naturæ humanæ, idèdque est assumpta à Verbo, & resurget in Beatis: ergo si Christus conceptus est ex purissimo sanguine suæ Matris, aliqua pars integralis Deiparæ subtracta est in Conceptione Christi, & sic diminuta est integritas Matris, contra assertum D. Thomæ, & contra doctrinam Ecclesiæ docentis in Conceptione Christi Verbum Matris integritatem non minuit, sed sacravit. Directè responderetur, sanguinem esse partem animæ informatam, sed non ita præcipuam, nec ita integritatem constituentem, ac sunt caro, & os; nam per defectum carnis, aut ossis homo dicitur mutilus, secùs autem per diminutionem sanguinis, ut patet cum scinditur vena. Adde sanguinem datum à natura in magna copia, ut sine detrimento integritatis ejus deserviat alijs partibus nutriendi; secùs ossa. Quare licèt Christus formatus sit ex purissimo sanguine, hoc factum est sine detrimento integritatis Deiparæ; quod non contingeret, si facta esset ex offe Matris conceptio Christi, ut facta est Eva ex costa Adæ.

29. Observa, quod contra distinctionem illius duplicis sanguinis nutrimentalis, & perfectè datam à Cayetano, & insinuatam à D. Thom. verbis datis num. 17. plura objiciunt

aliqui DD. Societatis putantes se impugnare Cayetanum, & revera impugnatur D. Thom. forsan inscienter. Omisissis levibus difficultatibus, quæ contra illam objiciuntur, breviter apponemus, quæ magis urgent.

Primò objicitur, quod in Christo Domino non totus sanguis fuisse hypostaticè unicus Verbo: quæ consequentiâ concedit Cayet. eam tamen Suarez disput. 15. sect. 6. dicit, neque piam, neque securam esse. Et Vazquius disp. 36. cap. 4. dicit, esse omninò falsam, & absurdam. Hoc suadet ex Clemente VI. in extrav. Unigenit. de pœnitentia, & remissione, ubi universaliter, & sine limitatione statuitur: *Guttam sanguinis modicam propter unionem ad Verbum, pro redemptione totius generis humani sufficisse.*

Rursus sequeretur ex positione Cayetani, quod totus sanguis assumptus à Christo, non fuisset ejusdem valoris, cum plurima, aut major pars fuerit sanguinis nutrimentalis, qui utpotè rarior est primus, qui è corpore egreditur. Tandem Scriptura, & Patres, ac Concilia loquuntur de toto sanguine Christi sine ulla distinctione.

Accedit ratio. Nam vel ille sanguis nutrimentalis est verè, & substantialiter sanguis; vel solum est analogicè sanguis, aut sanguinis umbra, aut humor aliquis tinctus, in quem transit cibus; ut ipse humor transeat postea in sanguinem substantialem. Si primum? Ergo de illo

illo accipienda sunt omnia, quæ de Christi sanguine prædicant Scriptura, & Patres. Si secundum? Ergo distinctio non est ad rem; quia de humore non disputatur, sed de sanguine verè tali, seu substantia Philosophis, & Theologis nomine sanguinis intellecta.

Respond. ex verbis D. Thom. n. 17. allegatis, quod non *Totus sanguis nutrimentalis, qui ex cibus generatur, pertinet ad veritatem humanæ naturæ, cum ergo Christus ante passionem comederet, & biberet, nihil prohibet in eo fuisse aliquem sanguinem nutrimentalem, qui ad veritatem humanæ naturæ non pertinet, & quem non oportet ad corpus ejus redire in resurrectione.* Quisnam sit hic sanguis nutrimentalis constat ex eod. S. Doctore esse *Illam humiditatem, quæ via generationis non habet determinatam speciem.* Hæc humiditas non habet determinatam speciem, usque dum fit sanguis perfectus, & vera pars integralis de veritate humanæ naturæ. Quare de illo humore non potest

affirmari absolutè, quod sit sanguis, sed cum addito diminvente, nempe sanguis nutrimentalis. Quod si à Philosophis, & Patribus non additur vox aliqua distinguens utrumque sanguinem, traditur autem à D. Thom. & opportunè, ad designandas partes pertinentes ad veritatem humanæ naturæ.

Hinc cessat quod objicitur; Nam id totum probat de vero sanguine, & humore fluido constituto in determinata specie, secùs de humore tincto sanguineo colore; qui via generationis non est in determinata specie, sed tendit ad ultetiores decoctiones, quibus fiat perfectus sanguis. Nec valet quod de isto humore non est questio. Nam falsum est, cum dubitetur de lacte, semine, & alijs humoribus viventium, an sint animata: ergo potiori, vel æquali titulo dubitatur de humore illo rubescente, qui putatur sanguis, sed non est nisi cum addito dato à Cayetano de mente D. Thom.



QVÆSTIO V.

Quenam animæ sint indivisibiles?

§. I.

Statuitur indivisibilitas animæ rationalis, & divisibilitas animæ vegetativæ.

7. **S**upponimus, animam rationalem esse indivisibilem, quod Durandus dicit, esse de fide, qua credimus, animam immortalem esse.

Suarius autem putat esse saltem si dei proximum. Et licet Zabarella, & alij docuerint, animam rationalem esse indivisibilem, stando principiis fidei, secus insistendo luminis naturali; contrarium tamen asseritur à reliquis, tenentibus indivisibilitatem animæ probari non solum ex principiis fidei, sed ratione naturali evidenti. Dicendum ergo animam rationalem esse plenè indivisibilem. Ita S. P. N. August. contra Epistol. Fortunati. cap. 16. & 19. Et 1. de Trinit. cap. 7. & lib. de Quantitate animæ. Accedit D. Thom. 1. p. q. 76. art. 8. & latius 2. contra Gent. cap. 72. & de Spiritualibus creaturis art. 4. & quæst. de anima art. 11. consentiunt Theologi in 1. Sentent. distin. 8. & in 2. dist. 6. ubi B. Ægid. & in Hexam. p. 1. cap. 7. & sæpè alij.

Probatum à ratione. Anima rationalis est spiritualis formaliter, ut docetur, & probatur à M. P. N. August. lib. 7. de Genes. ad lit. cap. 15. & 19. ad illa verba Genes. 2. *Fecit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Scilicet, animam, quæ est spiritus omninò incorporeus; quare ait M. P. N. August. *Vnde ergo sit ipsa, id est, de qua veluti materia Deus huic flatum fecerit, quæ anima dicitur, dum queritur, nihil corporum debet occurrere: sicut enim Deus omnem creaturam, sic anima omnem corpoream creaturam naturæ dignitate præcellit.* Ad idem dicitur Matth. 26. *Spiritus quidem promptus est, caro autem*

infirmæ. Et Epist. ad Galat. 5. *Caro concupiscit adversus spiritum;* nomine autem spiritus intelligitur anima, sicut nomine carnis significatur corpus. Sed divisio provenit ab aliqua materialitate, & corporeitate: ergo si anima rationalis est plenè spiritualis, erit plenè indivisibilis.

Probatum etiam ratione physica. Si anima esset divisibilis, esset tota in toto, & pars in parte: ergo abscissa manu, abscinderetur pars animæ. Patet consequentia ex dictis de divisibilitate aliarum animarum. Tum sic, vel ergo ea pars animæ abscissa, corrumpitur, vel manet. Primum est contra fidem; nam anima rationalis est omninò immortalis: ergo implicat, quòd pars illius corrumpatur. Secundum etiam est ferè contra fidem, nam ubi manet pars illa animæ, quæ abscissa est in manu?

Præterea: Illa pars animæ abscissa habet intellectum, an non? Habere non potest, aliàs intellectus quoque esset divisibilis; & duo intellectus partiales darentur in anima, quod est impossibile. Manere autem illam partem animæ sine intellectu, est multò absurdus: ergo implicat ex omni cap. animam rationalem esse divisibilem. Hic repone quæ diximus lib. 1. Physicor. q. 13. probantes, animam rationalem non fieri per eductionem; nam quæ ibidem probant, animam nostram esse independentem à materia in esse, & operari; probant animam non extendi, nec reddi divisibilem exten-

ensione, & divisione materiæ.

2. Circa animam vegetativam referantur aliqui Antiqui apud Averfam quæst. 46. lect. 3. dicentes, omnem animam etiam vegetativam esse indivisibilem. Tribuitur Platoni, & Simplicio, & ex minùs Antiquis uni, aut alteri. Communissima sententia tenet, omnem animam purè vegetativam esse divisibilem integraliter, de qua divisibilitate est prærens controversia. Probatum cum D. Thom. 1. p. q. 76. art. 8. & q. 2. de Anim. art. 10. sic: Anima arboris non est tota in toto, & tota in qualibet parte, sed pars in parte: ergo anima purè vegetativa, ut est in plantis, est realiter divisibilis. Prob. antecedens. In ramo abscisso ab arbore, manet anima: quod probatur ex eo quòd ramus virefcit plantatus, frondescit, & ramusculos emittit. At non manet eadem anima vegetativa, quæ est in tota arbore, aliàs eadem anima esset in locis discretis, & distancibus, quod est impossibile: ergo manet pars animæ distincta, quam ramus habebat in arbore ante incisionem.

Hinc D. Thom. sequens Aristot. 2. de Anim. text. 20. & lib. de juventut. & senect. cap. 1. dicit, arboris formam, & quorundam etiam animalium imperfectorum, esse unam actu, & multiplicem in potentia; scilicet unam per continuationem partium, potentem verò dividi in partes plures, quæ sint formæ distinctæ, & maneant seorsim. De qua distinctione poten-

tiali cum identitate actuali latè disputavimus in Logica, agentes de distinctione partium substantiæ orta à quantitate.

Ultra experientiam accedit ratio. Nam indivisibilitas opponitur divisibilitati, & hæc sumitur à materia quanta: ergo indivisibilitas est quædam spiritualitas, vel quædam independentia à materia. Sed inter formas elevatas supra materiam nulla est inferior ab anima vegetativa: ergo licet vegetativa aliquomodo operetur supra materiam, & modo vitali, est tamen divisibilis divisione materiæ.

Si dicas, quòd divisa planta, aut vite, non dividitur anima, quæ erat ante divisionem, sed corrumpitur plenè, & de novo producuntur duæ animæ, quibus animatur pars abscissa, & pars, à qua facta est abscisso. Contra est, nam ut nova anima producat, necesse est poni dispositiones, quibus introducatur nova forma: sed per abscisionem rami nulla ponitur dispositio ad novam formam; immò abscissio potius est actio destructiva, quàm productiva: ergo per abscisionem non producitur nova forma. Præterea: Illa nova forma producta, vel est distincta in specie à præcedente, vel solum numero differens. Totum est falsum. Primum, quia experientia constat, quòd ramus abscissus, & iterum plantatus, dat fructus ejusdem speciei cum arbore præcedente incisione: ergo quia forma rami non differt specie à forma præcedenti,

Non secundum, quia nunquam natura corrumpit unam formam, ut producat aliam ejusdem speciei: ergo forma de novo producta, non differt solo numero à forma præexistente.

Contra divisibilitatem animæ vegetativæ nullum est argumentum, quod sit alicujus momenti, ut advertit Suarez; sunt tamen aliqua contra indivisibilitatem animæ rationalis, quæ hic solventur breviter. Primò, quod est subjectum quantitatis mollis, est extensum, & sic divisibile; sed anima rationalis est pars compositi humani, quod est subjectum quantitatis; & sic anima est subjectum parziale quantitatis: ergo anima non est indivisibilis, & inextensa, saltem per accidens, & ratione subjecti. Secundò, quantitas, extensio, & divisibilitas, sunt passionis corporis completi, aut substantiæ corporeæ; sed anima rationalis, licet in se sit spiritualis, constituit tamen cum materia substantiam corpoream completam: ergo ut sic est divisibilis, & extensa. Tertio, *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*, sed anima rationalis recipitur in materia extensa, & divisibili; nam recipitur in materia organica, quæ necessariò est extensa: ergo recipitur modo divisibili, & extenso. Quartò, si anima esset tota in qualibet parte corporis, in qualibet parte essent omnes potentia animæ: ergo in qualibet exerceret anima omnes operationes; sed hoc est falsum, quia nec occu-

lus ambulat, nec pes videt, nec venter intelligit: ergo non est tota in qualibet parte. Quintò, ex quo anima sit tota in qualibet parte, plura sequuntur absurda. Primò, sequitur, quod superhabita una parte corporis, anima moveretur localiter ad illam informandam. Hoc est implicans, quia motus localis non fit, nisi dimittatur locus, in quo priùs erat mobile; & sic anima dimitteret alias partes corporis, ut novam informaret. Secundò, ablata una parte corporis, auferretur anima, & sequeretur mors hominis. Tertio, sequeretur, quod anima esset tota in infinitis partibus; quia partes corporis continui sunt infinitæ. Quartò, quælibet pars esset homo; nam homo est subjectum, in quo est tota anima. Et sic manus esset homo, quod est falsum.

Tandem anima prout in capite, distaret à se ipsa, prout in pedes; & hoc est impossibile. Accedit, quod corpus humanum, abscisso capite, aliquando se movet; & caput abscissum aliquando locutum est; sed divisibilitas animæ vegetativæ probata est, ex quo partes divisæ operantur vitaliter: ergo si partes humanæ sic operantur divisæ, anima humana erit divisibilis.

Ad 1. responderetur, animam rationalem non esse formaliter subjectum quantitatis, sed eminenter. Ratio est, quia solùm est subjectum quantitatis in quantum dat materiæ gradum corporeitatis completæ, & cum materia constituit substantiam

cor-

corpoream completam; sed hoc totum facit anima, quim sit formaliter corporea, per hoc solùm, quod sit corporea eminenter: ergo anima non est formaliter subjectum parziale quantitatis; sed solùm eminenter. Sed subjectum quantitatis eminenter tale, est illud, quod subsistentat quantitatem, sine imperfectionibus, quas habet subjectum formale: ergo si subjectum formale extenditur per quantitatem; subjectum eminentiale non extenditur; sed manet indivisibile. Per hoc patet ad secundum. Nam anima constituit substantiam corpoream, quatenus est eminenter corporea; non formaliter: ergo quantitas, & extensio, quæ sunt passionis substantiæ corporeæ formaliter talis, non conveniunt animæ rationali, adhuc ut constituenti corpus, quia nec sic constituens est formaliter corporea; sed eminenter, & sine imperfectione.

Ad 3. dic, majorem esse veram, quando quod recipitur non repugnat modo recipientis; secus si repugnet. Aqua enim recipitur in vase solido; & tamen aqua non recipit soliditatem, quia per naturam est fluida, cui repugnat esse solidã. Sic anima formaliter spiritualis repugnat materialitati, extensioni, & divisibilitati; unde non recipit à subjecto materiali, extenso, & divisibili illos modos repugnantes spiritualitati. Ad 4. dic, animam cum omnibus suis potentijs esse in qualibet parte corporis; sed ibi non exer-

cere omnes suas operationes, quia deficiunt organa ad illas requisita. Od id dicitur, quod anima est tota in qualibet parte totalitate entitatis, non totalitate virtutis, id est, ubique habet entitatem suarum potentiarum, sed non ubique exercet virtutem.

Ad 5. negantur omnes sequentia. Non tenet prima, quia anima non est in corpore, ut locatum in loco; alioquin sicut locatum dimittit locum sine corruptione loci, ita anima posset corpus dimittere sine corruptione ipsius, quod est falsum. Ad 2. dic, mortem hominis esse separationem animæ à toto corpore, non à parte. Separatio animæ à sola parte, non est mors hominis, sed illius partis, quæ idem dicitur mortua. Ad 3. dic, quod anima est in partibus organicis, & physicis, quæ finitæ sunt; non in partibus mathematicis, & proportionalibus, quæ sunt infinitæ; quas licet informet, eas informat medijs partibus aliquotis, & organicis.

Ad 4. dic, quod homo dicitur compositum ex anima, & corpore, habente plures partes, & plura organa diversa pro diversis animæ operationibus. Anima autem in pede, aut manu, non habet omnia organa; quare anima ut existens in sola parte non est homo. Ad ultimam dic, caput, & pedes simul cum partibus intermedijs, integrare locum adæquatam animæ, ut locus dicitur improprie subjectum receptivum: unde ut existens in illis partibus non distat

dilat à se ipsa. Nec casus ultimò objecti quidquam probant, nam caput locutam post abscisionem, locutum est miraculosè, vel reservata anima in solo capite, ut præcibus Sancti Dominici factum est in Gallia; vel Angelo movente linguam, & articulante vocem. Nunquam tamen anima rationalis simul informavit utramque partem corporis divisi, ut in vegetabilibus quotidie videtur.

§. II.

Referuntur sententiæ cum suis fundamentis circa animam sensitivam.

4. **C**ONCORDES Philosophi docent., animas animalium imperfectorum esse realiter divisibiles, si excipias DD. tribuentes indivisibilitatem animæ etiam vegetativæ; quibus patrocinari videtur M. P. N. August. lib. de Quantit. animæ cap. 31. ubi miratur maximè, quòd animantis cujusdam imperfecti qualibet pars divisa viveret, ac sentiret, connaturque explicare illius animam non fuisse divisam. Vocantur animalia imperfecta, quæ dicuntur anulosa, & sunt ea, quæ divisa utrobique vivunt, ut plures vermes, præsertim centipedes. De his communis sententia asserit, habere formam realiter divisibilem.

Probatum experientia, quæ videmus lacertam, aut vermiculū,

in duas partes sectum, in utraque vivere, se movere, & sentire. Hanc experientiam scribit M. P. N. August. loco laudato, ubi ait, se, & ejus Discipulos vidisse vermiculum longum, & multipedem, qui divisus tam velociter, ac expedite secundum utramque partem se movebat, ac si duo integra essent animalia, styloque se torfisse ad doloris locū, & subdit: *Tentavimus, quatenus id videret, atque vermiculum, immò jam vermiculos in multas partes concidimus; itaque omnes moribuntur, ut nisi à nobis factum illud esset, & comparerent vulnera recentia, totidem illas seorsim natos, ac sibi quemque vixisse crederemus.* Eandem experientiam adhibet Philosophus pro eodem asserto, 1. de Anim. text. 67. 93. & 94. Et lib. 2. text. 20. & de Longitud. vitæ cap. 3. & de Juventute cap. 1.

5. Hinc arguetur sic. Hoc animal divisum in duas partes, in utraque vivit, se movet, & sentit: ergo ejus anima fuit divisibilis, & composita ex partibus integralibus, quæ permanent in partibus illis sectis. Probatum consequenter. Nam primò dici non potest, utramque partem sectam informari eadem anima indivisibili. Tum, quia hæc non potest existere in locis discretis, & distantiis, maximè cum sit forma materialis. Tum etiam, quia ut testatur S. P. N. August. si una pars abscissa pungitur, se contorquet ad locum doloris, altera verò nihil sentit: ergo quia in utraque parte non est

eadem anima.

Rursus, dici non potest, motus illos provenire ab spiritibus vitalibus. Tum, quia major copia spirituum vitalium manet in parte abscissa animalis perfecti, v.g. in pede equi aut canis, in qua non experimur motus illos. Tum etiam, quia spiritus illi, quàm citò evolvant, & deficiunt; motus verò in animalibus imperfectis discedit durant multo tempore. Tum præcipuè, quia ab spiritibus vitalibus causari potest motus localis, sed non sensitivus, ut patet in capite abscisso: sed in partibus discretis vermiculi centipedis verus sensus percipitur, cum pungeretur, & se contorqueret ad doloris locum, & curreret non minus, ac si esset integer: ergo manifestè convincitur id non oriri ab spiritibus vitalibus. Ulterius dici non potest, in una parte abscissa produci nova anima, antiqua manente in altera parte. Primò, quia eodem jure idem diceretur de anima vegetativa plantæ, quæ simili divisione utrobique vivit: & inde communis sententia asserit, animam vegetativam esse divisibilem. Secundò, quia non est major ratio; cur anima antiqua maneat potius in una parte, quàm in alia. Tertio, quia nova illa anima in cauda lacertæ producta, nec dici potest ejusdem speciei cum anima in alia parte manente, nec diversæ. Non ejusdem, quia individuū generari non potest ex individuo ejusdem speciei, tanquam ex termino à quo. Tum quia defectus dispo-

sitionum, ob quem pars illa conservare non potest antiquam formam, impedit etiam, ne recipiat alteram ejusdem speciei.

Non etiam diversæ: Tum, quia sic anima illa à solo Deo posset produci, non autem ab agente creato, quod ad productionem formæ lætæ plures dispositiones requirit, & organa, quæ non sunt in cauda. Sine fundamento autem ponitur forma lætæ à solo Deo producibilis. Tum, quia anima illa ex natura sua misera esset, & perpetuò inquietata, & dolens, ut indicant motus ejus; sed nulla talis anima ab Authore naturæ, omnibus benefico producitur; cum omnis ab eo ordinetur ad aliquam quietem, & fœlicitatem: ergo.

Rursus, anima illa non esset nutritiva, cum nequeat exercere operationem nutriendi, & in mortem properet. Aliunde deberet esse nutritiva, quia omnis anima materialis nutritiva est. Item, non esset completa; nam exigeret dispositiones cordis, capitis, & similes, quæ in sola cauda non reperiuntur: ergo esset forma incompleta, ordinata ad aliam, cum qua constitueret integraliter lacertam; & sic haberetur intentum, quia jam ponitur anima divisibilis in partes integrales.

Tandem dici non potest cum aliquibus, animam antiquam perire, & in utraque parte abscissa novam produci. Tum, quia idem dici poterit de planta, & igne. Tum, quia proximè dicta etiam urgent contra

hanc solutionem. Tum, quia vivens non fit ex vivente, sed ex non vivente. Quare experientia divisionis factæ in animalibus imperfectis, plenè probat eorum animas divisibiles.

6. Circa animas animalium perfectorum, eorum scilicet, quæ semel divisa, pereunt, ut canis, equus, &c. Prima sententia docet eorum animas esse indivisibiles. Ita D. Thom. 1. p. quest. 76. art. 8. & 2. contra Gent. cap. 72. quem sequitur Cayetan, & alij Thomistæ, & ex DD. Societatis Conimbricenses, & Suavius 1. de Anim. cap. 13. licet in Metaphysica disp. 15. sect. 10. teneat oppositam.

Probat 1. ex D. Thoma 1. p. quest. citata, ubi ait: *Sed forma, quæ requirit diversitatem in partibus, sicut est anima, & præcipuè animalium perfectorum, non equaliter se habet ad totum, & partes; unde non dividitur per accidens ad divisionem quantitatis: Sic ergo totalitas quantitativa non potest attribui animæ, nec per se, nec per accidens.* Ad idem 2. contra Gent. cap. 72. dicit: *Si est aliqua forma, quæ non dividatur divisione subjecti, sicut sunt animæ animalium perfectorum, non erit opus distinctione, cum eis non competat, nisi una totalitas, sed absolute dicendum est, eam totam esse in qualibet parte corporis.* Hæc sententia sumitur etiam ex Aristot. lib. de Juvent. cap. 1. ubi postquam dixit de animalibus imperfectis esse quasi animalia multa coherentia, subdit: *At quæ optima*

fabricatione constant, haud quaquam vivere dissecta queunt, quod eorum natura, quam maxime potest, una habeatur.

7. Ex his probatur à ratione eadem sententia Forma, quæ licet actuat subjectum divisibile illud actuat modo indivisibili, est forma indivisibilis; sed anima bruti perfecti actuat subjectum divisibile, sed modo indivisibili: ergo anima bruti perfecti est formaliter indivisibilis. Major patet. Tum in anima rationali, quæ licet actuat corpus organicum formaliter divisibile, non redditur divisibilis, quia ultra ejus spiritualitatem subjectivam, actuat corpus modo indivisibili. Secundò eo modo anima potest reddi divisibilis divisione subjecti, quo subjectum actuat; nec aliter potest reddi forma divisibilis divisione subjecti, nisi quia illud actuat, & informat: ergo forma, quæ informat modo indivisibili, non redditur divisibilis divisione subjecti.

Minor probatur. Forma, quæ ut actuat subjectum, requirit partes ejus perfectè organicas, & sibi invicem perfectè consonas, actuat subjectum modo indivisibili; patet hoc, tum quia hæc organizatio, & perfecta partium correspondentia, est quid indivisibile, nam si dividatur pars à parte, deficit plenè illa correspondentia; sed anima bruti perfecti petit partes subjecti perfectè organicas, & sibi invicem perfectè consonas, & correspondentes; quod patet, nam facta divisione no-

tabi-

tabili partium, perit anima, nec amplius informat partes illas, ut constat experientia, qua videmus animal perfectum, in partes divisum, statim mori: ergo quia anima ejus informat modo indivisibili.

Confirmatur 1. Illa sola forma actuat divisibiliter, quæ sic actuat, ut deficiente in aliqua parte correspondentia, vel connexion cum reliquis partibus, eam actuat; sed anima bruti perfecti non est talis, nam statim ac scinditur aliqua pars corporis organici, eam desferit, & statim moritur; ejus contrarium apparet in animalibus imperfectis: ergo &c. Probat major. Illa sola forma actuat divisibiliter, quæ indifferentè respicit totum, & partes; hoc est, quæ ita conservatur in toto, ac in partibus; sed sola est talis illa forma, quæ sic actuat totum, & partes, ut deficiente in aliqua parte correspondentie, aut connexioni cum reliquis partibus, eam actuat: ergo.

8. Secundò probatur hæc sententia sic. Anima bruti perfecti, v.g. equi, non conservatur in partibus divis; secus anima imperfecti; sed hoc idè, quia prima est indivisibilis: ergo anima bruti perfecti est realiter indivisibilis. Minor probatur 1. Nam ex conservatione animæ in partibus bruti imperfecti divis, benè probatur ejus divisibilitas: ergo è converso indivisibilitas animæ bruti perfecti benè probatur ex nō conservatione. Secundò, natura non alio fine intendisse videtur divisi-

bilitatem formatum, nisi ut conserventur ad divisionem quantitatis. Tertio, nam forma, quæ conservari non potest in partibus separatis, nō informat modo divisibili; si enim ita informaret, ipsa potius divisione perficeretur, quia fieret subsistens; ergo talis forma est indivisibilis.

Confirmatur. Anima equinus eo ipso, quod in parte separata non conservetur, dicit diversam habitudinem ad totum, & ad partes, ita ut non pars aliqua, sed solum totum possit esse subjectum perfectibile talis animæ: ergo eo ipso est indivisibilis. Probat consequens. Nam forma divisibilis dicit eandem habitudinem ad totum, & ad partes, ut subjectum perfectibile. Pro quo notandum cum Cayetano alias esse formas, quæ omnino indifferentè se habent ad totum, & ad partes, ut forma aquæ, quæ æqualiter se habet ad materiam palmarem, quæ est totum, ac ad semipalmarem, quæ est pars; & idè utramque æqualitas respicit, ut subjectum perfectibile, & in quavis potest conservari. Aliæ sunt formæ, quæ differentè se habent ad totum, & ad partes, ut anima rationalis, quæ sic respicit corpus, ut introduci, vel conservari non possit in sola parte, v.g. manu: quare solum respicit totum, ut subjectum perfectibile. Hoc discrimen continetur in verbis datis D. Thomæ. Hujus generis sunt animæ brutorum perfectorum; quare cum differentè se habeant ad totum, ac ad partes, habent indivisibilitatem.

Omittimus alias rationes, quæ vel æquè probant de animalibus imperfectis, vel reducuntur ad jam positas, quas vide in DD. hujus sententiæ.

9. Secunda sententia extremè opposita docet, eas animas esse realiter divisibiles, & extensas. Ita B. Ægidius in 1. Sentent. dist. 8. q. 3. & in Examer. p. 1. cap. 7. & alibi, quem sequuntur N. Gregorius, Argentinas, Saxonix, Toletus, & novissimè Gavardi, cum quibus alij DD. nostri. Eam tenet Scotus in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. quem sequuntur Scotistæ. Ex DD. Societatis eam docent ferè omnes, & ex Thomistis aliqui, ut Capreolus, Soncinas, Xabelus, Landunus, & alij.

Probatur 1. Nam utraque anima bruti perfecti, & imperfecti pendet à materia, & est materialis; itè utraque pendet à materia divisibili; item utraque recipit esse in materia divisibili: ergo utraque est divisibilis.

Confirmatur: operationes utriusque bruti perfecti, aut imperfecti sunt extensæ; item potentiaæ operativæ utriusque animæ sunt etiam extensæ: ergo radix harum operationum, & potentiarum, quæ est anima, est extensa, & divisibilis.

10. Probatur 2. Omnis forma materialis educitur de potentia materiæ: ergo tota educitur de tota materia, & pars de parte; quod non stat sine partibus, & divisibilitate formæ. Consequentia probatur. Quia dum forma educitur: vel edu-

citur tota de tota materia, & tota de qualibet parte; aut pars de parte; sed non primum: ergo secundum. Probatur min. quia impossibile videtur, formam jam semel eductam denuò educi, & denuò fieri: ergo etiam est impossibile, formam, quæ tota educitur ex una parte materiæ, educi totam ex alia. Secundò probatur min. Assumamus certam partem materiæ, ex qua educta est tota anima, & argue sic. Tota anima ex vi actionis, qua in illa parte fit, educitur: ergo impossibile est educi simul totam animam ex alia parte materiæ. Probatur consequentia, quia impossibile est, unum, & idem bis produci totaliter. Item impossibile est, unum, & idem terminare duas actiones adæquatas. Item impossibile est, unum, & idem pendere à duplici causa totali: ut dicitur 2. Physic. Hæc impossibilia sequuntur, si tota anima educta ex una parte materiæ educitur tota etiam ex alia parte materiæ; nam bis educitur. Item pendet à duplici causa materiali; item per duplicem actionem, quarum qualibet est adæquata, cum producat, aut educat totam animam.

Confirmatur ex nutritione. Nā in ea additur viventi pars formæ: ergo quia in omni vivente forma est divisibilis. Probatur antecedens. Nā si in nutritione non adderetur pars formæ, tunc forma, quæ erat antea, migraret ad novam materiam, per nutritionem acquisitam: ergo illa mutaret subjectum inadæquatum. Item

Item cum per continuam nutritionem possit perire materia primigenia, & nova materia totalis acquiri; sequeretur, quodd anima viventis mutaret subjectum adæquatum; sed hoc est impossibile in forma materiali, & dependenter à materia in esse, & conservari: ergo &c. Probatur min. In sententia Thomistarum accidentia, quæ pendent à composito, ut à subjecto, pereunt, destructo composito, nec possunt migrare de subjecto in subjectum: ergo impossibile est, quodd forma substantialis pendens à subjecto in esse, & conservari, maneat eadem, destructo subjecto per continuam nutritionem.

11. Confirmatur iterum. Dū per continuam nutritionem mutatur tota materia primigenia, vel simul mutatur anima primò educta, vel conservatur illa forma in nova materia totali. Si primum? Ergo animal, dum nutritur, moritur, & nutritio viventis erit mors illius, quod implicat in terminis. Patet consequ. quia vivens tunc moritur, quando perdit animam; quare si per nutritionem deperditur anima, per nutritionem moritur vivens. Si secundum? Ergo anima informat illam materiam, ex qua nō est educta. Hoc est falsum, quia implicat, formam materialem esse independentem à materia, & talis esset, si actuaret materiam, ex qua non est educta: ut patet in anima rationali, cum sit spiritualis, & independentens à materia, actuat mate-

riam, ex qua non est educta.

Tandem, non est intelligibile, quodd forma corporea, dum est in materia, sit tota in toto, & tota in qualibet parte modo naturali; sic enim res corporea esset modo sacramentali, sicut corpus Christi est in Sacramento: ergo dicendum, quodd anima cujuscumque bruti formaliter corporea, est tota in toto corde, & pars in parte. Sed hoc est habere partes, & esse divisibilem: ergo omnis anima cujuscumque bruti est realiter divisibilis.

Urgetur. Idèd aliqua forma est spiritualis, quia est incapax extensionis, & divisibilitatis: ergo à contratio. Si animæ brutorum non sunt spirituales, erunt divisibiles; vel si indivisibiles sunt, erunt spirituales.

12. Tandem arguitur experientijs, quibus comprobatur, quodd animalia perfecta, etiam dissecta vivunt. Philosophus 1. de Anima. text. 92. & de juvent. cap. 1. dicit, testudines, abscisso corde vivere. Coment. 7. Physic. text. 4. refert, se vidisse progredientem arietem, abscisso capite: & ex Avicena refert, taurum per duos passus ivisse; abscisso corde. Similia refert Tertulianus lib. de Anim.

§. III.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

13. **N**OSTRA sententia cōtendit conciliare D. Thom. cum

cum B. Egidio, hec non cum do-
ctrina M. P. N. August. qui lib. de
Quantitate animæ contendit ex una
parte, animam bruti etiam imper-
fecti, esse indivisibilem; & ex alia
approbat sententiam doctissimorū
Virorum, docentium animam ma-
terialelem esse divisibilem divisione
corporis; unde lib. citato cap. 32.
concludit alloquens, filium suum
Adeodatum sic: *Vt possis intelligere
liquidissime, utrum quod à quibus-
dam doctissimis viris dicitur, ita se
habeat; animam per se ipsam nulla
modo; sed tamen per corpus posse par-
tiri.*

Notandum ex S. P. N. lib. 4.
de Origine animæ cap. 23. quod
licet animæ brutorum sint materia-
les, & corporeæ, vocantur in sacra
Scriptura Spiritus. Verba S. P. N.
sunt hæc. *Vt ergo plenissime, ac pla-
nissime noveris eam, quæ anima est,
more Divinorum elogiorum etiam spi-
ritum dici, appellatur pecoris spiri-
tus. Et utique non habent pecora il-
lum spiritum, quem tua dilectio dis-
cernens ab anima diffiniivit.* Intellige
spiritum rationalem. *Vnde manife-
stum est, quod generali vocabulo ani-
ma pecoris rectè potuit sic vocari, si-
cut legitur in libro Ecclesiastes: quis
scit, spiritus filiorum hominis si as-
cendat ipse sursum, & spiritus peco-
ris, sive descendat ipse deorsum in ter-
ram? Itemque in diluvij vastitate ita
scriptum est: & mortua est omnis ca-
ro, quæ movebatur super terram, vo-
latilium, pecorum, & omnia quæcum-
que habent spiritum vitæ. Vbi re-*

*motis omnibus dubitationis ambagibus,
generale nomen esse intelligimus spi-
ritum.*

Hinc non leviter colligitur,
tum ex sacra Pagina, tum ex M. P.
N. August. quod anima viventis,
præsertim bruti perfecti, est ex se
indivisibilis, quia est, & dicitur
spiritus, de cujus conceptu est in-
divisibilitas. Non tamen est spiri-
tus, ut anima nostra rationalis; quia
nostra anima non est corporea; sed
plene spiritualis, & immortalis. A-
nima autem pecoris est formaliter
corporea, & mortalis; quare licet
dicatur spiritus, reversa non est spi-
ritualis.

Habet anima pecoris, quod
sit forma formaliter corporea; &
habet, quod sit forma formaliter
vitalis. Sub prima acceptione est
realiter divisibilis; & hoc probant
fundamenta secundæ sententiæ. Sub
secunda acceptione est indivisibilis,
quia sic vocatur spiritus, & imita-
tur spiritualitatem animæ rationalis,
licet non plene, quia dependet
à materia in esse, & conservari.
Hanc indivisibilitatem, convenien-
tem animæ pecoris, ut est for-
ma vitalis, probant fundamenta
Thomistica DD. primæ sententiæ.
Quare nostra sententia respondet
quæsito sic. Anima viventis, præser-
tim bruti perfecti sub gradu cor-
poreitatis est realiter divisibilis; sub
gradu tamen viventis perfecti, est
realiter indivisibilis.

14. Probatur conclusio no-
stra, quoad primam partem eis ra-
tionali-

tionibus, quibus probata est secun-
da sententia, quas confirmo sic. A-
nima cujuscumque viventis si su-
matur secundum gradum corporei-
tatis, est forma formaliter corporea,
& univocè convenit cum formis in-
animatorum; sed forma lapidis, &
cujuscumque compositi inanimati,
est realiter divisibilis divisione sub-
jecti, scilicet divisione materiæ
quanta; ergo forma cujuscumque
viventis, sumpta sub gradu corpo-
reitatis, est realiter divisibilis. Maj.
patet, quia in ratione substantiæ
corporeæ univocè conveniunt ani-
mata, & inanimata: ergo conve-
niunt univocè formæ constituentes
utramque substantiam corpoream
animatam, & inanimatam; præser-
tim si utraque est formaliter corpo-
rea, & non eminenter, ut anima ra-
tionalis.

Confirmatur. Illa forma est
realiter divisibilis juxta D. Thom.
ubi supra, quæ eodem modo se ha-
bet in ordine ad totum subjectum,
ac in ordine ad partem; sed anima
cujuscumque bruti sub gradu cor-
poreitatis se habet eodem modo, ad
totum subjectum, ac se habet ad
partem: ergo anima illa sub gradu
corporis est realiter divisibilis. Pro-
batur min. Anima illa sub gradu
corporis non petit partes organicas,
nec diversæ rationis, sed ejusdem,
ut patet in aqua, lapide, & alijs cor-
poribus inanimatis; item patet, quia
organa diversa solum desiderantur
pro actionibus vitalibus, quare so-
lum exiguntur ab anima, ut prin-

cipio vitali; sed anima sub gradu
corporeitatis non est principium vi-
tale: ergo non petit partes organi-
cas, sed ejusdem rationis; sed for-
ma petens partes ejusdem rationis,
eodem modo se habent, ad totum,
& ad partes; quia in qualibet par-
te determinata invenit partes etiam
ejusdem rationis, ut patet in aqua,
& lapide, quomocumque divi-
sis: ergo anima sub gradu corporis
eodem modo comparatur ad totum,
& ad partes.

Confirmatur 2. Anima cujuscumque
bruti sub gradu corporis
facit in vivente id, quod faceret
forma corporeitatis realiter distin-
cta, quam ponunt Scotistæ; item
eodem modo continet in communi
sententia gradum, & effectum for-
malem corporeitatis, ac si esset un-
ivocè forma corporeitatis; sed for-
ma corporeitatis sic est corporea, ut
sit realiter divisibilis, & reddat co-
positum realiter divisibile: ergo a-
nima bruti sub gradu corporis, &c.
Minor patet in doctrina Scotistarū,
& aliorum, qui talem formam po-
nunt ad gradum corporeitatis. Ma-
jor probatur. Forma corporeitatis
si datur, est forma formaliter cor-
porea, & formaliter continens gra-
dum, & effectum formalem corpo-
reitatis; sed anima cujuscumque
bruti sub gradu corporeitatis est for-
maliter corporea, & continet for-
maliter gradum, & effectum forma-
lem corporeitatis; ad differentiam
animæ rationalis, quæ non est for-
maliter corporea, sed eminenter;

nec continet formaliter gradum corporeitatis, sed virtualiter eminenter: ergo.

15. Quoad 2. partem probatur conclusio. Primò ex loco laudato M. P. N. August. juxta quem, & sacram Scripturam anima pecoris sub gradu viventis dicitur spiritus; sed spiritus, ut contraponitur corpori formaliter divisibili, & extenso, est realiter indivisibilis: ergo anima bruti sub gradu viventis est realiter indivisibilis. Illustratur ex S. P. N. August. lib. 3. contra Maximinum cap. 15, ubi ait: *Diversa naturæ sunt spiritus hominis, & spiritus pecoris; & tamen nihilominus uterque dicitur spiritus*; sed si anima pecoris sub gradu viventis esset realiter divisibilis, non solum differret in natura à spiritu hominis, sed etiam differret in nomine spiritus; siquidem quod est realiter divisibile est corpus juxta S. P. N. lib. 6. de Trinit. cap. 6. ubi dicit, corpus esse quid extensum, quod molle diffunditur, ibi: *creatura quoque spiritualis, sicut est anima, est quidem in corporis comparatione simplior, &c. Et ideo est simplior corpore, quia non molle diffunditur per spatium loci; sed in unoquoque corpore, & tota est, & in qualibet ejus parte tota est.*

16. A ratione probatur anima animalis perfecti non est quanta ratione sui, sed ratione subjecti; quare si est divisibilis, non est divisibilis ratione sui, sed ratione subjecti; sed subjectum animæ bruti perfecti sub gradu viventis (sub

quo procedit nostra assertio, & ejus probationes) est formaliter indivisibile: ergo etiam anima perfectiorum animalium sub gradu viventis est formaliter indivisibilis. Major patet, quia divisibilitas primò, & per se convenit quantitati; deinde materiæ extensæ per quantitatem; ac tandem formæ substantiali receptæ in materia quanta. Minor probatur. Subjectum animæ Leoninæ, v.g. est corpus organizatū, habes cor, cerebrū, jecur, &c. Sed corpus leoninū non potest dividi in duo corpora, quorum utramque habeat ejusmodi membra, ut ex se patet: ergo subjectum hujus animæ sub gradu vitæ sensitivæ, sub quo petit talia organa, est formaliter indivisibile.

Ex hac ratione manifestè ostenditur, cur animalia imperfecta habeant animam realiter divisibilem; secus animalia perfecta, ut bene docet D. Thom. Ratio est, nam subjectum animæ imperfectæ licet sit organicum, est tamen taliter, ut facta divisione, maneat in qualibet parte divisa sufficiens organizatio ad eam vitam animalis imperfecti, quare corpus illud organicum est realiter, & formaliter divisibile, ut patet in illo experimento Vermiculi Augustiniani. E contra corpus organicum animalis perfecti petit partes plures, & præcipuas, quæ facta corporis divisione, non inveniuntur in utraque parte; quare est corpus organicum formaliter indivisibile: ergo cum anima solum possit esse

esse divisibilis per accidens, divisione subjecti, anima perfecta, quæ recipitur in subjecto organico, formaliter indivisibili, est realiter indivisibilis; forma autem imperfecta, quæ recipitur in corpore organico formaliter divisibili, est realiter divisibilis.

17. Secundò probatur à ratione. Modus operandi sequitur modum essendi; sed in animalibus perfectis anima sub conceptu vitæ est indivisibilis in operando: ergo anima bruti sub conceptu vitæ est indivisibilis in essendo. Minor probatur. Quando canis cognoscit, & appetit panem visum, eadem anima appetit totum panem, & partem illius; non enim altera pars animæ appetit partem panis, & altera pars aliam partem; sic enim non daretur unum appetens totum panem formaliter: sicut in duplici intellectu, si quilibet cognoscat unam unitatē, non datur cognoscens formaliter numerum binarium, & etiam si idem intellectus per distinctas cognitiones cognoscat duas unitates seorsim, non cognoscat formaliter binarium; at canis est formaliter unum appetens panem visum: ergo tota anima appetit totum panem, & partem illius; & consequenter per eandem operationem tota anima canis unitur intentionaliter toti objecto, & cuivis parti objecti. Sed hoc est habere operationem indivisibilem: ergo anima canis, ut sensitiva operatur indivisibiliter.

Confirmatur. Lupus, visa ove,

format imaginationem, & appetitum illius, quæ durant, etiam transacto ovis conspectu: idè enim illam, etiam non visam insequitur. Sed hoc convincit, eandem esse animam, quæ objectum vidit in oculo, imaginatur in cerebro, & appetit in corde: ergo anima lupi est indivisibilis. Probatur min. Non potest pars animæ, quæ est in cerebro, formare imaginationem objecti visi à parte distincta, magis quam Petrus imaginari objectum visum à Paulo. Multò minùs etiam anima cordis, in quo juxta communiorem sententiam est anima appetitiva, poterit appetere objectum à se non cognitum; *Cum nihil volitum, quin præcognitum*: ergo si lupo, visa ove, format imaginationem, & appetitum illius: &c.

Confirm. 2. Quia ut frequenter docet D. Thom. *Omnia virtus cognoscitiva fundatur in aliquo gradu immaterialitatis.* Sed in cane, & brutis, est vis cognoscitiva, sensitiva: ergo in eis sub conceptu vitæ est aliquis gradus immaterialitatis. Sed gradus immaterialitatis est gradus indivisibilitatis; & modo quo sunt immateriales tales animæ, dicuntur spiritus à sacra Pagina: ergo in animalibus brutorum sub conceptu vitæ est indivisibilitas. Tandem confirmatur totum ex M. P. N. August. 6. de Trinit. cap. 6. ubi probat, animam viventis esse indivisibiliter totam in toto corpore, & totam in qualibet parte, quia in qualibet parte tota sentit, & tota cognoscit, ibi

ibi: *Sed in unoquoque corpore, & in toto tota est, & in qualibet parte ejus tota est. Et ideo cum fit aliquid in quavis exigua particula corporis, quod sentiat anima, quamvis non fiat in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non laet.* Ecce ex operatione sensitiva, & vi cognoscitiva, quae reperitur in anima viventis, & convenit indivisibiliter toti animae, probat S. P. N. animam sensitivam, & sic cognoscitivam, esse indivisibilem, & modo indivisibili informate corpus organicum.

18. Contra assertionem nostram sunt quaedam, quae oportet solvere, antequam expendamus fundamenta aliarum sententiarum. Obficies primò. Implicat, quòd eadem anima sit realiter divisibilis, & realiter indivisibilis; sed nostra assertio ponit eandem realiter animam, realiter divisibilem, & realiter indivisibilem: ergo implicat positio assertionis nostrae. Probat major. Implicat unam, & idem, esse realiter divisum, & realiter indivisum: ergo implicat, eandem animam esse realiter divisibilem, & realiter indivisibilem. Patet consequentia, quia divisibilitas est potentia passiva ad divisionem, & indivisibilitas est impotentia ad divisionem; sed quando simultas actus est impossibilis, etiam implicat simultas potentiae: ergo si implicat idem esse divisum, & non divisum, implicat esse simul divisibile, & indivisibile.

Secundò. Gradus corporis, & gradus vitae in anima vivente rea-

liter identificatur, ut patet ex dictis quaest. 3. Sed potentia ad divisionem, quae convenit animae sub ratione corporis, non identificatur realiter cum impotentia ad divisionem, quae per nos convenit animae sub gradu vitae: ergo implicat, quòd anima sub gradu vitae sit indivisibilis, supposito, quòd sub gradu corporis est realiter divisibilis. Probat major. Potentia ad actum non potest identificari cum impotentia ad illum; nam sunt affirmatio, & negatio ejusdem potentiae, quae non possunt identificari, ex illo principio per se noto. *Impossibile est, idem simul esse, & non esse,*

19. Haec argumenta, & alia, quae invenies quaest. 3. hujus libri, ubi actum est de pluralitate formarum in eodem vivente, solvantur ex ibi dictis. Quare ad primum dic, quòd idem, & unum non potest esse realiter divisibile, & realiter indivisibile, secundum idem, bene tamen secundum diversa; nam contradictio solum stat in affirmatione, & negatione ejusdem de eodem, & secundum idem. Nostra assertio non ponit animam divisibilem, & indivisibilem secundum idem, sed secundum diversa, nempe secundum diversos gradus corporeitatis, & vitae, qui realiter, & formaliter sunt in anima bruti. Quare sicut illi gradus realiter adunantur in eadem anima sine implicatione, ita in eadem debent adunari divisibilitas, & indivisibilitas; quae sequuntur ex illis gradibus. Nec contra hoc facit probatio ab actu

ad

ad potentiam. Primò, quia regulariter non valet, eo quòd saepe arguitur à sensu composito ad divisum, v.g. dum dicitur. Implicat, quòd Petrus simul sedeat, & ambulet: ergo implicat, quòd simul habeat potentiam ambulandi, & sedendi. Haec consequentia non valet ob rationem datam.

Sed quidquid sit disting. antecedens. Implicat, quòd aliquid sit simul realiter divisum, & realiter indivisum, sub eodem gradu, & sub eadem ratione, concedo; sub diversis, nego. Quando autem fit actualis divisio animalis viventis, tunc anima sub gradu corporis realiter dividitur; sub gradu autem vitae non dividitur, sed plenè destruitur. Ratio est, quia anima, ut probatum est, non aliter est divisibilis, nisi ad divisionem subjecti; sed subjectum animae, ut corporeae est realiter divisibile, & realiter dividitur in duas partes corporeas; subjectum autem animae, ut vitalis, est indivisibile. nec potest dividi in duas partes, quae post divisionem sint duo subjecta organica animae perfectè vitalis; cum divisio potius destruat organizationem perfectam, quam dividat: ergo dum vivens actu dividitur, anima sub gradu corporis est actu divisa, & sub gradu vitae est actu indivisa.

20. Sed dices. Quando dividitur animal, non dividitur anima sub gradu vitae, quia divisio est destructio tum animae, tum corporis perfecti organici; sed hoc probat,

quòd anima etiam sub gradu corporis non sit divisibilis: ergo probat contra primam partem nostri asserti. Probat major. Quando dividitur animal perfectum, perit anima totaliter, quare deficit etiam sub gradu corporis. Rursum, tunc casus, divisio corporeae, deficit corporeitas praestata ab anima, & loco ejus succedit corporeitas praestata à forma cadaverica, quae introducit per divisionem animalis. Sed per nos, quia divisio animali perfectò, non manet anima, nec corpus organicum, quod est subjectum animae; ideo anima sub gradu vitae ponitur irredivisibilis: ergo ob eandem rationem debet poni indivisibilis anima sub gradu corporis.

Respondetur disting. majori. Quia divisio est destructio animae, & corporis organici, *directa*, concedo major. *indirecta*, nego major. & sub eadem distinctione neg. minor. & consequ. Anima sub ratione vitae directè destruitur per divisionem corporis organici, quia forma materialis pendet in esse; & conservari à subjecto: quare destructo subjecto, directè, & à priori destruitur forma materialis. Hinc fit, quòd forma materialis est indivisibilis, quando in suo esse pendet à carentia divisionis subjecti. Anima autem sub gradu corporis non deficit *directè* per solam divisionem animalis, quia in qualibet parte ex divisis invenit materiam quantam, & extensam, quae est subjectum animae sub gradu corporis; quare si deficit, non de-

scis

ficit directè, & à priori ex defectu subjecti, & causæ materialis. Deficit autem *indirectè*, ratione identitatis, quam habet cum anima sub gradu vitæ. Quod patet, nam si esset duplex anima in vivente, realiter distincta, una, quæ habet gradum corporis, altera, quæ habet gradum vitæ, facta divisione animalis, plene periret anima vitalis defectu subjecti; maneret tamen anima corporea, ut docent Scoti & de sua forma corporeitatis: ergo dum de facto, diviso animali perfecto, deficit anima etiam sub gradu corporis, non deficit directè, & à priori, sed indirectè, & à posteriori.

Hinc sequitur, quod anima sub gradu corporis, quatenus est ex se, & ratione sui proprii subjecti, est realiter divisibilis, quia sub hoc conceptu non perit directè, facta divisione animalis, sed quatenus est ex se, manet post divisionem. Deficit tamen indirectè, & ratione alterius, nempe ratione identitatis cum anima sub gradu vitæ; quare potest dici indivisibilis indirectè, & identicè, cum quo stat, quod ratione sui sit directè, & formaliter divisibilis. Hæc est assertio nostra. Per hoc patet ad illud, quod dicebatur de subjecto animæ sub gradu corporis. Illud perit, facta divisione, sed perit indirectè, quatenus cedente anima sub gradu vitæ, cedit etiam sub gradu corporis, & sub omni gradu perit anima, & succedit forma cadaverica. Hoc totum est, & accidit indirectè, & identicè, non

autem directè, & formaliter, ut ostensum est.

21. Ad secundam objectam positam num. 18. patet ex dictis propria objectione. Potentia enim, & impotentia ad eundem actum, possunt convenire per identitatem cum tertio, non sub eadem formalitate, sed sub diversis, quia sic tollitur repugnantia affirmationis, & negationis. Hoc insuper patet in anima rationali, & in anima sensitiva, ubi per identitatem invenitur radicalis vita vegetativa, sensitiva, & rationalis. Ibi est verum, quod potentia vegetandi non est potentia discurrendi, nec anima, ut vegetativa est potens discurrendi, sed impotens: ergo potentia vegetativa est formaliter impotentia discurrendi. Ergo anima radicans potentiam vegetativam, radicat impotentiam discurrendi. Sed aliunde anima radicans intellectum, radicat potentiam discurrendi: ergo eadem anima realiter formaliter, & per identitatem, radicat potentiam, & impotentiam discurrendi. Hoc non implicat, quia convenit animæ secundum diversos gradus vegetandi, & intelligendi: ergo non implicat, quod eadem anima sensitiva secundum diversos gradus corporis, & vitæ, habeat potentiam, & impotentiam per identitatem ad divisionem.

Præterquam quod, impotentia ad divisionem erit inconjunctibilis cum potentia ad divisionem, quando impotentia impedit divisionem; nec cedit divisioni, Patet hoc, quia

quia una potentia non pugnat cum alia, nisi quando impedit actum illius: ac impotentia ad divisionem, quæ convenit animæ sub gradu vitæ, non impedit actualem divisionem corporis animati, quam respicit potentia animæ sub gradu corporis, sed anima sub gradu vitæ plene cedit divisioni, & illa facta, perit: ergo impotentia ad divisionem conveniens animæ sub gradu vitæ, non pugnat cum potentia ad divisionem, convenientem animæ sub gradu corporis. Quare de primo ad ultimum stat, quod anima viventis perfecti sub gradu corporis sit realiter divisibilis; & hoc docet B. Egidius: stat etiam, quod eadem anima sub gradu vitæ sit realiter indivisibilis, & hoc docet D. Thom.

§. IV.

Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum.

22. **R**estat expendere fundamenta aliarum sententiarum, quæ ferè omnia probant nostram assertum quoad utramque partem. fundamenta primæ sententiæ, posita num. 6. desumpta ex D. Thoma, & Philosopho probant directè, quod anima bruti perfecti sub ratione vitæ est realiter indivisibilis; sed non sub ratione corporis. Ratio est, quia solum subjectum animæ sub gradu vitæ perit diversitatem in partibus, quam notat D. Thomas, &

optimam fabricationem, quam commendat Philosophus. Anima autem sub gradu corporis non perit in suo subjecto diversitatem partium, nec illam fabricam, quæ sola desideratur ad diversas operationes vitales: ergo ex his principiis Philosophi, & D. Thomæ probatur unice, quod anima bruti perfecti non est divisibilis divisione subjecti, bene tamen anima sub gradu corporis formaliter.

Ad primam rationem positam num. 7. dicitur quod anima bruti perfecti non actuat sub gradu corporis suum subjectum modo indivisibilis, sed modo divisibilis; quare anima sub isto gradu est formaliter divisibilis. Omnes probationes minoris adductæ in ratione thomistica bene probant, quod anima bruti perfecti sub ratione vitæ actuat in divisibiliter suum subjectum; quare bene probant, quod anima sub gradu vitæ est realiter indivisibilis, & hoc tenet nostra assertio.

Secunda ratio thomistica posita num. 8. facit pro nobis, si notes ipsam debere intelligi de defectu directo animæ ex vi divisionis corporis organici; secus de defectu indirecto, ut in nostra probatione dictum est. Quare dum dividitur animal perfectum, deficit anima viventis secundum utrumque gradum corporis, & vitæ: ceterum directè deficit anima sub gradu vitæ, & indirectè, aut identicè deficit sub gradu corporis. Defectus directus probat indivisibilitatem; secus defectus

ctus indirectus, ut à nobis ostensum est. Quare ratio illa thomistica probat indivisibilitatem animæ sub gradu vitæ non autem sub gradu corporis. Idem dic de confirmatione illius rationis, nam sola anima sub gradu vitæ dicit diversam habitudinem ad totum, & ad partes: sub gradu autem corporis dicit eandem habitudinem, ut à nobis supra probatum est.

23. Ad fundamenta contrariæ sententiæ, posita num. 9. respondemus disting. maj. Anima bruti pendet à materia divisibili, anima sub gradu corporis, conced. major. anima sub gradu vitæ, subdisting. pendet à materia divisibili, eam informando modo indivisibili, conc. maj. eam informando modo divisibili, neg. maj. & neg. conseq. forma sub gradu corporis respicit materiam divisibilem, & illam informat modo divisibili, quia eodem modo respicit totum subjectum, & partem subjecti, & in qualibet parte potest conservari. Quare ex divisibilitate subjecti bene probatur divisibilitas animæ sub gradu corporis. Non sic de anima sub gradu vitæ; nam licet pendet à materia quanta, & extensa; at non respicit illam modo divisibili, sed indivisibili. Ratio ex dictis patet, nam anima, ut vitalis respicit materiam ultimò, & perfectè organizatam; sed hæc organizatio est formaliter indivisibilis, quia non potest dividi in duas organizationes perfectas: ergo anima ut vitalis respicit modo

indivisibili materiam extensam. Hujus exemplum adest in calore, ut octo, qui est ultima dispositio ad formam ignis. Calor ille in se est divisibilis, & gradualiter extensus; ceterum forma ignis respicit illum modo indivisibili, & inextenso, quia si tollatur unus gradus ab illo calore, jam non erit ultima dispositio ad formam ignis. Item numerus quinarium constat ex unitatibus separabilibus; quare est realiter divisibilis. At in ratione quinarium non est divisibilis formaliter; nam ablata quacumque unitate, plene deficit quinarium. Sic materia organizata est divisibilis materialiter, & sub ratione materiæ quantæ; at non est divisibilis formaliter, quia facta divisione, plene deficit perfecta organizatio.

Vel dic secundò clariùs, & faciliùs, quòd anima sub ratione vitæ non pendet à materia formaliter divisibili, sed identicè tantum divisibili. Hoc patet ex dictis num. 16. ubi probatum est, quòd subjectum animæ sub gradu vitæ est formaliter indivisibile; nam tale subjectum est corpus perfectè organicum; & hoc est formaliter indivisibile. At quia corpus organicum est entitas materiæ primæ realiter divisibilis; idè corpus organicum est divisibile materialiter, & identicè; quo fit, ut anima sub gradu vitæ non reddatur formaliter divisibilis, cum ejus subjectum formale, nempe corpus perfectè organicum sit formaliter indivisibile.

Ad

Ad confirm. concedo antecedens, & nego conseq. Licet enim operationes sensitivæ animalium sint extensæ, & divisibiles, ut patet in nutritione continua, in augmentatione, & generatione; rursus, licet potentiæ sensitivæ sint extensæ, quatenus subjectantur in organis extensis; non idè radix operationum, & potentiarum debet esse extensa. Hoc patet in anima rationali, quæ etiam radicat potentias, & operationes sensitivas hominis, nec tamen anima radicans, est extensa, & divisibilis. Horum ratio est duplex. Prima, quia anima non solum radicat operationes illas sensitivas extensas, sed etiam operationes aptioris ordinis, quæ sunt indivisibiles, ut intellectio, volitio, &c. Ad has radicandas oportet, animam esse indivisibilem. Secunda ratio est, quia anima aptiori ordine est radix suarum operationum. Quare licet multiplicentur potentiæ juxta diversitatem specificam earum operationum; non multiplicentur animæ, sed unica radicat potentias, & operationes, eo scilicet, quia *Quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt collecta.* Ergo anima radicans eas operationes, est in superiori ordine, nec colligitur animæ divisibilitas ex divisibilitate operationum. Hinc patet pro anima brutorum, quæ non solas operationes divisibiles exercet, sed etiam indivisibiliter operatur, ut probatum est num. 17. Præterea: radicat anima illas operationes extensas, sed modo aptiori, & immateriali ad mo-

dum animæ rationalis; & idè vocatur spiritus, ut ostensum est num. 13.

24. Ad 2. fundamentum positum num. 10. dicimus, quòd forma viventis sub gradu vitæ educitur ex subjecto formaliter indivisibili, quare non educitur ex subjecto habente partes, nec ex materia quanta, & extensa. Ratio primi est, nam forma sub gradu vitæ non educitur ex subjecto, nisi in instanti ultimæ dispositionis; sed ultima dispositio ad formam sub gradu vitæ sensitivæ est perfecta organizatio, qua materia redditur subjectum perfectè organicum: ergo forma sub gradu vitæ educitur ex subjecto perfectè organico. Tale subjectum est formaliter indivisibile; & indivisibile non habet partes, quare cessat argumentum.

At quia tale subjectum organicum identicè habet partes, quia est materia quanta, & extensa; idè ad argumentum dic, quòd tota anima sub gradu vitæ educitur ex tota materia, & tota ex qualibet parte. Nec contra hoc urgent probationes minoris. Ad primam concessio antecedenti, neg. conseq. Implicat enim formam semel eductam, denuò educi; quia quod jam est factum, non potest fieri de novo, & transire de non esse ad esse. At forma, quæ educitur tota ex una parte materiæ, potest simul tota educi ex alia parte materiæ, unitæ cum prima, quia hoc nihil aliud est, quàm animam educi totam ex tota materia, & totam

tam

tam ex omnibus partibus ejus, quod nihil includit implicatorium.

Ad 2. probationem min. concessio antecedenti, nego consequentiam, quam non convincunt ejus probationes. Ex quo enim anima tota educatur ex una parte materiae, & tota etiam ex alia parte materiae, non sequitur, quod bis producat totaliter, nec quod duplici actione producat nec quod pendeat à duplici causa totali materiae, aut efficienti. Omnium ratio est, nam licet partes materiae sint multae, & distinctae; omnes constituunt unicam subjectum receptivum animae, sicut sunt unica materia: ergo omnes constituunt unicam causam materiale. Idem contingit in actione generantis, quae unica est, tum unitate sumpta ab agente, quod est unicum generans; tum unitate sumpta à subjecto, quod est unica materia. Hinc sequitur tertio, nam si agens est unicum, subjectum unicum, & actio educiva unica: ergo productio termini non est duplex, sed unica. Quare non probatur, animam ex una parte educitam non posse simul educi ex alia parte materiae. Et instantia est in anima rationali, quae licet ratione sui spiritualitatis non educatur de potentia materiae; ac producat à Deo intra corpus, & ut informans omnes partes materiae, informat eas taliter, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte: nec inde valet sequens argumentum Deus producit totam animam rationalem in de-

terminata parte materiae: ergo non potest producere totam animam in alia parte materiae distinctae; nam hoc esset bis producere eadem animam, &c.

25. Ad confirm. ex nutritione dic, quod in ea acquirit vivens perfectum novam partem materiae, non autem novam partem formae, quam defendimus indivisibilem, & idem non habentem partes. Ad probationem in contrarium, concedo, quod per nutritionem forma primò genita transit ad novam materiam acquisitam per nutritionem. Concedo etiam, quod per continuam nutritionem potest mutari tota materia primigenia, & tunc forma praesens informans novam materiam totalem. Contra hoc non urgent rationes adductae à DD. sententiae secundae. Nam in eo casu anima praesens non migrat formaliter de subjecto in subjectum, nec mutantur subjecta formaliter, sed tantum materialiter, & hoc non inconvenit. Horum ratio est. Nam nova materia acquisita per nutritionem, succedit loco materiae deperditae, & succedit sub eadem organizatione, & figura; ita ut sit formaliter idem corpus organicum, licet materialiter distinctam, quatenus constat ex materijs distinctis. Non est inconveniens, animam sic mutare subjecta.

Hoc patet in anima rationali; quae licet non educatur ex materia; individuatur tamen à materia, vel per ordinem ad corpus, cum sit sub-

stantia

stantia spiritualis incompleta, dicens ordinem ad suam partem, nempe corpus. Et tamen licet per continuam nutritionem mutetur tota materia, non sequitur, quod mutetur unitas individualis animae; eo quod haec unitas non sumitur à subjecto materialiter sumpto, sed formaliter; & per nutritionem non mutatur subjectum formaliter, sed materialiter: ergo idem in casu nostro. Nec obest, quod anima sensitiva est materialis, pendens à materia in esse, & conservari. Nam quando producta est, facta est dependens à prima materia formaliter, & simul à quacumque materia succedente loco primae. Hoc patet in accidentibus materialibus, quae etiam pendunt à subjecto in esse, & conservari; nec tamen pereunt, etiam si per nutritionem mutetur materialiter subjectum. Instantia de sententia thomistica circa diversitatem accidentium cadaveris, & viventis, non tenet in praesenti; nam dum vivens movetur, mutat substantialiter formas; quare mutatur subjectum formaliter. In praesenti non sic.

26. Ad confirmat. positam n. 11. dic, quod dum per nutritionem mutatur tota materia, manet anima primò producta. Et dum arguitur, quod tunc anima informat illam materiam, ex qua non est educita; quod est ponere materiale formam independentem à materia. Respond. concedendo, quod anima informat materiam, ex qua non est edu-

cta; ceterum non idem est independens à materia in esse, & conservari. Ratio est, quia dum anima primò producta est ex materia primigenia, facta est dependens in esse, & conservari à materia primigenia, vel ab alia succedente loco illius: quare licet mutetur materia; non redditur anima independens à materia in esse, & conservari. Et licet totum hoc reperiatur in anima spirituali, non idem anima bruti spiritualis est, sed corporea. Ratio est, quia non potest esse, & conservari sine aliqua materia primigenia, vel nutrimentali; anima autem potest esse, & conservari naturaliter separata ab omni materia.

Ad 3. confirm. nego probationem antecedentis. Licet enim anima corporea sit tota in tota materia, & tota in qualibet parte non idem est modo sacramentali, sicut Christus est in Eucharistia. Primò, quia anima non est in materia, ut in loco, sed ut in subjecto informationis: Christus autem est in Eucharistia, ut in loco sacramentali. Secundò, quia Christus habet corpus extensum in partibus, & quantitate propria; ceterum existit modo indivisibili. Anima autem licet sit corporea, non est corpus; item non habet quantitatem propriam, quae in sola materia datur; rursus nullas habet partes ex se: ergo naturaliter, & sine miraculo existit modo indivisibili in corpore organico.

Ad urgentiam, nego antecedens, non enim anima rationalis est spiri-

tua

qualis, quia est incapax divisibilitatis, nam ratio à priori spiritualitatis non est indivisibilitas; hæc enim potius est proprietas rei spiritualis. Nec est proprietas in quarto modo conveniens omni soli, & semper; nam aliqua sunt corporea, quæ sunt divisibilia. Cæli enim corporei sunt, sed divisibiles in sententia astruente eos incorruptibiles. Punctum quantitativum non est divisibile ob sui imperfectionem, cum tamen sit quid materiale. Anima bruti medietate res corporeas divisibiles, & animam spiritualem indivisibilem: ergo cum omne medium participet aliquid ab extremis, nec possit anima bruti participare immaterialitatem, saltem participat indivisibilitatem, ob quam vocatur spiritus à sacra Scriptura, & P. N. August. ut dictum est.

27. Ad ultimum desumptum

ex experientijs respondet B. Albertus in Summa de homine quæst. 2. art. 3. motus illos non provenire ab anima, sed ab impetu impresso nervis ratione violentiæ, quæ intervenit in separatione animæ à corpore. Iuvant etiam spiritus vitales, qui in nervis remanent per aliquam morulam, ac viam movendi conservant. Hæc experientia, si quid probat, falso probat, etiam de homine, in quo similes motus sæpè observantur, cum tamen habeat animam indivisibilem.

Quando autem taurus sine capite movebatur, ut testatur Avicenna, & Commentator idem dicens de ariete; tunc dicendum, quod tota anima potuit aliquantulum permanere in corpore macilo; eo quod non ita pendet anima à parte absilla, ut extinguatur in primo instanti separationis.

QUESTIO VI.

An anima ejusdem speciei sint æquales in perfectione substantiali?

§. I.

Deciditur questio de animabus diversa speciei.

FERE dogma fuit Physicum, & certum tiam apud Theologos, non posse dari duas species æquales in perfectione; quia teste Philolopho species sunt, sicut numeri; unde sicut non possunt dari

duas species numeri, habentes eandem unitates; ita non possunt dari duæ species æquales in perfectione substantiali specifica. At postquam P. Suarius incepit dubitare de veritate illius asserti; P. Aversa in Logica

gica, & Arriaga disp. 1. de Anima sect. 8. docent, posse dari duas species æquales in perfectione, saltem de potentia absoluta. Eandem sententiam tenent plures DD. Societatis, putantes magnam esse in contraria sententia æquivocationem, quatenus in ea confunditur diversitas cum æqualitate; quasi idem sit species esse diversas, ac esse inæquales; & sicut de speciebus distinctis non potest dubitari, esse diversas, sic nec dubitari esse inæquales, si diversitas est idem, ac inæqualitas. At DD. communis sententiæ docentes, species distinctas debere esse inæquales, non confundunt inæqualitatem cum diversitate, sed ex diversitate probant inæqualitatem, ut videre est apud D. Thom. qui sine æquivocatione, sed cum perspicua, & verè Angelica distinctione, sic explicat assertum commune 1. p. quæst. 76. art. 3. dicens: *Inveniuntur rerum species, & formæ, differre ad invicem secundum perfectius, & minus perfectum. Sicut in rerum ordine animata sunt perfectiora inanimatis, & animalia plantis, & homo animalibus brutis; & in singulis horum generum sunt gradus diversi: & idè Aristot. 8. Metaph. assimilat species rerum numeris, qui differunt specie secundum additionem, vel subtractionem unitatis.* Hæc est omnium Philolophorum sententia præter allegatos.

Quæ probatur 1. ex M. P. N. August. 6. de Trinit. dicente: *In his, quæ non mole magna sunt, idem est majus esse, ac melius esse. Est di-*

cere, quod id, quod in corporibus est moles, & extensio; in substantia est virtus, & perfectio; sed in corporibus non stat diversitas in quantitate molis, quin sint extrema inæqualia in quantitate, & extensione: ergo non stat duas species esse diversas in quantitate virtutis, quin sint inæquales in perfectione substantiali.

Et confirmatur. Res constituitur in diverso esse specifico substantiali juxta diversam quantitatem virtutis, & perfectionis substantialis: ergo implicat, duo esse constituta in diverso esse specifico substantiali, & non esse diversæ quantitatis perfectionis specificæ; hoc est esse inæquales in perfectione. Probat antecedens. Res constituuntur in diverso esse specifico juxta diversam perfectionem specificam: ergo juxta diversam quantitatem perfectionis. Patet consequenter, quia in perfectione specifica idem est diversa perfectio, ac tanta; nec major aut minor, cum ea consistat in indivisibili, cui si fiat additio, aut diminutio, fit diversum, & variatur species. Tum, quia diversa perfectio specifica est diversus modus participandi rationem genericam; sed diversus modus participandi rationem genericam, est major, vel minor perfectio in participando: ergo.

Confirmatur iterum. Ut aliqua sint æqualia in perfectione essentiali, requiritur, quod sint ejusdem essentiæ, & nature; sed quæ differunt specificè, non sunt ejusdem

essentia, & natura: ergo non sunt æqualia in perfectione. Probatum maj. Hęc consequentia est legitima, & ut talis à SS. PP. reputata: *Tres Personæ Divinæ sunt omnino æquales in perfectione: ergo sunt omnino ejusdem essentia, & natura*, ut docet D. Thom. 1. p. quæst. 42. art. 1. Et licet profiteri debeamus, Personas Divinas esse ejusdem naturæ ob multas rationes, una ex illis est ad salvandam æqualitatem Divinarum Personarum: ergo ut aliqua sint æqualia in perfectione essentiali, &c.

2. Dices. Probabilis est sententia, asserens relationes Divinas dicere perfectionem; & idem sicut relationes sunt diversæ speciei, ita perfectiones relativæ differunt specificè; sed in ea sententia relationes illæ sunt æquales in perfectione; alioquin Personæ Divinæ non essent inæquales in perfectione, quod est contra fidem: ergo stat, duo esse diversa specificè, & esse æqualia in perfectione. Secundò, duo esse æqualia in perfectione, nihil est aliud quàm quòd perfectio in uno, non sit major, aut minor, quàm in alio; sed stat, duo esse specificè distincta, & quòd perfectio non sit major, aut minor in uno, quàm in alio: ergo stat esse æqualia, & distincta specificè. Probatum min. ut duo specificè differant, sufficit, quòd eorum perfectiones specie differant; ut sic differant non requiritur, quòd una sit major perfectio, quàm alia. Tum, quia ad distinctionem sufficit, quòd una perfectio

non sit alia; & hoc stat sine inæqualitate. Tertio, licet calor, ut octo specie differat à frigore, ut octo, tamen utraque qualitas est ejusdem perfectionis, & activitatis ad introducendam formam, cujus est proprietas: ergo stat cum æqualitate in perfectione diversitas specifica.

Ad 1. respondetur, plures Theologos inde probare, quòd relationes non dicunt perfectionem, quia cum perfectiones relativæ essent specificè distinctæ, arguerent inæqualitatem inter Divinas Personas. In horum sententia non valet argumentum factum, quia potius confirmat nostrum commune assertum. Data tamen illa sententia, ad mittendæ sunt solutiones probabiles, quibus illa defendit æqualitatem inter Divinas Personas.

3. Prima est, quòd relationes non dicunt perfectionem ratione termini, sed ratione fundamenti: & cum fundamentum relationum in Divinis sit essentia Divina, quæ æqualiter est in omnibus Personis; idem diversitas relationum non arguit inæqualitatem. Alia solutio est, quòd relatio, quæ est in Patre constitutivè, est in Filio, & Spiritu Sancto eminenter, scilicet ratione essentia Divinæ, quæ est in eis: unde non est locus inæqualitate. Præterea: Si personæ Divinæ non essent ejusdem naturæ, essent inæquales in perfectione in omni sententia: ergo quòd in particulari sententia sint diversæ perfectionis relativæ eum summa æqualitate, petit dis-

pa-

paritatem ab omnibus dandam inter esse absolutum, & esse relativum. Nostra assertio est de esse absoluto, quidquid sit de esse relativo in particulari sententia.

Ad 2. dic, quòd licet non sit idem esse inæquale, & esse diversum; sicut non est idem, similitudo, & æqualitas: at una fundatur in alia, & ex illa oritur. Sicut enim similitudo fundat æqualitatem, ita dissimilitudo, & disconvenientia fundat inæqualitatem. In forma negamin. Ad probat. nego etiam min. implicat enim, quòd duæ perfectiones specie differant, & non sint inæquales. Ratio ex P. N. Augustino data est, nempe, quia distinctio in perfectione est diversitas in quantitate virtutis; sed diversæ quantitates virtutis non possunt esse æquales, sicut non possunt esse æquales diversæ specie quantitates mollis: ergo &c.

Ad ultimum dic, quòd calor, ut octo, est perfectior perfectione absoluta, quàm sit frigus etiam ut octo; nam nobilior qualitas est calor. Quòd autem frigus, ut octo æqualem habeat activitatem, ad suam formam inducendam, ac calor pro sua; hoc probat æqualitatem proportionalem; non autem absolutam, & sic nihil probat. Sicut si diceret, tantæ virtutis est tactus ad tangendum, ac visus ad videndum: ergo visus non est perfectior, quàm tactus. Quæ consequentia est nullius momenti.

Proponuntur sententia circa animas ejusdem speciei.

4. **P**RIMA sententia negat, animas ejusdem speciei esse inæquales in perfectione intrinseca, & substantiali; quod asserunt de omnibus individuis ejusdem speciei infimæ. Ita Cardin. Toletus 3. de Anim. quæst. 18. ubi Cayetani sententiam vocat periculosam, & dicit, nullo modo tenendam. Pro hac sunt Vazquez, Molina, Hurtado, Alphonsus, & communiter DD. Societatis. Ex Thomistis Durandus, Sotus, & alij, quos citant Conimbric. lib. 2. de Anim. cap. 5. quæst. 5. art. 2.

Probatum hæc sententia primò. Si omnes animæ intellectivæ haberent inter se inæqualem perfectionem quoad naturas singulares, idem dicendum esset de omnibus alijs individuis speciei infimæ; sed hoc est absurdum: ergo & 1. probatur min. si individua speciei infimæ essent inæqualis perfectionis, sequeretur, omnia singularia sic successivè degenerare à suis causis, ut passim fierent imperfectiora, & imperfectiora. Item cum nullus effectus possit excedere perfectionem suæ causæ, si aliunde non teneretur naturaliter illam æquare, semper natura ibi in majorem, & majorem imperfectionem. Hoc dato, tandem fieret, ut post fluxum tot sæculorum veni-

ret species in extremam imperfectionem; & corrueret illud axiomata Philosophicum, docens, quamlibet causam univocam producere sibi similem. Sed hæc omnia sunt absurda, & contra experientiam ocularem: ergo lege naturali causatum est, quod individua ejusdem speciei sint æqualia in perfectione. Quod etiam de animabus ejusdem speciei asserendum est.

5. Secundò probatur à ratione sic. Individuatio rei est idem, ac ejus essentia: ergo idem est, unum esse perfectius alio individualiter, ac esse perfectius essentialiter. Sed repugnat, unam animam esse perfectiorem alia essentialiter: ergo repugnat, unam animam esse perfectiorem alia individualiter.

Confirmatur 1. Si duo individua ejusdem speciei essent inæqualia in perfectione substantiali, essent & non essent ejusdem speciei, quod certè implicat. Essent, quia supponitur; non essent, quia plus different inter se, quàm duo individua ejusdem speciei inter se æqualia; sed hæc æqualia differrent numero: ergo illa inæqualia differrent plusquam numero, & sic differrent specie.

Confirmatur 2. Non est unde sumatur inæqualitas substantialis individualitatis animarum: ergo non sunt inæquales. Probatur antecedens. Illa inæqualitas non potest sumi ex parte materiæ; cum omnes materiæ sint æquales in perfectione. Nec potest sumi ex parte agen-

tis, quia Deus æqualiter se habet ad omnes animas, quas producit. Nec ex parte ipsarum animarum; cum omnes animæ sint æqualiter spirituales, ac per se subsistentes: ergo non est unde sumatur, &c.

6. Tertio probatur à ratione. Substantia non suscipit magis, & minus; hoc enim est proprium qualitatis, quæ in eadem specie potest suscipere majorem intensiorem, aut remissionem: ergo perfectio substantialis intra eandem speciem nequit esse major in uno individuo, quàm in alio. Patet consequens. nam hæc majoritas in perfectione substantiali non potest esse, nisi vel participando diversos gradus perfectionis; vel quia perfectio substantialis tantò est major, quantò est major intensio dispositionum ad formam; sed hoc est ponere substantiam intendi, & remitti ea proprietate, qua qualitas suscipit magis, & minus: ergo si substantia non suscipit magis, & minus, ut qualitas, non potest esse perfectior in uno, quàm in alio.

Confirmatur. Si aliquis excessus substantialis esset admittendus inter animas racionales, maxime inter animas viri, & femina; nã hæc relatè ad virum dicitur communiter animal imperfectum; sed inter has animas non est excessus ex parte viri: ergo inter nullas. Probatur minor. Primò, quia plures animæ feminarum sine dubio excedunt animas virorum, sive in ingenij promptitudine, sive in animi constantia, sive in exteriori corporis pul-

pulchritudine, sive in alijs naturæ dotibus. Secundò, quia anima Bmæ Virginis post animam Filij sui Domini nostri, fuit excellentior animabus omnium virorum. Tertio, quia ex historijs constat, fuisse feminas aliquando in viros repente mutatas; quod esset impossibile, si vit à femina substantialiter distaret.

Confirmatur 2. Si ex meliori corporis dispositione proveniret excessus in perfectione substantiali animæ, quo melior esset dispositio corporis, eo perfectior esset anima; sed hoc est contra experientiam, qua sæpè videmus homines deformes, & exterius imperfectos, sæpè vivaciori ingenio pollere, ut de Æsopo, & alijs memoriæ traditum est: ergo. Et urgetur. Nam ea dispositio corporis, ex qua colligi potest major perfectio animæ, sæpè tempore variatur. Ut enim experimur, contingit, ut idem homo, qui nunc præstat ingenio, & memoria, postea ex morbo sit hebes, tardus, immò, & amens: ergo vel anima illius non perseverat eadem substantialiter, quod est absurdum; vel ex meliori dispositione corporis non colligitur excessus in perfectione substantiali.

Confirm. 3. Multæ animæ hominum ignarorum, & ferè insipientium, excedunt animas sapientium in donis gratiæ, & in alia vita excedunt in lumine gloriæ: ergo illarum animæ non sunt inferiores in perfectione substantiali. Patet consequentia, nam sicut Deus ita or-

dinavit Angelos, ut perfectiores in natura, essent quoque perfectiores in donis gratiæ; sic debuit providere de animabus, servato recto ordine.

7. Quarto probatur à ratione. Animæ exigentes dispositiones perfectiores, ut eliciant operationes magis perfectas, sunt animæ specie distinctæ; sed animæ differentes individualiter, nõ differunt specie: ergo non exigunt ex se illas dispositiones perfectiores. Quare præcipua ratio sententiæ contrariæ vel nihil probat, vel probat inæqualitatem in ratione specifica. Major probatur 1. Nam exigentia intrinseca formæ est prædicatum essentialiale formæ: ergo non est prædicatum individuale, sed specificum, & sic constituens speciem distinctam.

Secundò, nam exigentia terminorum specie differentium, sunt exigentiæ specificè tales, & distinctæ specificè; sed illa perfectior dispositio, quam exigit hæc anima est specie distincta ab imperfectiori dispositione, quam exigit alia anima, ergo &c. Tertio, perfectior operatio intellectiva, ad quam est potens hæc anima præ alia, est operatio inferens distinctionem specificam hujus potentiæ intellectivæ præ alia. Hoc patet, nam si daretur agens potens operari sine approximatione ad passum, specie differret ab agente, petente approximationem: Sed excessus perfectionis in intelligendo, talis est, ut unus homo sine Magistro approximetur ad in-

intelligendum objectum, & penetrandam veritatem, quam alter sine Magistro non potest, & cum Magistro adhuc difficulter: ergo vel ille excessus probat distinctionem specificam, vel non suadet excessum individualementem.

Confirmatur. Anima, quæ habet perfectiorem vim intellectivam, specie differt ab alia; sed contraria sententia pro inæqualitate individuali recurrit ad excessum in potentia intellectiva: ergo probat distinctionem specificam. Probatur maj. Angelus habens perfectiorem intellectum, specie differt ab Angelo habente imperfectiorem, ut communiter docent Theologi: ergo idem de anima rationali. Patet consequentia quia constitutum specificum tam Angeli, quam hominis est esse intellectivum.

8. Secunda sententia affirmat animas esse inæquales in perfectione substantiali. Ita omnes Thomistæ præter citatos pro contraria sententia. Eam docet B. Egidius in 1. distinctio. 3. quæst. 2. art. 3. Ibidem N. Argent. quæst. 1. art. 2. quibus subscribit N. Villanova in M. S. eam docent Albertus Magnus, D. Bonaventura, Ricardus Major, Capreolus, & alij, quos refert, & sequitur Murcia 2. de Anim. disp. 1. q. 8. & Rubius ibid. quæst. 3. ubi cum Bañez reprehendit Toletum, eo quod dixerit, sententiam istam temerariam, & periculosam esse, cum illam teneat D. Thom. in 1. dist. 8. q. 5. art. 2. ad 6. ubi ait:

Animam, qua ad corpus melius dispositum ordinatur, perfectiorem esse. Idem docet Præceptor Angel. in 2. dist. 21. q. 2. art. 1. ad 2. & 1. p. q. 71. art. 7.

Probatur sententia hæc à ratione. Quæ differunt substantialiter, sunt inæqualia in ea ratione, qua differunt; sed duæ animæ rationales sunt substantialiter diversæ in perfectione individuali: ergo in ea sunt substantialiter inæquales. Maj. patet ex dictis pro diversitate specifica. Probatur min. Duæ animæ rationales differunt in individuacione, qua una substantialiter non est alia; sed quæ sic differunt, differunt substantialiter in perfectione individuali: ergo.

Urgetur. Duas animas specificè differre, non stat sine inæqualitate earum in perfectione specifica substantiali: ergo nec stat, duas animas differre individualiter substantialiter, & non esse inæquales in perfectione individuali.

9. Si dicas. Consequentiam non valere, quia antecedens est verum ex eo, quod diversitas specifica animarum colligitur ex diversitate specifica operationum, quæ arguit in principijs inæqualitatem quantitatis virtutis. At diversitas individualis sumitur à complemento naturæ, per quod potius limitatur natura, quam perficitur. Vnde individua substantiæ, ex quo sunt individua, non sunt principium perfectiorum operationum; nec ex capite individuacionis oritur inæqualitas

in

in quantitate virtutis, & perfectionis. Si hoc dicas.

Contra primū. Licet individuatio sit purè complementum naturæ, hoc non tollit, quod sit perfectio substantialis: ergo si in ea sunt individua diversa, erunt etiam in ea inæqualia. Patet consequentia. Nam quæcumque differunt in aliqua perfectione, eo modo, quo differunt, non sunt in ea æqualia, ut §. antecedenti probatum est. Secūdo, quod individuatio sit limitativa virtutis specificæ, non tollit, quod una individuatio sit substantialiter perfectior altera; sicut non tollit, quod una individuatio minus limitet, quàm altera: ergo non tollit inæqualitatem substantiale in perfectione individuali. Tertio, perfectior virtus intelligendi arguit excessum in perfectione substantiali. Patet hoc. Nam virtus intelligendi dimanat à substantia animæ: ergo perfectior virtus, à perfectiori anima; sed in uno homine datur perfectior virtus intelligendi, quàm in alio, ut experientia constat: ergo.

10. Probatur 1. Anima rationalis secundum suam naturam est actus corporis, & cum eo commenturatur in sua perfectione; sed quædam animæ forciuntur perfectiora corpora aptioribus organis, & meliori temperamento prædita: ergo illæ animæ sunt perfectiores substantialiter. Et confirmatur. Animæ rationales secundum se sumptæ, non ordinantur ad quodlibet corpus, sed ad certum, & determinatum, à quo

individuantur: ergo cum corpora sint inæqualia in perfectione, una anima ex se petit, & respicit perfectius corpus, quàm alia. Sed respicere ex se perfectius corpus, sive subjectum nequit provenire, nisi ex majori perfectione animæ: ergo animæ ex se sunt quædam perfectiores alijs. Primum antecedens patet, nam si quælibet anima rationalis secundum se non ordinaretur ad certum, & determinatum corpus; sed indefinite se haberet ad omnia, Deus infundens animam Socratis in ejus corpus, potuisset juxta naturæ ordinem, & absque miraculo, infundere in illud animam Platonis, quæ postea creavit; & idem P. Socratis potuisset loco Socratis gignere Platonem. Hęc sequela dicitur absurda à Cardin. Aguirre, nam juxta veriore sententiam idem effectus non potest provenire naturaliter à duplici causa totali. An autem hæc sequela sit absurda, nec nè, vide in nostra Physica lib. 2. Physicor.

Rursus probat Aguirre, quia illo dato, non repugnaret transmigratio Pythagorica animarum ab omnibus rejecta; si enim anima Platonis non exigit amplius suum corpus, quàm aliud, poterit naturaliter infundi in alio corpore, postquam per mortem Platonis ab ejus corpore recessit; sed hoc est, animas ponere transmigrantes: ergo dicendum, quamlibet animam petere determinatum corpus.

11. Probatur 3. Si individua ejusdem speciei infimæ non differunt indi-

individualiter per æqualitatem perfectionis individualis, dabitur processus in infinitum : ergo sunt inæqualia in perfectione individuali. Probatum antecedens. Nam si non sunt inæqualia, sed plene æqualia in perfectione individuali, simpliciter in ea convenient : ergo in ea perfectione individuali non differunt. Patet hoc, quia non possunt differre in eo, in quo conveniunt, cum ratio conveniendi non sit ratio differendi : ergo si plene conveniunt, & simpliciter in perfectione individuali, non differunt in ea : ergo ut differant, oportet assignare alias differentias : & cum de illis sit idem dubium, an sint æquales in perfectione, nec ne ; proceditur in infinitum.

Tandem confirmatur hæc sententia ex communi iudicio DD. Parisiensium, qui teste Henrico Gandavense Quodlib. 3. quæst. 5. damnarunt, ut erroneam sententiam contrariam, sic decernerent : *Si quis dicit, omnes animas ab origine esse æquales, errat; quoniam alias anima Christi non esset perfectior, quam anima Iudæ.* Hinc non leviter à ratione probatur eadem sententia. Nam anima Christi concedi debet perfectior, quam anima Iudæ ; sed non perfectior perfectione specifica, quia sunt ejusdem speciei : & sic æquales in perfectione specifica : ergo sunt inæquales in perfectione individuali.



9. III.

Præfertur affirmativa sententia, quæ iterum confirmatur.

12. **E**LIGIMVS sententiam affirmativam, quia licet rationes pro utraque parte non sint convincentes, autoritas tamen S. P. August. D. Thom. & B. Ægid. trahit nos in sententia affirmativa. Ante cujus probationem præmittendum est. SS. PP. non disputasse de inæqualitate animatum nostrarum intra eandem speciem, sed de inæqualitate specifica, ut probarent, Christum Dominum secundum naturam humanam fuisse verum hominem, & ejusdem perfectionis specificæ cum reliquis hominibus. Ob id S. P. August. serm. 8. de verbis Apostoli cap. 2. dicit : *Non enim alterius nature caro nostra, & caro Christi; nec alterius nature anima nostra, & anima illius.* In eodem sensu lib. de Dono perseverantiæ cap. 9. ait : *Nonne utrique à Deo creati, unius, ejusdemque nature animas acceperunt?* Similia habet lib. de Genes. ad litter. 10. cap. 7. & lib. 3. de libero arbit. cap. 9.

Et videtur dogma Fidei. Nam juxta fidem Christus Dominus fuit verus homo ; sed omnis homo est ejusdem speciei infimæ, & ejusdem nature cum reliquis hominibus : ergo anima Christi est ejusdem speciei infimæ cum reliquis animabus hominum. Sed intra eandem speciem infimam

infimam non datur inæqualitas in perfectione specifica de facto ; quid quid sit de potentia absoluta in alia providentia : ergo anima Christi non fuit perfectior reliquis animabus in perfectione specifica. Quare dum Parisienses supra allegati, docent, animam Christi perfectiorem, quam anima Iudæ, non de perfectione specifica, sed de individuali intelligendi sunt.

13. Probatum 1. sententia nostra ex sacra Pagina Sapientiæ 8. ubi Salomon Deo gratias agens, sic loquitur de se ipso : *Puer eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Atqui si omnes animæ essent æquales in perfectione etiam individuali, anima Salomonis non esset bona præ ceteris ; nec esset ratio, cur Salomon speciales gratias Deo redderet : ergo teste Salomone animæ rationales sunt inæquales in perfectione.

Illustratur ex P. N. August. lib. 10. de Genes. ad litter. cap. 17. ubi explicat excessum bonitatis animæ Salomonis per conditiones individuales, ne aliquis putaret excessum in perfectione specifica. Verba S. P. sunt hæc : *Vnde bonæ, aut magis bonæ, seu non bonæ, aut minus bonæ anime, nisi vel moribus secundum liberum voluntatis arbitrium, vel differentia temperaturæ corporum, dum alia magis, alia minus gravantur corpore, quod corrumpitur, & aggravat animam.* Et paulò post : *Sortitus sum animam bonam, videlicet ex Paterno ingenio, v. l. corporali temperamento,*

vel ex cruore menstruo, &c.

Consonat P. N. Augustino D. Thom. 1. p. quæst. 85. art. 7. ubi exponit doctrinam datam in auctoritate Augustiniana, dicens : *Actus, & forma recipitur in materia secundum materiam capacitatem : unde cum etiam in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, forciuntur animam majoris virtutis in intelligendo.* Unde dicitur in 2. de Anim. text. 94. *quod molles carne bene aptos mente videmus.* Eandem doctrinam cum Philosopho ibidem insinuat B. Ægidius.

Ad idem D. Thom. 1. p. quæst. 87. art. 7. dicit : *Quantò corpus est melius dispositum, tantò meliorem sortitur animam, & unus alio potest eadem rem melius intelligere; uno quidem modo ex parte intellectus, qui est perfectior, &c.*

14. Ex his urgetur ratio pro hac sententia. Perfectio major ex parte intellectus, quia unus homo melius intelligit, quam alter, si est perfectio major ex parte intellectus, est etiam major ex parte animæ radicantis intellectum ; sed juxta ultimam auctoritatem major perfectio in uno homine, quam in alio, est *Ex parte intellectus, qui est perfectior* : ergo est major perfectio ex parte animæ. Totus discursus patet. Tum ex D. Thom. tum ex sacro textu, nam idem dicitur *bonæ anime* præ ceteris, quia præ ceteris perfectè intelligit, & perfectiorem radicat intellectum. Sed major perfectio ex parte animæ radicantis per-

fectiorem intellectum, est major perfectio substantialis, sicut anima substantialis est: ergo inter animas rationales datur inæqualitas in perfectione substantiali.

Quod autem hæc inæqualitas sumatur in anima, non absolutè sumpta, sed per ordinem ad corpus melius dispositum, & temperatum, ut docent nostri DD. hoc solum probat inæqualitatem, non esse in ratione specifica, sed in perfectione individuali. Probatur. Nam anima absolutè sumpta habet suam unitatem specificam, secùs individualem, quam recipit per ordinem ad corpus, & materiam quantam: ergo designare excessum perfectionis unius animæ præ alia, & non nisi per ordinem ad corpus, est designare talem excessum in sola perfectione individuali.

Explicatur. In Angelis eo perfectius intelligentibus, quo sunt immaterialiores, excessus perfectionis in intelligendo, arguit distinctionem specificam, quia sumitur à majori immaterialitate formæ intelligentis; & hic excessus est formalis, & ex parte formæ; quare est excessus specificus; sed in animabus nostris apparet excessus, & inæqualitas in intelligendo; & iste non potest sumi ab inæqualitate immaterialitatis, quia in illa conveniunt omnes animæ, quæ sunt ejusdem speciei: ergo restat, quod inæqualitas in intelligendo desumatur ab eodem principio, à quo desumitur distinctio numerica anima-

rum. Sed hæc distinctio sumitur per ordinem ad materiam quantam, & organizatam: ergo sicut distinctio numerica animarum sic desumpta, est substantialis, ita inæqualitas in perfectione earum animarum est substantialis.

Hinc præcluditur communis solutio sententiæ contrariæ, adferentis istam inæqualitatem esse accidentalem, & non substantialem, quia desumitur à quantitate, & qualitate, organizantibus materiam; nec potest effectus esse substantialis, si desumitur à forma accidentali. Non valet hæc solutio, quia individuatio substantialis sumitur juxta communem sententiam nostram, & Thomistarum à materia, quantitate signata. Et tamen individuatio illa est effectus substantialis. Rursus sicut individuatio substantialis non sumitur à quantitate formaliter, sed formaliter à materia quanta, & in nostris principijs à materia sigillata, & modificata per quantitatem; materia autem sic modificata est quid substantiale, à quo benè desumitur effectus substantialis individuationis: ita inæqualitas perfectionis individualis animarum, licet sit quid substantiale, potest sumi à materia organizata; nam licet organizatio *active* sumpta, sit quid accidentale, nempe quantitas, & qualitas; at organizatio *passive* sumpta, est materia cum effectu formali quantitatis, & qualitatis. Sed materia cum tali effectu formali est quid substantiale, ut probatum est 2. *Physic. q.*

7. §. 3. & 4. ergo inæqualitas animarum, desumpta ab ista organizatione passiva, est inæqualitas substantialis, & non accidentalis.

15. Probatur 2. Eadem sententia sic. Animæ ex se radicales perfectiorem intellectum, sunt inæquales in perfectione, saltem individuali substantiali; sed animæ rationales tales sunt, ut una radice perfectiorem intellectum, quam alia: ergo animæ illæ sunt inæquales in perfectione substantiali individuali. Min. probatur. Animæ ex se petentes perfectiorem organizationem, & temperaturam corporis, sunt animæ petentes perfectiorem intellectum, & illum radicales; sed ita se habent animæ nostræ, ut una petat organizationem magis perfectam, quam altera: ergo &c. Major patet, nam cum organizatio deserviat potentie intellectivæ, anima radicans potentiam intellectivam, ut sit radicans, petit organizationem: ergo anima ex se petens meliorem organizationem, ex se radicat meliorem potentiam intellectivam, juxta illud *Sic se habet simpliciter ad simpliciter, sicut magis ad magis*. Præterea: Hæc melior organizatio, si exigitur ab anima, aliquo sine exigitur, nam *Deus, & natura nihil faciunt frustra*; sed melior organizatio non potest exigi ab anima, nisi propter finem melioris operationis: ergo anima exigens meliorem temperaturam, & organizationem, radicat meliorem intellectum.

Iam verò, quod anima ex se petat hanc meliorem organizationem, probatur 1. ex D. Thom. verbis supra datis dicente: *Differentia formæ, que non provenit, nisi ex diversa dispositione materiæ, non facit diversitatem secundum speciem, sed secundum numerum*. Ex quo sic. Anima rationalis in uno petit distingui numericè ab anima, quæ est in alia; sed hæc distinctio numerica provenit ex dispositione materiæ diversa in uno, ac in alio, & sic melior in uno, quam in alio: ergo anima ex se radicat, & exigit in uno meliorem organizationem, quam in alio.

Secundò probatur idem. Anima ex se petit suam individuatiorem substantialem; sed hæc individuatio sumitur per ordinem ad determinatam materiam, & determinatè sic organizatam: ergo anima, quæ de facto est in corpore melius organizato, est anima, quæ ex se petit illam meliorem organizationem. Major patet. Min. quoad primam partem est communis doctrina inter nostros, quæ dicitur, quod distinctio numerica formarum sumitur à diversis partibus materiæ. Quoad secundam partem probatur, unitas animæ, quæ sumitur ab unitate materiæ, sumitur à materia, ut est subjectum receptivum animæ; sed materia nuda non est subjectum receptivum animæ, sed sola materia sic determinatè organizata: ergo individuatio animæ sumitur per ordinem ad determinatam mate-

tiam, & determinatè organizatam.

Explicatur. Differentia numerica animarum sumitur à differentia numerica subjectorum; sed subjecta animarum sunt corpora organica, quæ sunt inæqualia in perfectione organizationis: ergo differentia numerica animarum sumitur ab inæqualitate organizationis corporum. Nunc sic, sed animæ ex se petunt suam distinctionem numericam, vi cujus quælibet habet suam differentiam individualem, cum qua identificatur: ergo animæ ex se petunt inæqualitatem in perfectione organizationis corporum: ergo sicut quælibet anima petit determinatam unitatem numericam, & individualem, ita petit talem, & determinatam temperaturam, & organizationem.

§. IV.

Expenduntur fundamenta contraria.

16. **N**EC obstant fundamenta contraria, posita num. 4. ad primum Cardin. Aguir. concedit primam sequelam, nempe, quod per successivam generationem semper individua genita sunt in dies deteriora. In hujus confirmatione adducit verba Eisdæ lib. 4. cap. 5. dicentis: *Interroga eam, quæ parit, & dicet tibi. Dices enim ei: Quare quos peperisti nunc, non sunt similes his, qui ante, sed minores statura? Et dicet tibi ipsa: Alij sunt, qui in juventute virtutis nati sunt; & alij,*

qui sub tempore senectutis, deficiente matrice, sunt nati. Considera ergo, & tu, quoniam minori statura esis præ his, qui ante vos: & qui post vos, minori, quàm vos; quod senescentes creatura, & fortitudinem juventutis prætereuntes.

Secundò respondetur neg. sequelam præcipuam argumenti. Nam ex quo nullus effectus possit excedere suam causam, non sequitur, quod unum individuum perfectum non possit generari ab alio individuo, minùs perfecto. Hoc patet primò experientia oculati, qua videmus hominem ingeniosum generari à patre stulto; item hominem oculatum generari à patre cæco. Accedit ratio pro hoc, & est hæc. Individuatio non est formalis ratio producendi, sed principia, quæ in generante dantur à natura pro conservatione speciei. Hinc fit, quod genitum non potest excedere perfectionem specificam generantis, benè tamen perfectionem individualem. Quare ex argumento nunquã probatur, quod individua speciei infimæ debeant semper ire in deterius, & venire in extremam imperfectionem.

17. Ad 2. fundamentum positum num. 5. neg. antecedens, nam differentia individualis differt virtualiter, & formaliter per rationem, à differentia specifica; & sumuntur istæ differentiæ à diversis principijs; nam individualis sumitur per ordinem ad materiam, differentia autem formalis sumitur à forma

ma: ergo non est idem differre essentialiter, ac differre individualiter; & sic non idem est excedere in perfectione individuali, ac excedere in perfectione essentiali. In animabus stat primus excessus, non secundus, ut probatum est.

Ad primam confirm. neg. sequelam quoad secundam partem. Ad probationem, aliqui negant suppositum; supponitur enim, esse possibile duo individua humana plene æqualia in perfectione individuali. Hoc negatur à multis, quia sicut non dantur, nec unquam visi sunt duo homines plene similes; sic nec æquales in perfectione individuali. Rursus, sicut intra genus non sunt possibile duæ species æquales; ita intra speciem infimam non sunt possibile duo individua æqualia. Quidquid sit, dicimus secundò, quod calor ut sex amplius differt à calore, ut duo, quàm calor ut duo ab alio calore, ut duo: & tamen calor, ut sex solum individualiter differt à calore ut duo: ergo licet individua inæqualia amplius differant, quàm æqualia inter se, adhuc differunt solo numero, & individualiter. Omnium ratio est, quod ille excessus non tendit extra limites differentie individualis, nec pertingit ad distinctionem specificam: sicut plura peccata venialia, etsi alia alijs graviora, nunquam faciunt unum mortale.

Ad secundam confirmat. dic, quod inæqualitas substantialis individualitatis animarum sumitur ab

ipsa anima, ut dicente ordinem ad corpus; unde anima, quæ dicit ordinem ad perfectius corpus, & melius temperatum, illa anima est perfectior substantialiter individualiter. Nec contra hoc valet probatio argumenti, nam licet omnes materiae ex se sint æquales in perfectione; at materiæ organizatæ non sunt æquæ perfectæ. Quare sicut materia organica, quæ est subjectum animæ, est perfectior, quàm materia non organica, quæ est subjectum formæ inanimatæ: ita inter materias organicas, una perfectius altera organizatur; & illa est materia perfectior. Per ordinem ad has materias inæquales sumitur formaliter inæqualitas animarum; & efficienter sumitur à Deo create. Sic juxta Thomam formas cælorum sumunt formaliter suam distinctionem specificam per ordinem ad diversas materias cælestes; sed distinctio illa efficienter causatur à Deo.

18. Dices. Iuxta nostram probationem anima ex se petit determinatam materiam, & determinatam organizationem: ergo ex se, & ex sua entitate fundat illum ordinem diversam ab ordine aliarum animarum. Sed ordines diversi petunt distincta fundamenta; nec ordines illi ad diversam materiam fundantur, nisi in entitate animæ: ergo pro priori ad illos ordines jam animæ habent diversas entitates: ergo vel entitates æquales in perfectione individuali, & sic ruit nostra sententia: vel entitates inæquales

& sic ruit nostra probatio, quæ suadet inæqualitatem per ordinem ad organizationes inæquales.

Hæc replica directè impugnat sententiam adstruentem unitatem individualem per ordinem ad materiam, cum ante illum ordinem, jam entitas sit individuata, & ideò fundat determinatum ordinem ad materiam, quia est entitas ex se determinata. Directè respondeo ad illam, quòd Deus producus animam, producit omnia prædicta entitatis animæ; & sic producit ejus individuationem, & unitatem numericam, cum entitate animæ identificata. In hoc sensu est verum, quòd anima per suam entitatem est una numero, & individua, ut contendunt Scotistæ, & R.R. Societatis, qui prædicatum illud, quo entitas constituitur una, singularis, & individua, vocant *hæcæritatem*. In Thomistica, & nostra sententia dicendum est, quòd entitas animæ pro priori ad ordinem, quem dicit ad determinatam materiam, est una, & individua fundamentaliter, sed non formaliter, nisi per ordinem ad determinatam materiam. Modo quo duo alba antecedenter ad relationem similitudinis sunt similia fundamentaliter, & solum formaliter pro signo relationis.

19. Ad 3. fundamentum positum num. 6. respondemus negando consequentiam. Nam sicut non est contra rationem substantiæ, quòd intra idem genus una species sit magis perfecta, quàm altera; ita

non est contra perfectionem substantiæ, quòd intra eandem speciem una substantia individua sit perfectior altera. Nec ideò ponimus substantiam intendi, & remitti, sicut intenditur qualitas; nam licet ponamus perfectionem animæ, dependentem à dispositionibus, & organizatione; non tamen ponimus animam variabilem, sicut est qualitas; nam hæc eadem manens, jam intenditur, jam remittitur, unde jam est perfectior, jam imperfectior. Anima autem, licet pro sua perfectione pendeat à dispositionibus materiæ, dum primò informat; secus postea; nam etià variantur dispositiones, & organa corporea, anima tamen semper manet cum eadem perfectione sua substantiali.

Ad 1. confirm. dic, quòd animæ viri, & fœminæ sunt inæquales; & excessus ex genere suo stat ex parte viri. Ceterùm hoc non tollit, quòd ille excessus ex genere possit superari alijs titulis ex parte fœminæ. Sic actus intellectus ex genere perfectior est actu voluntatis; sed non in omni individuo, nam amor Dei super omnia excedit actum opinativum circa existentiam Dei. Sic animæ virorum ex genere excedunt animæ fœminarum, & ideò animæ illustres fœminarum dicuntur animæ viriles: non quòd animæ sint mares, aut fœminæ, sed quòd ex genere sunt perfectiores in viris. Cum hoc stat, quòd in aliquo individuo fœmineo talis sit organizatio, & temperatura, ut per ordi-

acm

nem ad illam, sic anima fœminæ perfectior cunctis animabus virorū, hoc credimus piè de anima Deiparæ, de qua ratio suadet perfectissimam invenisse corporis temperaturam, & organizationem. Ad aliud dicitur, fœminas parè constitutas in sensu fœmineo, non posse in viros commutari. Quæ verò sic commutata traduntur, illæ non erant parè fœminæ, sed utroque sexu organizatæ, decursu temporis prævaluerunt in virili sexu sine ulla mutatione substantiali.

Ad 2. confirm. dic, perfectionem animæ non dependere ab externa corporis dispositione, immò sæpè contingit, nimis pulchros tardiores esse ingenij. Conducit ergo sola interior dispositio organorum, in quibus sunt sensus interni. Hæc interior dispositio non semper adnatur cum exteriori elegantia corporis; immò sæpiùs separantur ab illo, qui dividit singulis sua dona, prout vult; quare quibus denegat exteriorem pulchritudinem, compensat defectum interiori organorum dispositione, ut ingenio prævaleant, qui alioquin despicerentur. Ad urgentiam dic, quòd non variatur substantia animæ, nec illius perfectio, etiam si decursu temporis varietur complexio corporis, & homo reddatur hebes, tardus, aut amens. Hic enim non est defectus animæ, sed læsio organorum, anima tamen immutata. Sicut enim per nutritionem mutata materia primigenæ, manet eadem numero

anima, quæ suam unitatem sumpsit per ordinem ad materiam primigenæ; ita perfectio substantialis animæ sumitur per ordinem ad primam organizationem; quæ si lædatur infirmitate, vel alio contrario, non immutat animam, in qua semper manet ordo ad primam organizationem.

Ad 3. confirm. dic, omnes Theologos teneri respondere, nam omnes docent cum Magist. Sent. in 3. distin. 2. Angelis data esse dona gratiæ proportionatæ ad dona naturæ, secus hominibus: unde in Angelis perseverantibus, qui erant naturaliter perfectiores, perseveraverunt majori connatu, & ex peccantibus majori connatu peccavere, qui erant naturæ perfectiores. Non sic in hominibus, & ratio traditur à D. Thom. 1. p. quæst. 64. arr. 6. & 2. 2. quæst. 24. art. 3. sic. Angeli, cum sint incorporei, non habent sensus, à quibus retardari possint in operando; quare operantur toto connatu naturæ; & sic quo perfectiores sunt, eo melius operantur, dum benè, & eo pejùs, dum malè. Non sic homines, quorum anima perfectior præpedita sensibus, non operatur secundum suam perfectionem. Et inde venit, quòd multi ignari, & insipientes; quibus sensus, præcipuè interni, non impediunt motionem gratiæ; melius operantur, & promptius obediunt Divinæ motioni; & sic recipiunt majora gratiæ dona in hac vita, & luminis gloriæ in futura.

Ad

20. Ad ultimum fundamentum positum num. 7. nego major. nam licet exigentia, qua anima petit dispositiones meliores, sit prædicatum identificatum cum anima, non est prædicatum specificum, sed individuale. Hoc patet, nam anima rationalis ex suo conceptu specifico solum petit organa humana; non verò melius, aut deterius disposita: ergo quod anima petat determinatam dispositionem, perfectiorem ceteris, hoc est prædicatum individuale, quod licet conveniat formæ, non est formale; sed materiale, & individuale. Ergo diversæ exigentiæ duarum animarum probant unicè distinctionem numericam in animabus, non specificam. Ad 2. prob. maj. dic. illas diversas dispositiones, quas petunt animæ, non esse specie distinctas, sed numericè; sicut differant calor, ut sex, & calor, ut duo: ergo exigentiæ distinctæ animarum, non differunt specie, sed numero. Ad 3. probat. concedo, quod agens potens operari sine approximatione, differret specie à sic non potente; nam haberet virtutem infinitam, & sic differret ab agente finito. Hinc non est paritas ad nostram quæstionem. Nam ingeniosus ad intelligendum objectum sine Magistro, non est agens operans sine approximatione; nam revera intelligit per species impressas, quibus objectum unitur intellectui, & approximat intel- ligenti. Præterquam quod Magister explicans, non dat Discipulis vim

intellectivam; sed sicut patres dividunt panem filijs, qui alioquin imbecillitate sua non possent illum dividere; ita Magister diffiniendo, & dividendo veritatem objecti, illam tradit per partes, ut à Discipulis percipiatur. Quod si quis vivatori ingenio non indiget partitione facta à Magistro; hic excessus non variat speciem, quia est penes majorem, aut minorem vivacitatem.

Ad confirm. concessio antecedenti nego conseq. In Angelis major perfectio in cognoscendo, habet distinctionem specificam, quia excessus ille nec sumitur per ordinem ad corpus, cum sint incorporei, nec per ordinem ad conditionem individualem, quia sumitur ex diverso gradu immaterialitatis, unde sumitur ex conceptu specifico: & ideo excessus perfectionis in cognoscendo arguit à posteriori distinctionem specificam Angelorum. In animabus nostris non sic, quia cum omnes conveniant in gradu immaterialitatis, excessus in cognoscendo non sumitur ex conceptu specifico: ergo restat, quod sumatur ex conceptu individuali, nempe per ordinem ad materiam quantam, & organizatam, à qua sumitur etiam unitas numerica, & individualis: quare excessus animarum in perfectione cognoscendi, arguit distinctionem numericam, non specificam.

QVÆSTIO VII.

An potentia realiter distinguantur ab anima!

§. I.

Explicantur quinque potentia anime, & traditur ratio hujus numeri determinati.

S. P. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 6. explicans simplicitatem Dei, in cujus comparatione nulla creatura est simplex, sed composita, animam comparat cum corpore; & illam, dicit, esse simplicitatem corpore, sed absolute sumptam asserit, esse compositam; quia revera habet anima potentias suas, quibus redditur multiplex, & composita, ibi: *Anima est quidem in corporis comparatione simplicior, sine comparatione autem corporis multiplex est, etiam ipsa, non simplex.* De his potentijs est quæstio præsens, sed ante præcipuum dubium de distinctione earum ab anima, oportet notare, quot sint animæ potentia.

Communiter potentia animæ quinque enumerantur, nempe. Vegetativa, sensitiva, appetitiva, loco motiva, & intellectiva. Non est sensus, quod in quacumque anima sint omnes hæc potentia. Nam anima plantæ est vera anima, nec habet, nisi potentiam vegetativam; sic de anima brutorum, in qua non est potentia intellectiva. At quia in hoc libro est nobis sermo de anima in communi, ut comprehendit omnes gradus viventium, de illa sic

sumpta dicitur, habere quinque potentias enumeratas.

Probat. Nam ex modis diversis operandi in particulari, colligitur diversitas animarum in particulari: ergo ex diverso modo operandi in communi colligitur diversitas animarum in communi, & potentiarum, quæ animæ deserviunt. Sed modi operandi vitaliter sunt quinque: ergo totidem sunt potentia vitales animæ in communi. Probat. min. Anima operans vitaliter, vel agit per modum naturæ, & sine ulla cognitione; & sic agit per potentiam vegetativam. Vel operatur cum imperfecta cognitione, per species receptas in organo corporeo; & sic agit per potentiam sensitivam. Vel operatur taliter, ut non attrahat ad se objectum per species receptas, qualiter agit potentia cognoscitiva, trahendo res ad se; sed potius fertur in objectum cognitum, per modum inclinationis, & prosecutionis: & sic agit per potentiam appetitivam. Vel operatur se movendo progressivè ad locum adæquatū; & sic datur potentia loco motiva. Tandem, vel operatur per receptionem specierum spiritualium, per

quas movetur anima ad cognoscenda universalia, & spiritualia; & sic datur potentia intellectiva. Aliqui addunt potentiam volitivam, quæ est appetitus sequens ductum rationis. At communis sententia solum assignat has quinque potentias, & merito. Nam potentia volitiva in modo operandi non differt ab appetitiva; nam utraque fertur ad res per modum inclinationis, & prosecutionis, cum hoc solo discrimine, quod utraque supponit cognitionem; sed appetitiva sequitur ad cognitionem sensitivam, & imperfectam, volitiva autem sequitur ductum intellectus per cognitionem perfectam, & ideo voluntas dicitur appetitus rationalis.

2. Notandum, has quinque potentias animæ subdividi in alias potentias particulares, de quibus erit sermo lib. seq. Vegetativa enim dividitur in nutritivam, augmentativam, & generativam: sensitiva dividitur in quinque sensus externos, nempe videndi, audiendi, gustandi, &c. quibus adduntur sensus interni, ut imaginativa, æstimativa, sensus communis, &c.

Quod si quæras, Cur sunt tantum tres gradus animæ, si sunt quinque potentiæ ad operandum vitaliter? Respondetur, aliquas potentias vitales sic colligari, ut una non stet sine altera; v.g. potentia loco motiva non stat sine sensitiva, nec potentia appetitiva stat sine sensitiva. Quare tres gradus viventium resultant ex quinque modis ope-

randi vitaliter. Primus vegetabilium, in quo solum datur potentia vegetativa. Patet enim, quod in plantis nullus est sensus, nullaque cognitio sensitiva: ergo nulla in eis est vis appetitiva. Inde sequitur etiã, quod non habent potentiam loco motivam; tum, quia non moventur localiter, nec habent organa apta ad motum progressivum: tum, quia juxta Aristot. Potentia loco motiva agit, ut imperata à sensitiva, & appetitiva, ut dicitur 3. de Anima, text. 48. ergo si in plantis non est potentia sensitiva, aut appetitiva, nec etiam erit potentia loco motiva. In brutis, & viventibus sensitivis, ultra potentiam vegetativam, & ejus subalternas, datur triplex potentia constituens vitam sensitivam; nam sentiunt, appetunt proficua, & moventur progressivè, exceptis Ostreis, & Conchilijs: ergo in eis est sensitiva, appetitiva, & loco motiva. Tertius gradus viventium animatorum, est homo, in quo ultra vitas præcedentes est vita etiam intellectualis, quæ tripartitur in intellectum, memoriam, & voluntatem, quibus cognoscit, memorat, & amat.

Secundò notandum, quod licet multæ ex potentijs numeratis pertineant ad corpus, quia præcipua organa sunt in corpore, & corpori præcipuè deserviunt; at verè, & propriè sunt, & dicuntur potentiæ animæ. Audit P. N. August. lib. de Quantic. anim. cap. 21. dicentem: *Quamquam enim virtus ani-*

ma

ma, vires autem corporis putari soleant, nunquam tamen ab anima eas abjudicaverim, cum videam in exanimis corporibus, nullas esse. Per corpus quidem viribus, sicut sensibus uti animam, negandum non est, tamen quoniam ista sunt viventis officia, quis hæc dubitaverit, ad animam potius pertinere. Est ergo ratio Augustin. duplex. Prima, quod ut tales potentiæ videndi, audiendi, &c. non exercentur in cadavere, ubi manent oculi, aures, &c. ergo quia potentiæ illæ in vivente potius pertinent ad animam, ex cujus absentia plene deficient. Secunda, quia anima medijs organis corporeis, exercet vitaliter eas potentias videndi, audiendi, &c. ergo illæ pertinent ad animam, ut ad causam principalem, cui deserviunt potentiæ.

3. Notandum tandem, quod licet animæ nostræ rationales sint perfectiores, quàm animæ brutorum, tum quia nostræ animæ spirituales sunt, brutorum autem animæ corporales: tum quia modus operandi noster per intellectum, & voluntatem, est plene independens à materia, & supra omnem materiam; non sic modus operandi brutorum, qui dependens est à materia, & organis corporeis. At operationes nostræ animæ rationalis, quatenus est vegetativa, & sensitiva, non sunt æquè perfectæ, ac in brutis, & vegetabilibus; quare in operationibus vegetandi, & sentiendi superatur homo à belluis habentibus meliorem dispositionem organorum, pro-

operationibus vivacioribus, quas eliciunt.

Audi S. P. serm. 102. cap. 5. *Sensus in homine, comparatione aliorum animalium vilescere. Acute vides, acutiùs te forsitam aquila, acute audis; sunt bestiolæ, quæ audiunt acutiùs. Acute olfacis, canem sagacem non vincis. Acute saporibus gustando dijudicas; sunt animalia, quæ in expertas herbas discernunt, & quod est noxium non attingunt. Nam tu quamvis acute discernas cibum, imprudens irruis in venenum. Acute sentis, tangendo; quàm multa aves æstatem futuram præsentiant, & ad loca calidiora demigrant. Quod tu, cum veneris, sentis, antequàm veniat, illa præsentit. Similia habet lib. de Divinatione dæmonum cap. 3. ubi exemplum affert de sagace cane, qui Latentem feram olfatu acerrimo sic invenit, ut ad eam capiendam ducatur quendam homini præbeat. Tandem sic concludit: At enim præstantia non solum à volucris homines, sed etiam à multis quadrupedibus, ita homines superantur, ut in eorum comparatione plures dei deputandi sint.*

4. Quæres breviter, cuiusmodi subjecto inhæreant potentiæ relatæ? Respondemus, quasdam esse pure corporales, quæ convenient viventibus corporeis, nempe brutis, & plantis: ejusmodi sunt vegetativa, sensitiva, appetitiva, & loco motiva. Istæ subjectantur in toto composito ex anima, & corpore; & ideo vocantur potentiæ organice, quia resident in organis, & membris cor-

corporeis, ut visiva in oculo, auditiva in aure, &c. At quædam sunt potentia puræ spirituales, quæ homini sunt communes cum Angelis: ejusmodi sunt intellectus, memoria, & voluntas. Istæ non resident in corpore, nec in membris corporeis, sed in anima rationali tantû, & idè vocantur *inorganica*.

Qui animam brutoram docet divisibilem, ita ut pars ejus sit in oculo, pars in aure, &c. docent, has potentias recipi non solum in diversis organis corporeis, sed in diversis etiam partibus animæ. Et hinc magna inter eos DD. agitur quæstio, inquirens de illis partibus animæ, an sint homogeneæ, & ejusdem rationis, an heterogeneæ, & diversæ rationis? Qui dicunt, esse heterogeneas, tenent, quod sicut organum visus non potest audire, ita pars animæ, quæ est in oculo, est diversæ rationis à parte animæ existente in aure; & sic non potest influere in operationes auditus: unde ponunt partes animæ heterogeneas. Qui verò tenent sententiam oppositam, docent, partes animæ esse ejusdem rationis, & pars, quæ est in oculo, ut videat, posse audire, si ponatur in aure. Hæc quæstio à nobis prætermittitur, quoniam propugnâvimus, animas perfectorum animalium indivisibiles, & sic in nostris principiis non est locus quæstioni. Adest aliquis locus in anima vegetativa, & in anima sensitiva animalium imperfectorum, quas diximus divisibiles, &

habentes partes. De quibus si quæras, an sint homogeneæ? Respondedo negativè propter rationes, quas videbis apud DD. hujus sententiæ, quæ præcipuè probant intentum de animabus vegetabilium, & imperfectorum.

Si enim juxta quæst. antecedentem anima ex se petit corpus organicum: ergo data animæ divisibilitate, pars animæ petit partem organicam; & sic pars animæ, quæ est auditiva, petit organum auris, pars animæ visiva petit organum oculi; & tota diversitas organorum reducenda est in diversitatem partium animæ.

§. II.

Propugnantur sententia circa distinctionem potentiarum ab anima.

5. **H**ÆC quæstio nimis implexa de distinctione potentiarum ab anima, decidenda est ex principiis datis lib. 2. Physicor. q. 10. ubi latissimè disputavimus, an substantia sit immediatè operativa? Nec aliquid speciale est in præsentibus, quod loco citato non sit satis discussum; quare poterat quæstio præsens prætermitti à nobis. At quoniam DD. eam instituunt in præsentibus, & uno, vel altero argumento dilucidant; quæ in Physica dicta sunt, idè ut communem morem teneamus, eandem instituimus.

Prima sententia negat, potentias distingui ab anima. Ita noster Gre

Gregorius in 2. dist. 16. quæst. 3. Ochamus, & generaliter Nominales, nec non major pars DD. Societatis, & omnes illi, qui docent, substantiam esse immediatè operativam. Eis adjunge Scotistas, unicè concedentes distinctionem ex natura rei, quam ponunt inter animal, & rationale. Accedit S. Bonavent. qui quoad potentias animæ vegetativæ dicit, eas non distingui à forma substantiali, movetur S. Doct. ex eo, quod operationes vegetativæ, sunt generare substantiam, vel illam adgenerare; & istæ non possunt convenire nisi substantiæ. De reliquis potentiis animæ tenet, esse distinctas realiter ab anima.

Probatur hæc sententia 1. ex P. August. lib. de Spiritu, & anim. cap. 4 & 13. ubi docet, unicam animam sortiri varia nomina propter varias operationes, & subdit: *Dicitur namque sensus, imaginativa, ratio, intellectus, intelligentia: & hæc omnia in anima nihil sunt aliud, quam ipsa. Secundum exercitia multa sunt: secundum essentiam verè unum sunt in anima, & idem cum ipsa. Dicitur namque anima, dum vegetat; spiritus, dum contemplatur; sapientia, dum sapit; sensus, dum sentit; mens, dum intelligit; ratio, dum discernit; memoria, dum recordatur; voluntas, dum amat, &c.*

Idem habet S. Isidorus lib. 11. Æthymol. cap. 1. & S. Bernard. ferm. 111. in cantica dicit: *Trium in anima, memoriam, intelligentiam, & voluntatem; & hæc tria*

esse ipsam animam. Omittimus alias authoritates, quæ ad idem adducuntur, ut hæc sententia probetur de mente SS. PP. etiam omittimus, eas rationes, quibus probatur directè, substantiam esse immediatè operativam, nam licet illis probetur intentum, eas jam expendimus loco citato Physicæ nostræ.

6. Probatur 2. sic. Possibilis est anima, operans absque potentiis realiter superadditis; nam in hoc, nulla apparet repugnantia; sed frustra faceret natura per plura, quod potest facere per pauciora: ergo connaturalius, & de facto anima operatur sine potentiis realiter distinctis, & illas, ut identificatas. Confirm. Si potentia distingueretur realiter ab anima, deberent concurrere vitaliter, v.g. voluntas volendo, intellectus intelligendo, sicut potentia non vitalis, ut calor concurrat, calefaciendo; sed potentia animæ non concurrunt vitaliter; non enim voluntas concurrat volendo; ergo non est potentia distincta ab anima. Probatur minor, non potest voluntas velle, nisi cognoscat, quia nihil volitum, quin præcognitum; sed si voluntas distinguitur realiter ab anima non cognoscit, cum voluntas ex se non habeat vim cognoscendi; ergo non concurrat volendo.

Confirmatur 2. Si voluntas realiter distincta ab anima concurrat volendo, dum agit liberè, concurrat, volendo liberè, sed hoc est impossibile: ergo non concurrat

voiendo. Probatur min. Respektu e-
iusdem actionis non possunt dari
duo principia libera formaliter; sed
anima, & voluntas distincta, essent
duo principia libera: ergo &c. Pro-
batur maj. Dux causæ indifferentes
non possunt concurrere ad eandem
actionem, nisi vel casualiter, vel u-
na determinando alteram; sed con-
cursus casualis repugnat agentibus
liberis, qui operantur per intelle-
ctum; determinatio unius causæ
ab alia est contra libertatem: ergo
&c.

Confirmatur 3. Si potentia
essent distinctæ realiter ab anima,
deberent esse plures, & inter se di-
stinctæ; sed hoc non est possibile:
ergo non sunt distinctæ ab anima.
Probatur min. Primum nequit assignari
distinctio potentiarum inter se
ex parte radicis earum; nam hæc
est eadem anima; nec ex parte mo-
di tendendi actuum; nam ab eodẽ
intellectu provenit assensus, & dis-
sensus; ab eadem voluntate amor,
& odium, quæ non minus distin-
guuntur, & diversificantur in mo-
do tendendi, quàm visio, & audi-
tio, quæ pertinet ad diversas po-
tentias. Secundò, nam intellectus,
& voluntas tendunt in idẽ objectũ
formaliter; siquidem voluntas non
tenderet in bonum, nisi bonum sub
ratione boni cognosceretur ab in-
tellectu. Tertio, quia memoria nõ
videtur distingui ab intellectu, et
nihil aliud sit, quàm representatio
cognoscitiva præteritorum, aut jam
cognitorum.

Confirm. 4. Operationes vi-
tales sunt à principio vitali; sed so-
la anima est principium vitale; nam
sine anima, quidquid est in viven-
te, statim moritur: ergo nihil ab
anima distinctum, influit in opera-
tiones vitales. Et urgetur. Nam si
potentiæ differrent ab anima, homo
non esset ad imaginem Dei; in tan-
tũ enim est imago Dei quoad a-
nimam, & potentias, in quantum
habet tres potentias cum anima
identificatas, sicut in Deo sunt tres
Personæ identificatæ cum Divina
essentia; sed homo quoad animam
factus est ad imaginem Dei: ergo,

Confirm. 5. Nullum accidens
potest excedere suum subjectum
in perfectione; sed si intellectus, &
voluntas essent potentia realiter
distinctæ ab anima, essent acciden-
tia, excedentia animam in perfec-
tione: ergo non sunt distinctæ. In-
tellectus est conversivus supra se, &
capax beatitudinis; voluntas etiam
habet eandem perfectionem, quia
potest beati, sicut intellectus, &
potest se ipsam, & suum amorem
amare, sicut intellectus potest se ip-
sum, & suam cognitionem cognos-
cere; & hoc est magna perfectio
utriusque potentia. Sed anima, si
ponitur distincta, non potest se ip-
sam amare, aut cognoscere; imò
nec poterit beari; cum beatitudo
consistat in cognitione, & amore:
ergo.

Tandem confirmatur. Poten-
tia anima vegetativæ nec sunt inter
se distinctæ, nec distinguuntur rea-
liter

liter ab anima: ergo idem. Prob.
antecedens. Quoad primam partem:
Eadem potentia, quæ convertit sub-
stantiam cibi in substantiã alicui ad
illam restaurandam, convertit etiã
quantitatem ad illam augendam, e-
tiam convertit superfluum alimen-
ti ad generandum sibi similem; sed
primum est munus potentia nutriti-
væ, secundum est munus augmen-
tativæ, & tertium generativæ: ergo
istæ potentia sine distinctione sunt
unica potentia. Quoad secundam
partem probatur. Nam generare
substantiam, vel illam ad generare,
non potest convenire accidenti, sed
si potentia vegetativæ differrent ab
anima, essent accidentia de secun-
da specie qualitatis: ergo tales po-
tentia vegetativæ, quibus genera-
tur substantia, vel adgeneratur, nõ
possunt differre ab anima. Major
patet. Nam effectus substantialis
non potest produci à causa imper-
fectiori, in qua non præconti-
netur; accidens autem est imper-
fectius substantia.

7. Secunda sententia extremè
opposita docet, potentias omnes
realiter differre ab anima. Ita D.
Thomas 1. p. quæst. 77. art. 2. &
alibi sæpè, quem sequuntur omnes
Thomistæ. Et ex PP. Societatis Co-
nimbricæ, lib. 2. de Anim. cap. 3.
quæst. 4. Fonseca, Peretius, Vaz-
quez 1. p. disp. 195. cap. 1. Ami-
cus, Lugo, & alij, qui pariter ne-
gant, substantiam esse immediatè
operativam. Ex nostris ferè omnes
cum B. Egidio in 1. dist. 3. p. 2.

quæst. 3. art. 2. fufius quodlib. 3.
quæst. 10. & alibi sæpè.

Probatur hæc sententia de
mente P. N. August. locis infra al-
legandis. Nec non probatur à Tho-
mistis varijs rationibus, quibus sua-
detur, nullam substantiam creatam
esse immediatè operativam, quas
omittimus in præfati, quia suffi-
cienter eas expendimus 2. Physic.
q. 10. ultra eas.

Probatur 1. ex D. Thom. 1.
p. q. 77. art. 1. ad 3. ubi ait: *Sic
se habet forma accidentalis activa ad
formam substantialem agentis, ut ca-
lor ad formam ignis, sicut se habet
potentia animæ ad animam.* Ex quo
sic. Potentia proximæ inanimato-
rum sunt accidentia realiter distin-
cta à forma substantiali eorum, ut
patet in igne, cujus calor realiter
distinguitur à forma substantiali ig-
nis, & frigiditas est qualitas realiter
distincta à substantia aquæ: ergo
potentia proximæ vitales animato-
rum sunt accidentia, realiter distin-
cta ab anima, quæ est forma viven-
tium. Probatur consequ. Quia omnia
fundamenta sententiæ contrariæ eò
præcipuè tendunt, ut suadeant, a-
nimam nihil agere, si virtutes ani-
mæ ad agendum sunt ab ea distin-
ctæ: at si forma substantialis ina-
nimata operatur media virtute rea-
liter distincta falsificatur intentum
sententiæ contrariæ, & ostenditur,
posse verè operari agens, media
virtute realiter distincta: ergo ex
agentibus inanimatis probatur, quòd
virtus animæ ad agendum est reali-
ter

ter distincta, & quod ex distinctione illius virtutis mediæ, non sequitur, quod anima nihil operatur.

Explicatur. Thomista intendunt hanc consequentiam, esse bonam. *ignis est verè calefactivus, etiam si calefaciat, mediâ virtute caloris realiter distincta: ergo anima erit verè intellectiva, etiam si intelligat mediò intellectu realiter distincta.* Sed in hac consequentia antecedens est notam, & consequentia legitime inferitur, quia consequens constat eisdem terminis, ac antecedens: ergo si in agentibus inanimatis dantur potentie realiter distincte à substantia inanimatorum, etiam in viventibus dantur potentie realiter distincte ab anima.

Secundò probatur à ratione desumpta ex potentijs sensitivis animæ rationalis. Potentie sensitivæ, à quibus immediatè eliciuntur sensationes, realiter distinguuntur ab anima rationali: ergo etiam potentie intellectivæ. Prob. antecedens. Potentie entitativæ materiales, nequeant identificari cum entitate spiritali animæ; sed potentie sensitivæ sunt entitativè materiales: ergo non identificantur, sed distinguuntur ab anima rationali. Prob. min. cum, quia potentia adæquatè specificata ab objecto materiali, & impotens versari circa objecta spiritalia est entitativè materialis: tales sunt potentie sensitivæ; ut patet in potentia visiva, quæ specificatur à colore materiali, & est impotens videre Deum, Angelos, &

objecta spiritalia. Tum etiam, quia activitas proxima entitativè spiritalis, spiritali modo tendit in objectum, etiam materiale; sed nec gustus, nec tactus, nec alius sensus tendit modo spiritali in suum objectum: ergo.

Confirmatur. Si potentie sensitivæ identificarentur cum anima, essent spirituales, & spiritaliter operarentur; sed totum est falsum: ergo potentie illæ sunt realiter distincte ab anima. Probatur min. Si potentie illæ essent spirituales, & operarentur modo spiritali, darentur, & remanerent in anima separata, & possent ibi etiam operari; idè enim animâ separata intelligit, & amat, quia intellectus, & voluntas sunt potentie spirituales, & operantur modo spiritali: ergo anima etiam separata sentiret, si potentie sensitivæ essent spirituales, &c.

Confirm. 2. Anima non est subjectum immediatè receptivum operationis sensitivæ; nam operatio sensitiva est materialis, & extensa, & nihil tale potest recipi immediatè in subjecto purè spiritali: ergo anima non est potentia immediata, aut immediatum principium operationis sensitivæ; & consequenter potentia sensitiva realiter distinguitur ab anima. Probatur consequ. quia actio formaliter immanens, & vitalis recipitur in eodem principio, à quo elicitur: quare recipitur immediatè in eodem principio, à quo elicitur immediatè.

tè. Hæc ratio, & aliæ, quæ probant, tum de anima, tum de quacumque forma substantiali, quod non sit immediatè operativa, latè versantur à cursu Complutensi S. Thomæ; ubi videri possunt.

8. Tertio probatur. Principiù generale, & indifferens ad diversas operationes, debet determinari ad aliquas in particulari per principia particularia; sed anima est principium generale, & indifferens ad operationes vitales diversissimas: ergo debet habere potentias particulares, distinctas, quibus determinetur. Confirmatur. Intellectus dirigit, & movet voluntatem; voluntas imperat intellectui; appetitus etiam resistit rationi; sed hæc indicant distinctionem harum potentiarum; non enim de anima dici potest, se ipsam dirigere, & sibi imperare, aut resistere: ergo nec quidd ipsa sit potentia intellectiva, volitiva, aut appetitiva.

Confirmatur 2. quia negata distinctione, si omnes potentie sunt idem cum anima, verè dicitur, quod intellectus amat, voluntas cognoscit, quod anima videt auribus, & audit oculis; quæ omnia absurda sunt: ergo ponendæ sunt potentie realiter distincte ab anima, & inter se. Tandem confirmatur. Gratia se habet in ordine supernaturali, sicut anima in ordine naturali; sed gratia non operatur immediatè actus supernaturales, sed radicat habitus, ut fidei, spei, & charitatis, qui sunt virtutes immediatè ad a-

ctus supernaturales: ergo etiam anima radicat potentias distinctas, & medijs illis operatur.

9. Tertia sententia quasi media docet, potentias animæ esse realiter distinctas; sed nihilominus etiam animam concurrere immediatè ad suas operationes vitales. Sic P. Suarius in Metaphys. disp. 18. cujus sententia quantum pertinet ad substantias inanimatas, jam est expressa à nobis 2. Physic. quæst. 10. §. 4. eam sequuntur plures RR. præsertim Societatis, & in quantum asserit, hoc de anima, relatè ad actiones vitales probatur multis.

Probatur 1. ex ratione vitalitatis. Anima verè vivit in actu secundo per operationem vitalem; sed non viveret, nisi influeret immediatè in operationem vitalem: ergo potentie distincte, non sunt adæquatè virtus activa animæ, sed ultra potentiam, etiam anima influit immediatè. Major constat, nam anima est verè vivens in actu primo, & principium substantiale vitæ, quare illi correspondet vita in actu secundo. Min. probatur. Vivere in actu secundo, est se movere ab intrinseco; sed nisi anima immediatè concurrat in actum vitalem, non se movet ab intrinseco: ergo nec vivit. Probatur min. Nihil se movet ab intrinseco per motum illum, qui oritur à principio realiter adæquatè distincto; se movere ab intrinseco, est propriè agere, & per se; non autem mediante alio; sed si anima per se immediatè non influit, agit

medio principio distincto: ergo &c.

10. Probatum est ex dominio, & libertate animæ in suos actus. Actus omnis vitalis liber, & potentia actuum productivæ, subordinantur animæ, ita ut actus pro libito ponat, & potentijs liberè utatur; sed hæc subordinatio petit immediatum influxum animæ: ergo ultra potentias immediatè activas, etiam anima immediatè influit. Probatum min. Subordinatio vi cujus anima utitur pro libito suis potentijs, non potest intelligi, nisi media aliqua operatione, vi cujus potentias determinet; sed hæc operatio non est alia, quàm concursus in actum vitalem; sicut voluntatem, uti habitum, & illum determinare, aliud non est, quàm voluntatem operari cum habitu: ergo. Rursus. Illa subjectio dicit in anima virtutem cohibendi suas potentias; sed hæc virtus non stat sine immediato influxu, ut Deus possit pro libito cohibere causas secundas, ne effectus producant, ponitur immediatus ejus influxus necessarius pro causis secundis, quas cohibet, subtrahendo influxum. Tandem, principium determinans, debet aliquid operari: ergo si anima determinat potentias, debet influere, &c.

Confirm. Nisi anima influat immediatè in amorem turpem, hic nec liber, nec imputabilis erit anima; sed hoc est absurdum: ergo idem. Major probatur 1. nullo principio liberè, & imputabiliter se exercet per actum, quem nec media-

tè, nec immediatè potest impedire; sed anima sic se habet, si non influit immediatè: ergo &c. Min. probatur. Anima non potest impedire amorem turpem, nisi suspendendo suum concursum: sicut Deus non possit impedire effectus causæ secundæ, nisi suspendendo suum concursum in illos: ergo si anima non concurrat immediatè ad amorem, nec poterit illum immediatè impedire: aliunde nec mediatè; quia anima nullam conditionem, causam, aut requisitum amoris turpis impedire potest, cum nihil hujusmodi per se producat.

Confirm. 2. Omne principium liberè, & imputabiliter se exercens per operationem, est principium determinans existentiam operationis; sed anima, nisi influat immediatè in amorem turpem, non determinat ejus existentiam: ergo sic influit. Probatum min. Anima non determinat immediatè, si non est principium immediatum actionis. Rursus, nec mediatè determinat. Primum, quia non determinat, elicendo imperium, impulsus, qualitatem, aut motionem physicam, per quam moveat voluntatem. Tum, quia sic anima moveret voluntatè, sicut Deus prædeterminat creaturas, quod nemo dicit. Tum maximè, quia jam anima esset principium immediatum alicujus accidentis, nempe imperij, impulsus, qualitatis, aut motionis physicae; & hoc esset ponere animam immediatè operativam. Rursus. Dicitur non potest, animam

de

determinare mediatè ad amorem per hoc, quod producat voluntatem, immediatè agentem, aut habeat sibi unitam. Tum, quia anima non causat voluntatem juxta Thomistam, sed hæc causatur ab agente anima. Tum, quia licet produceret, eam produceret necessariè, non minùs, quàm ignis calorem. Tum tandem, quia ratione ejus productionis, & unionis non magis anima determinat ad unum, quàm ad aliud, non magis ad amorem turpem, quàm honestum.

§. I I I.

Præfertur sententia affirmans, quæ confirmatur auctoritate, & ratione.

II. LIB. 2. Physicor. q. 10. §. 5. defensivimus de mente P. N. August. D. Thomæ, & B. Ægid. substantiam non esse immediatè operativam; sed operari media virtute de genere qualitatis realiter distincta ab anima. Hæc assertio ibidem probata est varijs auctoritatibus P. August. D. Thom. & B. Ægidij, quibus adjunximus fundamentalem rationem, desumptam ex P. August. cui in præsentia alias ex B. Ægidio anneximus, ut conclusio nostra ex alibi dictis, & hic dicendis, maneat firma.

Sit nostra conclusio. Anima realiter distincta suis potentijs. Probatum est ex P. August. Epist. 102. dicitur: Memoria, intelligentia, & vo-

luntas non sunt anima. Et lib. 5. de Civit. Dei cap. 11. dicit: *in anima immateriali est memoria, sensus, & appetitus; sed sensus in anima, cum sit materialis, non est in anima per identitatem, ut patet: ergo nec memoria, nec appetitus sunt in anima per identitatem, sed per distinctionem.* Item serm. 3. de Temp. ait: *Aliud est anima, aliud ratio, & tamen in anima est ratio, & una est anima, sed aliud anima agit, aliud ratio anima vivit; ratio sapit, ad animam pertinet vita, ad rationem pertinet sapientia. Et cum unum sint, anima sola suscipit vitam, ratio sola suscipit sapientiam; & tamen nec anima sine ratione, nec ratio sine anima.* Ad idem lib. 6. de Trinit. cap. 6. dicit, animam non esse simplicem, sed compositam, quod non stat sine distinctione potentiarum.

Ex his probatur ratione desumpta ex verbis laudatis. Sic. Quæ sunt unum, & aliud, non identificantur, nam identificata sunt unum, & idem; sed anima, & intellectus sunt unum, & aliud juxta P. August. ergo realiter distinguuntur. Rursus. Quæ idem identificantur, idem recipiunt, aut non recipiunt; quod enim recipitur in aliquo, recipitur in omni identificato cum illo; sed juxta P. August. anima non suscipit, quod suscipit ratio; nec ratio recipit, quod recipit anima; nam sola anima recipit vitam, & sola ratio suscipit sapientiam; ergo anima, & ratio realiter distinguuntur. Rursus. Anima juxta August. vivit, ratio sapit, est dicere, anima

nima est principium essendi, intellectus principium intelligendi; sed esse, & intelligere sunt realiter distincta apud omnes: ergo etiam principia essendi, & intelligendi sunt realiter distincta. Tandem juxta August. *Ratio est in anima*; est dicere, quod anima est subjectum, cui inhaeret ratio; sed forma subjecto inhaerens, realiter distinguitur à subjecto inhaerentis juxta omnes: ergo ratio, aut potentia intellectiva realiter distinguitur ab anima.

12. Probat 2. ratione fundamentali, desumpta ex P. August. lib. 5. de Trinit. cap. 10. ubi ait: *In rebus, quae participatione magnitudinis magna sunt, quibus est aliud esse, aliud magnas esse, &c. Aliud est magnitudo, aliud ea, quae participatione magnitudinis magna sunt.* Ex hoc principio probat, quod Deus est sua sapientia, intellectus, bonitas, &c. et per identitatem, & per essentiam est bonus, sapiens, potens, quia à nullo participat has perfectiones; è contrà: creatura, quae illas habet per participationem, illas habet per distinctionem; quare differt à sua magnitudine, sapientia, potentia, &c. De hoc principio egimus lib. 1. Physic. quaest. ult. num. 29. & lib. 2. quaest. 10. num. 31. ubi actum est de duplici participatione, nempe *transitiva*, quae arguit distinctionem; & *intransitiva*, quae stat sine distinctione.

Argues sic. Quidquid habetur per participationem transivam, realiter distinguitur à subjecto parti-

cipante; sed anima habet suas potentias participatas à Deo, & participatas *transitive*: ergo habet illas realiter distinctas à se. Major patet ex principio August. quod si est verum, probat saltem de perfectione *transitive* participata. Tum etiam, quia nulla est instantia contra hoc principium Augustin. nisi de participatis *intransitive*, ut ostensum est quaest. 10. citata. Minor probatur. Quidquid participatur, & non est de conceptu essentiali participantis, participatur *transitive*. Patet hoc, nam tale supponit essentiam constitutam in suo esse, & sic advenit essentiae, jam constitutae; quare advenit accidentaliter, extra essentiam, & sic *transitive*. Sed potentiae animae, quas anima participat à Deo, sicut, & totum suum esse, non sunt de conceptu essentiali animae participantis: ergo eas participat anima *transitive*. Probat 2. min. Essentia animae est esse primum principium, id est, principium radicale, & radix omnis operationis vitalis; sed potentiae animae non sunt principium radicale, sed proximum operandi, quod jam praesupponit principium radicale constitutum: ergo. Explicatur in inanimatis ubi clarius apparet, & sensibilibus, distinctio utriusque principij operandi. Nam calor in igne est principium proximum operandi, supponens substantiam ignis radicaliter calefactivam. Item omne principium, quod supponit substantiam constitutam in esse naturae, supponit illam constitutam in esse essentiae; primo, quia

quia essentia, & natura sunt munita diversa ejusdem entitatis; tum etiam, quia sicut prius est esse, quam operari, sic prior est essentia, quae dicitur ad esse, quam natura, quae respicit operari: ergo si potentia animae supponit animam jam constitutam in esse naturae necessario supponit illam constitutam in esse essentiae. Atqui potentiae animae, quae sunt principia proxima operandi, supponunt animam, ut principium radicale operandi; & principium radicale operandi est constitutum naturae in esse naturae, ut dicitur 2. Physic. ergo potentiae animae sunt extra essentiam ejus, & participantur *transitive*, &c.

13. Confirmatur sententia nostra alijs rationibus, quas B. Aegid. adducit quodlib. 3. quaest. 10. Prima ratio est. Non potest dari processus de extremo ad extremum sine medio realiter distincto; sed substantia animae, & ejus actio, sunt duo extrema realiter distantia; medium autem est potentia operativa: ergo potentia illa realiter differt ab anima, & ab ejus actione. Major patet in linea, cujus principium realiter distans à fine, petit, quod non sit processus, aut transitus de principio ad finem, nisi transeundo per medium, realiter distinctum ab extremis. Probat 2. min. substantia animae est principium radicale operationis; ultimum in linea operativa est actualis operatio, in qua sistit motus proprius, aut improprius; potentia autem est principium imme-

diatum, & proximum, supponens radicale, & praecedens operationem: ergo est medians inter principium radicale, & actualem operationem.

Secunda ratio, quae ex praecedenti colligitur, & est ejus confirmatio, formatur sic: omne medium inter extrema aliquid participat ab extremis, & aliquid non participat; propter quod omne medium, & convenit cum extremis, per id, quod participat; & differt ab extremis per id, quod non participat ab eis. Sed ordo lineae operativae procedit sic, ut primo sit principium radicale operandi, deinde principium proximum agendi; ac tandem actualis operatio, in qua sistit tota linea activa; ergo cum potentia proxima, & principium proximum agendi, mediet inter principium radicale, & operationem, aliquid participat à principio radicali, aliquid etiam ab actuali operatione, ut sic conveniat aliquo modo medium cum extremis. Sed potentia immediata participat à principio radicali permanentiam; ab operatione actuali participat, quod sit accidens: ergo cum principium radicale sit substantia, & omne accidens realiter differat à substantia, sequitur, quod potentia anima realiter differat ab anima principio radicali. Min. probatur. Anima, & quodcumque principium radicale operandi, est principium permanens, & insuper est principium substantiale; sed potentia, & principium immediatum agendi, participat permanentiam, nam aequè permaneret;

ac principium radicale; non autem participat rationem entis substantialis: ergo &c. Probatur & min. Principium immediatum aliquid participat ab operatione, quæ est accidens, citò transiens; sed non participat mobilitatem, & transitum, cum potentia sit entitas permanens: ergo participat ab actione rationem accidentis, & in ea convenit cum actione. Quod si sic, non potest participare à principio radicali entitatem substantialem.

Tertia ratio nostri B. Egidij formatur sic. Substantia Angeli nõ est immediatè effectiva suæ intellectiõnis, sed media potentia intellectiva, distincta à substantia: ergo nec substantia animæ nostræ est immediatè activa; sed medijs potentijs distinctis. Prob. antecedens. Implicat, quòd inter extrema identificata datur medium, distinctum ab extremis; sed hoc daretur, si substantia Angeli esset immediatè effectiva intellectiõnis: ergo sic effectiva non est. Probatur min. Inter intelligens, & objectum intellectum mediat intellectio, sicut actio inter agens, & passum; sed si substantia Angeli esset immediatè effectiva intellectiõnis, dum Angelus intelligit suã substantiam, eadem substantia Angeli est intelligens, & intellecta; quare sunt duo extrema identificata: ergo, vel intellectio medians nõ esset distincta à substantia Angeli, quod est falsum; vel inter extrema identificata datur medium; realiter distinctum ab utroque extremo, quod

est implicatorium.

Hæc ratio aliter formatur, & infertur pro inconvenienti, quòd intelligere Angeli sit ejus substantia: sic, Implicat, quòd extrema identificentur inter se, & quòd medium medians, non identificetur cum extremis; sed substantia Angeli se ipsum intelligentis, identificatur cum se ipsa intellecta: ergo intellectio medians inter substantiam intelligentem, & intellectam, erit idem cum substantia Angeli; & sic intelligere Angeli, erit ejus substantia, quod ab omnibus Theologis reprobatur.

14. Dices. Hæc ratio instatur in ipso intellectu Angelico, quem supponimus distinctam. Nam demus quòd intellectus ille intelligat se ipsum; tunc intellectus ille intelligens, & objectum intellectum identificatur, & tamen intellectio medians non identificatur cum intellectu: ergo nec in casu substantiæ Angelicæ intelligens se ipsam.

Respondem neg. maj. Nam intelligens in eo casu non est solus intellectus, sed ipse actuatus per speciem impræssam repræsentativã suã; hæc est substantia Angeli, quæ repræsentat se ipsam, & omnes passiones, & potentias sibi proprias: ergo principium intelligens non est solus intellectus; sed complexum ex substantia Angeli, & intellectu. Hoc complexum distinguitur ab objecto intellectu, quod est solus intellectus, ut supponitur in instantia: quare potest mediare actio distincta.

Dices iterum. Supponamus, distinctum

functionem intellectus à substantia Angeli, & quòd Angelus cognoscat totum complexum ex substantia, & intellectu: ecce noviter eadem instantia, Angelus sic intelligens est extremum plene identificatum cum extremo intellectu. Et tamen tunc mediat intellectio distincta ab intelligente, & ab objecto intellectu: ergo in casu identitatis intellectus cum substantia Angeli, subjectum intelligens, & objectum intellectus erunt identificata, & tamen mediare poterit actio distincta.

Respondemus, instantiam non concludere, quia ex suppositione ipsa distinctionis intellectus à substantia, supponitur etiam distinctio intellectiõnis à substantia: ergo ex suppositione distinctionis facta in instantia, non potest concludi, quòd intellectio Angeli substantia sit, nec indistincta ab intelligente, sed distincta. Nec intellectio sic cadit inter extrema identificata. Nam intelligens, ut quod est sola substantia; intellectus enim non intelligit, ut quod sed ut quo. Objectum autem intellectum, ut quod non est substantia sola, sed substantia cum intellectu, quem supponis distinctam; sed substantia sola differt realiter à complexo substantiæ, & intellectus, si supponitur distinctus: ergo quia aliquid ponis distinctum ex parte objecti intellecti, jam cadit actio distincta. In casu autem argumenti B. Egidij, nihil ponis distinctum à substantia intelligente, nec ex parte objecti in

tellesti: ergo non potest cadere intellectio distincta.

Vel dic. Quòd inter simplicia identificata non potest cadere medium distinctum; bene tamen inter complexa identificata; nam complexio fit ex distinctis. Argumentum B. Egidij ponit extrema simplicia identificata; nam ponit substantiam Angeli indistinctam à suo intellectu, & hoc est extremum simplex. Instantia facta ponit pro extremo complexum reale ex substantia, & intellectu, quem supponit distinctum: quare instantia nihil convincit, bene tamen ratio Egidiana.

15. Quarta ratio B. Egid. est. Agens, quod potest in accidentia, immediatè fundata in substantia, potest illam substantiam destruere; sed anima rationalis, cum sit spiritalis, non potest se ipsam destruere; immò nec animæ materiales possunt destruere se ipsas; ergo nulla anima habet posse supra accidens, immediatè fundatum supra animam. At qui omnis anima habet posse supra suas actiones vitales, ut patet: ergo nulla actio vitalis immediatè fundatur in anima, sed mediatè. Sed si potentiæ identificantur cum anima, actiones, quæ immediatè recipiuntur in potentia, immediatè etiam recipiuntur in anima: ergo.

Hæc ratio sumitur per similitudinem ad formas inanimatas, quarum accidentia immediata sunt corruptibilia, & inde infertur corruptibilitas formæ, quod patet in igne, qui idè potest corrumpere substantiam

tiam ligni, quia potest destruere humiditatem, quæ fundatur in forma ligni. Sic etiam aqua potest destruere, & extinguere ignem, quia potest destruere siccitatem, & calorem, quæ sunt accidentia immediatè fundata in substantia ignis. Ergo accidentia immediatè fundata in anima non possunt esse ejus vitales operationes; alioquin anima, quæ habet potentiam supra suas operationes, haberet potentiam ad se ipsam destruendam, vel conservandam, quod patet, esse falsum: ergo restat, quòd ante operationes vitales sint alia accidentia immediatè fundata in anima, & permanentia, sicut anima; tales sunt potentie distinctæ ab anima, quæ sunt accidentia de genere qualitatis. Vide in N. Argentina replicas diversas contra has rationes, & ibi invenies etiam doctrinam pro illis defendendis.

§. IV

Expenduntur fundamenta contraria.

16. **R**ESTAT solvere fundamenta contrariæ sententiæ, posita num. 5. Ad auctoritatem P. N. August. in contrarium adductam, respondemus primò librum illum de spiritu, & anima non esse P. August. licet versetur inter ejus scripta, ut movent DD. Lovanienses. Sed data auctoritate, ut legitima respondemus, S. P. loqui de anima radicaliter sumpta, quæ est unica radix omnium potentiarum;

unde radicaliter eadem anima vegetat, sentit, & intelligit, quare est omnia radicaliter, sed non formaliter, nam potentie formales ad hos actus, sunt multæ, & distinctæ inter se, & ab anima, cujus sunt proprietates. Et quòd hæc sit mens Authoris illius auctoritatis inductæ, constat ex verbis immediatè positis post allegata, ubi sic habetur. *Ista tamen non differunt in substantia, quoniam omnia ista, una anima est.* Intellige radicaliter) proprietates quidè diversas, sed essentia una, quasi diceret, potentias esse diversas, ut sunt propriae animæ, ceterum ut in anima radicanter, sunt unica essentia.

Accedit auctoritas D. Thom. 1. p. q. 77. art. 1. ubi omnes auctoritates P. August. exponit ea expositione, quam dedimus. 2. Physic. q. 10. §. 6. ex qua convincitur plenè, P. Augustinum esse pro nostra sententia. Nec nobis licet aliter intelligere P. Augustinum, quàm juxta expositionem Doctoris verè Angelici, cui reliqui post ipsum debent caput submittere, & illi loquenti assurgere.

Ad auctoritatem S. Isidori eadem expositio adhibenda est, sicut, & S. Bernardo, qui expressè docet tract. de interiori domo cap. 7. distinctione potentiarum, nam postquam dixit, animam intelligere, velle, & recordari, subdit: *Non tamè tres anima, sed una anima, & tres vires: ergo potentie animæ formaliter sumptæ sūt tres vires realiter distinctæ; sed radicaliter sunt una anima.* In quo sensu

su, ut benè notat Aguirre, intelligenda veniunt verba illa Luca 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua.*

17. Ad 1. rationem positam num. 6. nego maj. quia ex dictis pro nostra sententia constat, repugnare animam, quæ operetur sine potentis realiter distinctis. Sed dato non repugnare, non sequitur, talem esse de facto, quia modus operandi animæ nostræ satis indicat, potentias esse distinctas. Quare major argumenti eadem facilitate negatur à nobis, ac asseritur ab arguente. Ad 1. confirm. concessa majori, nego minor. quæ non probatur. Ut enim voluntas concurrat volendo, non est necessarium, quòd ipsa cognoscat; sed sufficit, quòd anima radicans voluntatem, cognoscat objectum amandum, & volendum. Sic enim non fertur voluntas in incognitum, sed sequendo ductum intellectus, est potentia animæ, quæ per ipsam tendit amando objectum, quod cognoscit per intellectum.

Ad 1. conf. dic primò, quòd voluntas non concurrat volendo, ut quod, sed ut quo, quia intelligens, & volens, ut quod, est sola anima, vel compositum humanum, & totus homo, juxta illud *Actiones sunt suppositorum, ut quod.* Intellectus, & voluntas sunt virtus volendi, & amandi; quare sunt id, quo suppositum intelligit, & amat. At quia voluntas (& idem de intellectu) non solùm

est virtus, sed potentia ad amandū; idè potest dici volens, ut quod. Hoc dato neg. min. ad ejus prob. dic, quòd anima, & voluntas non sunt duo principia libera ex æquo, & inter se non subordinata; sed sunt duo principia inadæquata ejusdem suppositi, quæ constituunt unicum principium adæquatum, influens per eandem actionem, quæ immediatè oritur à voluntate, & mediatè ab anima: unde agunt ex vi ejusdem determinationis, qua anima se determinat, & simul determinat voluntatem. Determinatio ista voluntatis ab anima, non est contra libertatem voluntatis, quæ nata est sequi determinationem animæ: quam non respicit, ut alienam, & ab exteriori principio, sed ut propriam, & ab intrinseco.

Ad 3. conf. neg. min. Ad 1. prob. dic, potentias distingui per suos actus adæquatos, non autem per inadæquatos. Quare cum assensus, & dissensus sint actus inadæquati, non diversificant potentias, sed sunt ab eodem intellectu. Idem dicendum de amore, & odio, quæ sunt diversa specificè inter se, sed non relatè ad voluntatem, cujus sunt actus inadæquati. Ad 2. prob. dic, quòd voluntas, & intellectus tendunt in idem objectum materialiter, sed non formaliter; nam intellectus attingit omnia sub ratione veri, & hoc etià quando attingit bonum, ut bonum, quod proponit voluntati, nam illud bonum, ut bonum, attingit sub ratione veri. Ad 3. prob. min. pag.

rebit, dum sermo sit de anima rationali, & de ejus potentijs.

18. Ad 4. confirm. neg. min. quia licet anima sola sit principium vitale radicale, at ejus potentia sunt etiam principium vitale proximum, & immediatum. Ad urgentiam dic, quod homo est imago Dei, sed ut notat P. N. August. non est æquè perfecta, ac simplex, ut est Deus, sed imperfecta, & composita. Et argumentum instatur in sententia contraria identificante potentias cum anima, nam tunc in homine non esset imago Trinitatis, ut dicit tres Personas realiter distinctas, cum in ea sententia potentia non differant inter se. Ad 5. conf. neg. min. Ad prob. dic, quod anima est radicaliter convertiva supra se, & capax beatitudinis; potentia autem hoc habent formaliter, quatenus sunt instrumenta animæ, quæ est causa, & principium principale. Vnde tota perfectio intellectus, & voluntatis sumitur ab anima radicante tales potentias; & sic longè perfectiùs refidet in anima.

Ad ultimam conf. neg. antecedens. Ad probat. ejus dic, quod potentia nutritiva, licet convertat in substantiam aliti substantiam cibi, & quantitatem ejus; attamen nõ convertit quantitatem cibi, ut extendat magis membra substantiæ animalis. Hoc patet, quia membra illa continuò nutriuntur, non autem continuò crescunt, aut extenduntur: ergo danda est potentia augmentativa pro tali augmento, realiter distincta

à nutritiva. Sic etiam ad potentiam generativam non sufficit convertere superfluum alimenti; sed necessariù est, quod conferat illi superfluum virtute producendi simile: ergo admittenda est potentia generativa realiter distincta à nutritiva.

Ad aliam probat. dic, quod accidens ratione sui non potest producere substantiam, ut causa principalis, & ut quod, bene tamen ut causa instrumentalis, vel instrumentaria elevata à substantia generantis elevatione intransitiva, abundè explicata 2. Physic. q. 10.

19. Restat etiam expendere fundamenta tertiæ sententiæ posita num. 9. quatenus contendunt animam esse immediatè operativam. Ad 1. rationem neg. min. Ad ejus probationem nego etiam min. ad cuius probat. dist. maj. Principio adæquato permitto major. inadæquato subdist. si sit plenè extrinsecū concedo, si intrinsecum, & dimanans à principio principali nego. Voluntas non est principium adæquatum actus vitalis, nam hoc integratur ex principio proximo, quod est potentia, & ex radicali, quod est anima. Quare dum anima se movet per actum vitalem, procedentem immediatè à voluntate, non est per actum procedentem à principio adæquato, & adæquatè distincto. Est ergo voluntas principium inadæquatum in ratione principij; & potest dici principium adæquatum in ratione principij proximi. At quia hoc principium proximum dimanat

ab

ab anima, & convenit animæ ab intrinsecò dimanativè; idè per hoc principium bene se movet vitaliter. Contrarium accidit in aqua calida, quæ per se non calefacit, nec per accidens adhuc substantia aquæ efficit calefactionem, quia calor in aqua non est potentia ejus, à substantia aquæ dimanans, sed est plenè ab extrinsecò dimanativè, & solùm est in aqua sustentativè.

Ad 2. rationem positam num. 10. concessa major. neg. min. Ad probat. neg. maj. Concedo actus, & potentias vitales subordinari animæ, ut primo, & principali agenti libero, cui pro libito convenit uti suis potentijs, & eas determinare ad actus liberos, & vitales. At pro ista subordinatione potentiarum, & pro dominio animæ in potentias, & pro actuali determinatione potentiarum ab anima, non est necessarium, quod anima influat immediatè in operationem vitalem; nec est necessarium, quod anima aliquid operetur in voluntate; sufficit enim, quod anima influat per suam virtutem radicalè à nobis explicatam 2. Physic. q. 10. num. 5. & ratione subordinationis potentiarum animæ, influit anima per voluntatem intransitivè sine influxu, aut motione transitiva animæ in voluntatem. Exemplum de habitu relatè ad voluntatem nihil probat, tum quia habitus non datur ad simpliciter posse, sed ad faciliùs, & meliùs; potentia autem datur in anima ad simpliciter posse. Tum secundò, quia aliter subordi-

natur potentia animæ, ac habitus potentia. Illa enim est subordinatio innata, altera acquisita. Tum tandem, quia potentia determinat habitum, taliter ut possit operari sine habitus; anima autem nõ potest operari sine potentijs. Quod autem potentia influat immediatè, ut determinet habitum, non habet ex meritis determinationis, quæ solùm petit, potentiam agere, & agere cum habitu. Agit immediatè, quia potentia est principium immediatum: ergo cum anima sit solùm principium radicale, sufficit influere radicaliter, ut utatur influxu suæ potentia.

Ad 2. probationem min. principalis concedo, quod Deus influit immediatè in operationes causæ secundæ, quam non posset cohibere per suspensionem sui concursus immediati, nisi haberet immediatum influxum; Totum est verum, sed non ex meritis subordinationis creaturæ. Nam data pro nunc sententia Durandi negantis immediatum influxum Dei, & dato solo influxu mediato, adhuc Deus posset cohibere creaturam per subtractionem sui concursus mediati. Ergo anima potest cohibere suas potentias, quin influat immediatè in actus vitales, per hoc solùm, quod influat mediatè. Ad 3. prob. min. concedo totum, nam anima determinans potentias, aliquid agit; immò totum, quod agunt potentia, sed illud totum est in potentijs immediatè; ab anima mediatè.

20. Ad 1. conf. neg. maj. Ad prob. primam nego, quod anima non possit impedire existentiam suorum actuum saltem mediatè. Nec paritas potentia Dei ad impediendos nostros actus, quidquam probat, ut ex immediatè dictis patet. Et quia arguens petit, explicemus, quomodo anima potest impedire actus suarum potentiarum? Dicimus hoc non esse, suspendendo concursum immediatum, quia anima nullum talem habet in actus. Nec est causando, aut non causando aliquam conditionem, aut requisitum, &c. Sed unicè impedit potentias, ne operentur, aut impedit, quod operentur hoc, vel illud, suspendendo suum concursum, & influxum mediatum in actus vitales. Anima sic suspensa, cessat quæcumque potentia à sua operatione.

Ad 2. confirmat. neg. min.

quoad 2. p. nam modo, quo animam influit in existentiam operationis, determinat in talem existentiam; sed influit mediatè, & principaliter: ergo sic determinat. Nec contra hoc valent probationes. Nam concessio, quod anima non determinet mediatè eliciendo imperium, impulsus, qualitatem, aut motionem physicam voluntatis; concessio etiam, animam non determinare mediatè ad amorem, quia producit animam voluntatem; dicimus, quod hæc determinatio mediata animæ ad amorem consistit in eo, quod anima liberè se determinat ad actum amoris determinatione, quæ habetur per influxum radicalem animæ in amorem. Nec iste sufficeret ad secum trahendam voluntatem, nisi voluntas esset proprietas animæ, & potentia ab illa dimanans. Vide plura alia argumenta q. 10. lib. 2. Physic.

DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS

QUESTIO VIII.

Vnde sumatur specificatio potentiarum, & actuum?

§. I.

Notatis quibusdam, sententia referuntur:

1. **C**VM anima habeat plures potentias, quæ varijs, & diversis actibus exercentur, merito quaeritur de distinctivo potentiarum, & actuum. Nec est quaestio de distinctivo numerico, nam distinctio

numerica accidentium sumitur à distinctione numerica subjectorum, vel per ordinem ad diversa subjecta. Quaestio est de distinctione specifica potentiarum, quas constat, esse in anima plures, & diversas:

Item

Item cum etiam dentur in viventibus plures actus specie diversi, merito inquiritur principium formale intrinsecum, aut extrinsecum, unde sumatur distinctio specifica potentiarum, & actuum. Prima sententia negat potentias distingui per actus, & objecta. Pro hac referuntur Scotus, Venetus, & eidem subscribunt Scotista, quos refert Mastrius 2. de Anim. disp. 2. q. 4. Citatur etiam N. Toletanus hic q. 4. art. 2. Probatur 1. nam actus, & objecta sunt posteriora potentia, & illis nimis extrinseca: ergo potentia non possunt specificari per actus, & objecta. Secundò, nam constitutum, & distinctivum rei debet esse quid certum, & indivisibile; sed actus, & objecta, quæ pertinent ad eandem potentiam sunt innumeri, & diversi: ergo impossibile est, quod potentia sumat ab his unitatem, & distinctionem.

Tertiò specificativum est unum tantum: ergo specificativum potentia non est simul actus, & objectum: at nulla est ratio, cur sit potius specificativum potentia actus, quam objectum: ergo neutrum erit. Quartò si potentia distinguerentur per objecta, non esset major distinctio in potentia, quam in objectis, neque è contrario; sed hoc est falsum: ergo idem. Probatur min. voluntas, & intellectus realiter distinguuntur, & tamen eorum objecta, nempe verum, & bonum solum distinguuntur per rationem. Rursus. Albedo, & nigredo distin-

guuntur realiter; cum tamen potentia visiva in illas tendens, sit unica potentia. Quintò, si potentia distincta distinguuntur per objecta, omnes potentia, quæ idem habent objectum, erunt ejusdem speciei, v.g. visus equi, & hominis, intellectus hominis, & Angeli; sed hoc est falsum, quia diversæ essentia petunt diversas potentias: ergo &c.

Sextò, si potentia specificantur ab objectis, etiam actus specificantur ab eis; nam sicut potentia versantur circa objecta, ita & actus; sed sequela est falsa: ergo &c. Probatur min. si potentia, & actus specificantur ab eodem objecto, potentia, & actus erunt ejusdem speciei, quod est falsum apud omnes. Septimò, duæ potentia distincta versari possunt circa idem objectum: ergo non distinguuntur ex objecto. Patet consequentia. Et antecedens probatur, nam intellectus, & voluntas versantur circa idem bonum, hæc amando, ille cognoscendo. Virtus etiam percipit colorem, & phantasia illam imaginatur. Octavo, habitus distinguuntur specificè à potentia; sed distinguuntur inter se habitus per actus, & objecta: ergo potentia non distinguuntur per actus, & objecta. Probatur hæc consequentia. Nam duæ res, quæ differunt specie, non possunt habere idem specificativum, & distinctivum.

2. Ultra hæc fundamenta adducta à P. Suario in favorem hujus sententia, alia adducuntur à Mastrius, cum quo argues sic. Potentia ani

animæ sunt quid absolutum; sunt enim perfectiones animæ; sed absolutam nequit constitui per aliquid relativum: ergo potentiæ animæ non possunt specificari ab ordine ad actus, & objecta. Secundò omne ens. quod est principium alicujus operationis, idè est tale principium, quia est tale ens: ergo potentia, quæ est principium operandi jam supponitur intrinsecè specificata, & distincta ab alia, antequàm consideretur, ut ordinata ad operationem. Explicatur. Sol non distinguitur à planta, quia est principium diversarum operationum, sed quia habet in se talem formam, à qua possunt prodire tam diversæ operationes: ergo potentiæ non sumunt unitatè, & distinctionem specificam ab ordine ad suos actus; sed ab entitate sua precedente, & fundante talem ordinem. Tandem specificativum est idem, ac res specificata; sed actus, & objectum sunt realiter distincta à potentia: ergo idem.

Confirmatur ex nostro Toletano. Illud, quo remoto, non auferatur res, non est ratio constitutiva illius, sed remoto ordine ad actus, adhuc potentiæ remanent distinctæ; nam si Deus separaret ab intellectu ordinem ad intellectiõem, adhuc remaneret intellectus: ergo idem. Secundò, constitutum debet precedere constitutum, quia est ratio formalis illius; sed neque actus, qui est effectus potentiæ, neque ordo ad actum potest precedere potentiam, quia relatio ad illam sequitur: ergo

idem. Tertiò, actus distinguuntur per potentias; intellectio enim differt à volitione, quia illa elicitur ab intellectu, hæc à voluntate: ergo potentiæ non distinguuntur per actus. Patet consequentia, quia si mutuo specificarentur, daretur mutua causalitas in eodem genere causæ.

3. Contraria sententia docet, potentias relativè sumptas, hoc est, ut sunt principia operandi, essentialiter specificari per ordinem ad actus, & actus per ordinem ad objecta adæquata, & formalia. Ita D. Thom. sæpè, sed præcipuè 1. p. q. 77. art. 3. cum quo Thomistæ cõmuniter, & ex alijs Coimbric. Suarius, & quàm plures Societatis. Sic docet B. Ægid. 2. de Anim. text. 33. quodlib. 3. quæst. 12. & alibi; quem sequuntur omnes nostrî.

Probat hęc sententia. Potentiæ essentialiter ordinantur ad eliciendos actus, & attingenda objecta, tanquam in proprium finem: ergo per ordinem ad ea sumunt unitatem specificam, quod est ab eis specificari. Consequentia patet, quia unamquodque sumit suam unitatè per ordinem ad illud, ad quod essentialiter ordinatur, tanquam ad suum finem, & formam extrinsecam. Antecedens probatur: Potentiæ idè dæta sunt à natura, ut substantia per illas exercent suas operationes.

Et confirmatur. Potentiæ sunt quasi instrumenta animæ, naturaliter ordinata ad eliciendos actus, & attingenda objecta, ita ut pro di-

ver

versis actibus dæta sunt animæ diversæ potentiæ: ergo potentiæ animæ specificantur per actus; aut saltem differentiæ essentialis potentiærum cognoscuntur à posteriori per actus, & objecta. Patet consequentia, quia pro hoc statu non possumus cognoscere potentias, neque earum differentias essentialis à priori, sed tantum à posteriori.

Confirmatur iterum ex Arist. lib. 2. de Anim. text. 33. & 2. Ethicor. text. 16. ubi ait distinctionem formalem specificam actuum, desumendam esse ex objectis, potentiærum autem ex actibus, & objectis. Id, quod negari non potest. Idè enim visus distinguitur ab auditu, quia visus ordinatur ad videndos colores, auditus autem ad audiendum sonos. Item, actus sunt effectus potentiærum; sed ex effectu adæquate diverso benè colligitur diversitas causæ: ergo ex diversitate actuum optimè desumitur diversitas potentiærum,

Tandem in artificialibus instrumenta distinguuntur ex diversis actionibus, ad quas destinantur; ut patet in lima, ferra, & malleo; sed potentiæ sunt instrumenta naturæ: ergo ex actibus specificandæ, & distinguendæ sunt. Quod etiam à simili confirmatur in causa materiali, & formali. Nam potentia passiva materiæ sumit suam unitatem formalem ab actu, quem respicit immediate, ut materia sublunaris, quæ à Thomistis ponitur distincta à cœlesti, quoniam cœlestis respicit pro

actu adæquato formam cœlestem, sublunaris sublunarem. In nostra autem, & aliorum sententia sunt eisdem speciei ambæ materiæ, quia respiciunt omnes formas substantiales sub ratione communi formæ, ut actum sibi adæquatum. Nostra tamè, & Thomistica sententia, in eodem principio, nempe, quòd potentiæ materiæ specificantur ab actu adæquato, quem respicit. Similiter in causa formali. Potentia enim informativa animæ rationalis specificatur per ordinem ad corpus humanum organicum: ergo universaliter de omni potentia verum est specificari ab actu suo adæquato.

4. Hinc Suarius benè notat, non esse controversiam ferè de hoc, sed de modo, quo potentiæ animæ specificantur per actus, & objecta, in quo est aliquale discrimen, sed quod facilè potest adduci in concordia. Quidam docent, potentias distinguere per actus à posteriori tantum, tanquàm per effectus, ita Philoponus, quem sequitur noster Venetus, Appollinaris, Iandunus, & Thienensis. Alij volunt distinguere potentias per actus à priori, ut per causam extrinsecam, & non specificantem. Ita Hærvæus quodlib. 1. quæst. 12. alij tenent, distinguere potentias per actus intrinsecè, & essentialiter; non quòd ipsi actus, & objecta sint differentia intrinsecè constituentes potentias, sed quòd in coactatione ad actus, & objecta consistat intrinseca differentia specifica, distinguens potentias. Hęc putatur sententia D. Thom.

Thomę 1. p. q. 77. art. 7. quem sequuntur Cayetan. Nymphus, & alij. Item Ferrara 4. contra Gent. cap. 24.

§. II.

Nostri sententia proponitur, & probatur.

5. **N**OSTRA sententia distinguit in potentijs animę duos conceptus repositos in entitate potentiarum, quę est de secunda specie qualitatis. Nam nulla est entitas, aut forma substantialis, vel accidentalis, quę purę faciat ad operari; licet sit forma purę faciens ad esse, ut patet in albedine, & alijs coloribus, item in quantitate, forma, & figurā, quę omnes sunt formę perficiētes subiectum in ordine ad esse; quare datae sunt à natura pro unico effectu formali perficiēdi subiectum, quoad esse. Forma omnis operativa, & quę ordinatur ad operari, nulla est, quę purę faciat ad operari, & non faciat simul ad esse. Quod patet primò inductione; nam nulla est assignabilis forma deserviens ad operari, quę primò, & prius non informet subiectum, illud qualificās, & dans illi suum esse formale, ut patet in potentijs tam materialibus, quàm formalibus, quę informant animam, dantes illi suum effectum formalem, quo anima constituitur actuata in ordine ad se, & potens in ordine ad operationem illius potentie. Secundò à ratione. Nam nul-

la est forma, quę prius non perficiat subiectum in ordine ad se, quàm perficiat in ordine ad extra. Calor prius reddit substantiam ignis in se calidam, quàm potentem ad extra calefacere. Frigiditas prius reddit aquam in se frigidam, quàm potentem ad extra infrigidare. Quam doctrinam latè prosecuti sumus lib. 2. Physic. q. 20. §. 3. num. 12. Et sumitur ex B. Ægid. Theorem. 6. de Sacramento Altaris.

Nec latuit hæc doctrina eximium Suarezium, qui lib. 2. de Anim. cap. 2. notat, quod potentie animę non sunt entitas omnino absoluta, nec omnino respectiva, sed in genere rerum medium tenent locum, ita ut sint entitas absoluta simul, & respectiva. Quod in nostris principijs facile explicatur. Nam potentia generativa, v.g. est entitas, quę perficit subiectum vivens illud qualificans, & ornans: sub quo conceptu est entitas absoluta. Rursus, illa potentia ordinatur ad operari, nempe ad producendum simile generanti, & sub hoc conceptu est entitas respectiva. Et cum omnis potentia animę faciat ad esse subiecti, & etiam ad operari; sub primo conceptu, & munere est entitas absoluta, sub altero est respectiva. Hoc totum confirmatur ex P. N. August. lib. de decem Cathgor. cap. 11. ubi ait: *Quoties enim scientia cujuslibet rei, quę sit scibilis, & scientia dicitur, & sensus rei ejus, quę sit sensibilis, sensus dicitur; tunc ad aliquid debemus accipere: at cum scientia, aut disciplin-*

plian

plina non rei cujuslibet, sed hominis dicitur, qualitatem debemus agnoscere.

Hic S. P. eodem modo loquitur de sensu, & potentia sensitiva, in ordine ad sensibile, ac de scientia in ordine ad scibile; sed scientie dat duas considerationes, unam respectivam relatè ad objectum; & eam vocat ad *aliquid*, id est relativum; alteram relatè ad subiectum, nempe hominem, qui scientia perficitur, & hoc modo scientia non est relativa, sed qualitas absoluta: ergo sensus, aut potentia animę sensitiva, relatè ad animam, quàm perficit, est qualitas absoluta; relatè autem ad objectum sensibile, & actualem sensationem, est quid relativum.

6. His notatis, nostra sententia exponenda est duplici assertione. Prima est, *Quod potentie animę, ut sunt qualitates perficiētes subiectum, & faciunt ad esse, non specificantur ab actibus, nec ab objectis, sed sumunt suam unitatem specificam, & specificam distinct. on. à propria entitate sua.* Secunda assertio nostra est, *Quod potentie animę, ut faciunt ad operari, & sunt quid relativum, specificantur extrinsecè ab actibus, & objectis; intrinsecè autem ab ordine, quem dicunt ad actus, & objecta.* Utraque assertio est de mente P. N. August. loco laudato, & B. Ægid. necnon D. Thomę locis datis 2. Physic. q. 20. §. 3. nam est sequela doctrine, ibi datae de mente triplicis Doct. nostri.

Probatur prima assertio. Ex P. August. sic. Potentie animę, & ejus sensus, ut sunt qualitates perficien-

tes subiectum, sunt entitas absoluta, ut est prædicamentum qualitatis. Sic innuit P. August. verbis datis, ubi contraponit qualitatem relationi; sed entitas absoluta non potest specificari ab aliquo relativo, sed ab aliquo absoluto: ergo potentie animę, ut qualitates sunt, &c. Probatur min. specificativum intrinsecum est constitutivum intrinsecum; nam specificativum est distinctivum distinctivum autem intrinsecum est intrinsecum constitutivum, ut patet in rationalitate respectu hominis; sed nulla entitas absoluta potest intrinsecè constitui per aliquid relativum; alioquin vel constitutivum intrinsecum distingueretur à constituto, vel entitas absoluta, non esset entitas absoluta, sed relativa, quod utrumque implicat: ergo.

Confirmatur ex ratione, qua Scotus in 2. Sentent. dist. 1. quæst. 6. utitur ad negandum, quod potentie specificentur per actus, quæ ratio, licet non convincat de potentia ut operativa, plenè probat de potentia, ut est qualitas perficiens subiectum. Argue sic. Prius est, quod potentia sit entitas, & determinata qualitas, quàm quod sit operativa, & principium alicujus operationis; patet hoc, nam idè talis qualitas est principium talis operationis, quia est tale ens. Tum etiam, quia *Operari sequitur ad esse*: & taliter operari sequitur ad tale esse: ergo antequam concipiamus potentiam animę determinatam ad talem operationem, jam supponitur entitas

P,

talis

talis potentia in determinata specie entis. Sed si supponitur ita in determinata specie entis, jam supponitur cum sua unitate formali specifica, & distinctione specifica à quocumque alio: ergo potentia animæ, ut qualitas est, perficiens subjectum, & faciens ad esse, non specificatur ab operatione; nec ab objecto.

Confirmatur. Potentia animæ, ut qualitas est perficiens subjectum, se habet, sicut qualitates, quæ faciunt ad esse; sed qualitates, quæ faciunt ad esse, non specificantur per ordinem ad aliquid extrinsecum, sed sumunt suam unitatem specificam à propria entitate, & numerica à subjecto, quod informant, & perficiunt: ergo potentia animæ, &c. Probatur min. In quantitate, albedine, & alijs formis accidentalibus, necnon in formis substantialibus, ut constituunt essentiam compositi, albedo enim per suam entitatem est in determinata specie coloris, & qualitatis visibilis, individuatur tamen à subjecto, cui inhæret. Anima etiam rationalis, ut dat esse humanum, habet à se ipsa unitatem specificam, & specificè differt per se ipsam ab anima leonis, equi, &c. individuatur tamen, & sumit unitatem numericam ab unitate corporis, quod informat. Nec contra hanc doctrinam obstat, quod anima rationalis, aut equina diffinitur per ordinem ad suas operationes. Nam tales formæ sic diffiniuntur sub munere operativo, nobis magis noto; non autem diffinuntur

sub munere formæ, facientis ad esse, nam differentia formarum sub isto munere faciendi ad esse, sunt nobis ignotæ. Ceterum certissimè datur, sicut certissimum est, quod conceptus naturæ dicens ordinem ad operationem, supponit conceptum essentia dicentem ordinem ad esse.

7. Secunda assertio, & præcipua præsentis questionis probatur ex P.N. August. laudato. Nam potentia animæ, & sensus, ut faciunt ad operari, respiciunt sensibile, & sunt quid relativum; sed omne relativum specificatur à termino: ergo potentia animæ, ut faciunt ad operari, specificantur ab actu, & ab objecto, quæ sunt terminus medius, & immediatus potentia, ut respectiva; nam potentia, ut operativa respicit suum actum, & medio actu respicit objectum.

Probatur à ratione, & simul explicatur assertio nostra. Potentia animæ eo modo specificatur ab actu & objecto, quo ab eis constituitur una in specie, distincta à reliquis potentijs; sed actus, & objectum, non sunt constitutum intrinsecum potentia in determinata specie, sed solum extrinsecum: ergo potentia animæ solum extrinsecè specificatur ab actu, & mediata ab objecto. Min. patet, nam constitutum intrinsecum non distinguitur à constituto; actus autem, & objectum realiter distinguuntur à potentia.

Hinc sequitur, quod specificativum intrinsecum potentia est ordo potentia ad actum immediatè, & media

& mediata ad objectum. Probatur. Nam ordo ille est indistinctus à potentia operativa, quare est ordo transcendentalis, & impræscindibilis à potentia, ut operativa, cum potentia sub munere operandi non possit cognosci, aut diffiniri, nisi per talem ordinem; sed specificativum, & distinctivum intrinsecum, est indistinctum à constituto, & specificato, ut dictum est: ergo specificativum intrinsecum potentia, ut operativa, est ordo potentia, &c. Ex hoc patet, quod potentia sub munere operandi est entitas relativa saltem transcendentaliter, ut ex P. August. dictum est.

8. Hic plura erant exponenda, nisi alibi à nobis discussa fuissent, quare loca designabimus pro complemento doctrinae hujus questionis. Quæres 1. de quo objecto procedit assertio? Respondemus, procedere de objecto adæquato, & de objecto formali. Primum patet, nam circa diversa objecta inadæquata, potest versari eadem potentia: ergo quia distinctio non sumitur ab objecto inadæquato, sed ab adæquato. Antecedens patet in potentia visiva, quæ eadem specificè potest attingere colores diversæ speciei; hoc idè, quia tales colores seorsim sunt objectum inadæquatum, & ratio colorati est objectum adæquatum potentia visivæ.

Secundum patet. Nam ab objecto materiali non potest sumi unitas formalis potentia; sed hæc unitas formalis potentia sumitur ab objecto

specificativo: ergo quia nulla potentia specificatur ab objecto materiali, sed ab objecto formali. Et urgetur, nam potentia est formaliter una ab unitate formali objecti: ergo solum specificatur ab objecto formali, ubi est unitas formalis, non à materiali, non habente, nec potente dare unitatem formalem.

Quæres tandem. An potentia specificetur ab objecto formali quod, an verò ab objecto formali quo? Hoc quaesitum latè disputatum est à nobis lib. 1. Logica q. 6. ubi actum est de unitate specifica Logica. Quo ad specificationem eadem est difficultas de potentijs operativis, ac de scientijs, quæ specificantur ab objecto; sed loco citato ostensum est, præsertim toto §. 1. Logicam, & alias scientias non specificari ab objecto quo, sed ab objecto formali quod: ergo in præsentia dicendum est, potentias animæ specificari ab objecto formali quod, non autem ab objecto quo.

Et confirmatur. Nam licet tres gradus vitæ distinguantur penes diversas abstractiones à materia, ut diximus hic q. 3. at potentia vitales non distinguuntur penes abstractionem à materia, quæ est ratio sub qua operandi vitaliter, & objectum formale quo: ergo distinctio potentiarum sumitur ab objecto formali quod, vocatum ratio quo. Antecedens patet, nam quinque sensus externi in homine sunt quinque potentia specificè distinctæ, quæ conveniant in operando sub eadem ab-

stractione à materia, quæ constituit secundum gradum vitæ sensitivæ. Rursus, Memoria, intellectus, & voluntas sunt potentiæ rationales specie distinctæ, quæ operantur sub eadem perfectissima abstractione à materia; sed potentiæ non possunt distingui per id, in quo conveniunt: ergo non distinguuntur per objectum formale quo, aut per rationem sub qua, sed distinguuntur, & specificantur ab objecto formali quod. Vide quæst. citat. necnon q. 8. lib. 1. Logic. ubi actum est de varijs acceptionibus objecti formalis, & materialis.

9. Circa actus inquirens, à quo actu specificantur potentiæ? Respondetur, non specificari ab actibus inadæquatis, sed ab unico actu adæquato. Ratio primi est, quia eadem potentia potest habere diversos actus inadæquatos: ut intellectus assensum, & dissensum, voluntas amorem, & odium: ergo potentiæ non sumunt suam unitatem ab actibus inadæquatis, sed ab actu adæquato. Sed observa, quod nullus actus datur in re, qui sit adæquatus. Ratio est: nã actus adæquatus est ille, qui taliter adæquat potentiam, ut extra illum nihil possit potentia efficere; sed nullus datur actus, ultra quem non possit potentia alios elicere, ut patet in potentia visiva, quæ potest multas visiones elicere: ergo sicut nulla visio adæquat potentiam, sic nullus actus in re est actus adæquatus potentiæ.

Ob id P. Hartado, & Nominales negantes universalia in rebus

docent, scientias specificari à collectione objectorum particularium, & potentias specificari ab actibus particularibus, vel collectione actuum. Moventur, quia specificativum potentiarum, & habituum dans unitatem realem specificam scientijs, & potentijs, debet esse existens à parte rei; sed à parte rei non datur objectum formale adæquatum, quod sit unum, sed plura partialia, & inadæquata; item non datur à parte rei unicus actus adæquatus, sed multi inadæquati: ergo nulla scientia, aut potentia specificatur ab actu adæquato, aut formali objecto adæquato, quod sit aliqua ratio communis.

His DD. satisfacimus in Logica loco citato, & lib. 3. Logica agentes de universali in rebus existente. Ex ibi dictis, asserimus nunc, quod potentia, quæ specificatur ab actu adæquato, specificatur ab illa ratione communi, in qua conveniunt omnes actus potentiæ, sit exemplum in potentia visiva, cujus actus omnes conveniunt in ratione communi actus vitalis, perceptivi coloris. Hæc ratio communis adæquatur potentiæ, quia nullum actum potest visus elicere, qui non sit perceptivus coloris: ergo ratio illa, est actus adæquatus potentiæ visivæ. Hæc ratio verè existit à parte rei, non separata à singularibus, sed in eis in-

clusa, & ab illa sic inclusa in singularibus, specificatur potentia visiva.

Expenduntur fundamenta contrariis.

10. SI bene notes fundamenta aliarum sententiarum, omnia confirmant sententiam nostram, nam quæ posita sunt pro prima sententia, confirmant primam assertionem nostram, sicut rationes secundæ sententiæ sunt etiam pro secundo asserto nostro. Ad rationes positas num. 1. respondemus, quod actus, & objecta sunt posteriora potentijs, sumptis sub munere qualitatis, sed non sub munere operativo, nam sic potentia, & actus sunt correlativa, quæ mutuo se ponunt, & perimunt, ut docet P. Aug. loco laudato in hac quæstione. Ibi in fine capituli. 11. arguit contra se, ostendens, quod sensus est posterior, ac sensibile; nam sensus non datur, nisi in corpore mixto; sed ante mixtum fuerunt elementa, quæ sunt objectum sensibile: ergo objectum sensibile existit ante sensum; & sic nec sunt correlativa, nec sensibile est specificativum sensus. Respondet S. P. negando, quod sensibile præcessit sensum, aut scibile scientiam. Sic negamus, quod actus, & objecta sint posteriora potentijs, quia licet potentia sumpta relatè ad subjectum sit prior suis actibus; secus, ut operativa, & correlativa sui actus, sed cum distributione accommodata; itaut pro omni signo, quo potentia est potens agere, actus est potens fieri à potentia; & pro signo,

quo potentia est actu operans, actus ejus est exercitè existens. Fatemur, actus esse extrinsecos potentijs, & magis objecta; ceterum inde à nobis probatum est, potentiam intrinsecè specificari ab ordine ad actum, & objectum; extrinsecè verò ab actibus, & objectis.

Ad secundam conf. maj. dic, quod specificativum potentiæ non est objectum particulare, nec actus particularis, sed ratio communis actus, & ratio adæquata objecti, quæ est unica, & indivisibilis in omnibus objectis, & actibus partialibus. Ad 3. dic, quod actus, & objectum non què immediatè specificant potentiam, sed actus immediatè, & mediatè objectum, effect tamèn inconveniens, quod utrumque specificaret immediatè. Ad 4. conc. maj. Ad 1. prob. min. dic, voluntatem, & intellectum realiter differre, etiam si verum, & bonum solum differant per rationem; ratio est, quia pro distinctione reali specifica potentiarum sufficit distinctio formalis objectorum, ut docet D. Thom. 1. p. q. 77. art. 3. ad 3. sed verum, & bonum distinguuntur formaliter, etiam si non distinguantur realiter entitativè, & sunt verè rationes formales virtualiter diversæ: ergo sufficiunt specificare potentias realiter distinctas. Ad illud de albedine, & nigredine dic, esse distinctas, realiter adæquatè inter se, sed non relatè ad potentiã visivam, quæ respicit illas, ut duo objecta partialia inadæquata.

Ad 5. dic, potentiam visivam hominis, & equi non esse ejusdem speciei, quia licet videantur, habere idem objectum formale, nempe lucidum coloratum, revera in ratione objecti est formaliter diversum, quia aliter comparatur, & est attingibile ab oculo humano, ac ab oculo equino. Vide dicta hic quæst. 7. n. 3. ex P.N. August. ubi humanos sensus comparat cum sensibus brutorum, & brutis concedit excessum in sensationibus. In presenti alieitas objecti visibilis relatè ad hominem, & equum, licet sit ignota, colligitur ex alio exemplo inducto ab argente, nempe intellectus hominis, & Angeli, qui distinguuntur specificè, sicut naturæ, quarum sunt intellectus, etiam si tendere videantur in idè verum. Nam verum est objectum intellectus humani, ut cognoscibile per discursum; est autem objectum intellectus Angelici, ut cognoscibile sine discursu. Vide D. Thom. 1. p. q. 79. art. 8. ad 1.

Ad 6. aliqui respondent, actum, & potentiam esse ejusdem speciei; sed dicendum est differre specificè, quia licet attingant idem objectum materialiter, non tamen formaliter. Ratio est, quia potentia universaliori modo attingit objectum, & fertur in objectum universale; actus autem attingit objectum particulare, & modo magis contracto. Rursus. Actus immediatè attingit objectum, & ab eo specificatur; potentia autem non nisi mediante actu. Tandem potentia fertur in ob-

jectum adequatum, & totale; actus autem fertur in objectum parziale, quod sic vocatur relatè ad potentiã, cujus est actus, licet sit objectum adequatum respectu actus. Ad 7. patet ex dictis. Ad 8. dic, habitus, & potentias, licet conveniant in specificati per actus, & objecta; differre inter se, quia habitus est determinatio potentie. Unde sicut de actu, & potentia respicientibus idem objectum, dictum est differre in specie, quia actus, contractiori modo tendit in objectum, ac potentia: idem dic de habitu limitato, & limitante, aut determinante potentiam.

Ad fundamenta posita n. 2. dic, potentiam animæ, ut facit ad esse, esse quid absolutum; sed non ut facit ad operari, ut probatum est, quare sic constituitur per relativum. Ad 2. dic, illud esse pro nobis cum sua explicatione; nam probat primam assertionem nostram, nec impugnat secundam. Ad 3. dic, objectum esse specificativum extrinsecum, non intrinsecum; solum autem specificativum intrinsecum identificatur cum specificato.

Ad conf. ex nostro Teletano dic, quod remoto ordine potentiarum ad actus, adhuc potentie remanent distinctæ sub ratione qualitatis, & ut faciunt ad esse; secus ut faciunt ad operari. In hac doctrinâ fundatur N. Argent. pro sententia, quam etiam defendunt alij, docentes, manere in beatis, habitus fidei, & spei. Nam licet actus harum virtutum pugnent cum visione beatæ,

di-

dicunt tamen manere virtutes sine ullo ordine ad suos actus, quia non manent sub munere operandi, sed sub munere qualitatis supernaturalis, facientis ad esse, & ornantis animam beatam. Sic dic in presenti, & eo argumento confirmabis utramque assertionem nostram. Ad 2. patet ex dictis. Constitutum non debet præcedere constitutum, sed esse pro omni signo, quo est constitutum; & licet causa, quæ non est simul constitutiva, debeat præcedere suum effectum, secus, quæ simul est constitutiva. Talis est ordo potentie ad actum, & objectum. Ad ultimum dic, actus distingui per potentias efficienter, & causaliter, non autem formaliter, nisi per ordinem ad objectum.

Fundamenta communis sententia posita num. 3. probant secundam assertionem nostram, quare ple-

nè sunt pro nobis. Nec impugnant primam assertionem, nisi quatenus possunt contendere, quod potentie datæ sunt à natura tantum propter operationem. Hoc non est verum, quia nulla forma est in rerum natura, quæ purè faciat ad operari, ut num. 5. probatum est: ergo nulla forma data est à natura propter puram operationem. Patet consequentia. Quia aliàs, si omnis forma facit ad esse, & ad operari, & natura solum intendit formam propter operari: ergo quod forma omnis faciat ad esse, est præter intentionem naturæ. Hoc dici non potest de natura providissima, cui nihil est casuale, & præter intentionem: ergo nulla est forma data à

natura unicè propter operationem.

nem.

*



LIBER SECUNDUS

DE ANIMA VEGETATIVA, ET SENSITIVA.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit anima vegetativa, & quot potentia illius?

§. I.

Diffinitur anima vegetativa, ejusque potentia, & actus exponuntur.

ACTVM est de anima in communi, quam diximus tripartiti in vegetativam, sensitivam, & intellectivam. Promissimus insuper initio libri primi tractare hoc lib. 2. de Anima vegetativa, & sensitiva in particulari: & licet de utraque anima secundum ea, in quibus conveniunt, nihil oporteat addere jam dictis de anima in communi, loca citabimus, ut quæ dicenda sunt de animabus in particulari, confirmantur ex jam comprobatis.

Anima vegetativa diffinitio potest sic: *Est actus primus corporis physici organici, habentis vitam vegetativam in potentia. Vel sic: Est primum principium vegetandi, vel cum P.N. August. lib. 3. de Civit. Dei cap. 6. potest sic describi. Est vita nutriendi, augmentans, aut generans.* N. Gavaridi in præsentia quæstione 3. art. 1. aliam ex Philosopho dat diffinitionem animæ vegetativæ, & sumitur ex B. Ægidio lib. 2. de Anim. text. 42. Sed cum duæ primæ diffinitio-

nes sumantur ex diffinitionibus animæ in communi, jam explicatis lib. 1. idè sine nova explicatione habetur cognitio animæ vegetativæ per hoc solum, quod explicentur potentia principales deservientes vitæ vegetativæ, quas continet diffinitio Augustiniana.

Potentia, & actus vitæ vegetativæ, deserviant nutritioni, augmento, & generationi viventis; quare in omni vegetabili reperitur triplex potentia, nempe nutritiva, augmentativa, & generativa. Hujus divisionis ratio traditur à D. Thoma, & B. Ægidio, probaturque ab omnibus Philosophis, sic. Vivens connatur, quantum potest suam perfectionem, & conservationem sui esse; sed ad hoc deservit potentia nutritiva, augmentativa, & generativa: ergo in vivente vegetativo datur hæc triplex potentia. Prob. min. Perfectio viventis est crescere usque ad debitum statum; hoc habetur per potentiam augmentativam, quæ operatur ut

QUÆST. I. §. I.

que dum vivens acquirit debitam magnitudinem. Vivens insuper, cum sit defectibile per continuam actionem caloris, consumentis humidum radicale, sine quo non conservatur vita vegetativa, debet procurare restorationem humidi, & substantiæ deperditæ: hoc fit per potentiam nutritivam, quæ convertit substantiam alimenti in substantiam aliti. Tandem cum individuum vegetabile non possit perpetuo durare, contendit conservare suum esse specificum in alijs individuis ejusdem naturæ: pro hoc effectu datur potentia generativa. Ergo cum natura dederit cuilibet viventi naturalem inclinationem, tum ad acquirendam staturam, & quantitatem sibi debitam, tum ad conservandam individuum substantiam in se, vel specie; ne dicamus, naturam defecisse in necessarijs, concedendum est, naturam dedisse omni viventi vegetabili potentiam nutritivam, augmentativam, & generativam.

Ultra rationem id confirmat experientia, adhuc in plantis, & pure vegetabilibus, in quibus non ita patent numeratæ potentia. Nihilominus videmus, quod arbor nutritur, trahendo alimentum; crescit sese diffundendo in novos ramos; ac tandem generat sibi similem, producendo semina, è quibus aliæ arbores nasci possint. Observandum tamen, non omnia viventia esse prædita facultate generativa: sunt enim plura, quæ non generant, sed dicuntur fieri ex putri; hæc virtute siderum pro-

pagantur, supplente causa universalis, defectum causæ particularis. At aliqui sunt suspicantes talia habere etiam aliquam virtutem seminalem. Nec leviter id colligitur ex muribus, & alijs, quæ aliquando fiunt ex putri, aliquando per generationem unius ab alio.

2. Hic quæri poterat, an istæ potentia distinguantur realiter inter se, & ab anima? Sed quantum ad distinctionem potentiarum ab anima, constat ex dictis lib. 1. q. 7. Quantum autem ad distinctionem potentiarum inter se, dubium procedit de nutritiva, & augmentativa. Nam prima sententia affirmat, esse distinctas. Sic communiter Thomistæ. Videtur mens Aristot. lib. 2. de Anim. Et accedit ratio, nam potentia nutritiva durat pro tota vita; secus potentia augmentativa, quæ cessat operari statim ac vivens accedit ad suum debitum statum, ultra quem non debet crescere. Secundò colligitur distinctio ex fine, nam finis nutritionis est conservare individuum; finis autem augmentativæ est individuum augere. Rursum ex termino, & objecto. Nam nutritiva respicit substantiam; augmentativa respicit formaliter quantitatem: ergo ex fine, ex termino, & ex separatione, colligitur potentias esse diversas.

Contrariam sententiam docet Eximius Suarius 2. de Anim. cap. 9. Et probatur ex Aristot. 1. de Gener. text. 41. ubi ait: *Differunt nutrimentum, & augmentatio ratione.* Et mox *Nutrimētum, & augmentatio idem est.*

est, Accedit D. Thom. 1. p. q. 119. art. 1. ad 4. ubi potentia nutritiva tribuit opus augmentationis.

Ratione probatur eadem virtus in quantum est ita fortis, ut possit plus novae substantiae acquirere, quam deperdat vivens, est virtus augmentativa. In quantum precise restaurat partes amissas, est nutritiva; sed virtus, quae solum differt ab altera penes majorem, aut minorem vigorem, non differt specie, ut patet, quia majus, & minus non variant speciem: ergo tales potentiae non sunt realiter distinctae.

3. Dicendum, utrumque esse probabile, & aliquomodo credendum est, hos effectus viventis vegetabilis fieri de facto per unicam potentiam, quae varia obtinet munera nutriendi, & augmentandi, & secundum ea distincta sortitur nomina. Nam frustra fiunt per plura, quae fieri possunt per pauciora; natura autem nihil facit frustra. Nihilominus, quia communior sententia distinguit illas potentias realiter, ideo illi subscribimus, & objecta in contrarium facile dissolvimus. Ad auctoritatem Philosophi dicimus, nutrimentum, & augmentationem solum differre ratione eo tempore, quo vivens crescit; nam per augmentationem non solum crescit vivens, sed etiam nutritur. Augmentatio non solum restaurat substantiam deperditam, sed etiam addit majorem; quare se habet ad nutritionem, sicut numerus quaternarius ad quaternarium. Et sicut in numero quinario continetur qua-

ternarius cum nova unitate; ita in augmentatione continetur nutritio cum additione majoris substantiae. At quia pro tempore, quo vivens non crescit, nutritur tantum, non potest deservire potentia augmentativa, tunc operatur sola nutritiva, & inde colligitur, esse distinctam, & separabilem ab augmentativa.

Ad rationem in contrarium, neg. assumpt. Non enim vis augmentativa, & vis nutritiva differunt precise penes majorem, aut minorem vigorem. Quod patet, nam etiam si natus vigor caloris perseveret post perfectum augmentum viventis, augmentativa non se exercet, nec amplius crescit vivens, sed pure nutritur. Habent enim viventia terminum intrinsicum suae magnitudinis, quem naturaliter non transcendunt: ergo quando vivens jam pervenit ad perfectum statum, nec amplius crescit, tunc cessat augmentativa; sed non cessat defectu vigoris, nam supponimus, & revera accidit aliquando, quod virtus perseveret post augmentum cum aequali vigore: ergo quia nutritiva per totam vitam durans, non differt ab augmentativa cessante, penes majorem, aut minorem vigorem, sed penes suas entitates.

4. Quaerens, an istae potentiae distinguantur a calore naturali? Affirmat Aristot. 2. de Generat. cap. 4. ubi ait: *Quemadmodum quae ab arte efficiuntur, per instrumenta efficiuntur: sic a facultate, seu virtute animae vegetabilis agitur, ut quae in animalibus, & plantis postea ex alimen-*

to vis eadem efficit instrumentum, utendo caliditate, & frigiditate, quas in instrumento, &c. Idem asserit D. Thom. 1. p. q. 78. art. 2. ad 1.

Et probatur, nam tales facultates sunt proprietates animae vegetativae; sed proprietates animae vegetativae, quae nobilior est formis elementaribus, debent esse distinctae, & nobiliores qualitatibus elementorum: ergo realiter differunt potentiae animae vegetativae a calore naturali, qui est qualitas elementaris. Secundum. Potentiae vegetativae variae praestant, quae excedunt vires caloris naturalis; producant enim tantam membrorum varietatem, v.g. oculos, cerebrum, cor, &c. item operantur admodum mirabili artificio, ut certe non possit pertingere ad illud calor naturalis.

Tertio videmus lapides preciosos, & alia mixta minus nobilia, quam sint viventia, suas habere virtutes, & qualitates distinctas, & praestantiores qualitatibus elementaribus, ut notat D. Thom. opusc. 34. ergo nec debent negari animae vegetativae virtutes distinctae ab elementaribus, & eis altiores. Quarto quaedam viventia magna pollent virtute vegetativa, qua crescunt nutriuntur, & generant efficacissime; & tamen in eis calor est languidus, & frigiditas praedominatur, ut videtur in arboribus, piscibus, & alijs ad frigiditatem declinantibus: ergo quia in eis, & omnibus potentiae vegetativae differunt a calore naturali.

§. II.

De potentia nutritiva.

5. DE potentia nutritiva quatuor explicanda veniunt, quid sit? An sit motus continuus? An duret tota vita? An solis viventibus competat, & quomodo?

Circa primum dicimus, quod potentia nutritiva est facultas convertendi alimentum in substantiam nutriti. Nutritio autem, quae est actio talis potentiae; est conversio alimenti in substantiam aliti. Vtraque definitio est clara, & experientia oculari comprobatur. Nam videmus corpora bene nutrita, fieri vegetiora, & corpulentiora; si tamen subtrahatur alimentum, extenuantur, & paulatim pereunt.

Accedit ratio. Cum enim calor naturalis continuo consumat partes humidiores, sicut flamma lampadis oleum; nisi subrogarentur novae, vivens desiccaretur, ut contingit in famelicis, & aegrotantibus, non sumentibus debitum alimentum: ergo necesse est quod partes alimenti transeant in partes viventis, ut sic succedendo partibus abeuntibus, non sinant vivens extenuari, sed illud in suo statu conservent.

6. Magister Sententiarum in 2. dist. 30. tenuit, nihil alimenti per nutritivam transire in substantiam hominis, sed quidquid pertinet ad veritatem humanae naturae, totum fuisse in Adamo, a quo fuit deriva-

tum in totum genus humanum, ac in singulos homines distributum minutatim longa generationum translatione. Aliter autem, alimentum requirit, & prodesse tantum, ad nutriendum, & fovendum calorem naturalem. Contendit ibi, hanc fuisse sententiam P. N. August. sed immerito, quia contrarium docet infinitis locis.

Lib. 1. de Agone Christi cap. 2. dicit M. P. August. *Quod manducamus, in nostrum corpus convertimus, ut cibis ipse secundum corpus efficiatur, quod nos sumus.* Idem asserit, & quidem pulchrè lib. de Vera Relig. cap. 4. & Psalm. 30. & lib. 7. de Genes. ad lit. cap. 16. de ferm. 120. de diversis cap. 11. & lib. de Moribus Manichæor. cap. 16. & lib. 2. de ferm. Dñi. in monte cap. 10. & 2. de Anim. cap. 5. & lib. 4. de Anim. cap. 19. cujus textus propter brevitate omittimus. Et notandum, in pluribus locis, S. D. asserere non solum cibum, sed etiam potum in substantiam nutriti converti.

Quomodo autem molem nostram ex Adamo habeamus, explicat S. D. lib. 22. de Civit. Dei cap. 14. dicens: *Defuit infanti mortuo perfecta quantitas sui corporis; infanti quippe deest, utique perfectio magnitudinis corporalis, quæ cum accesserit, jam statura longior esse non possit. Hunc perfectionis modum, sic habent omnes, ut cum illo concipiuntur, atque nascuntur; sed habent in ratione, non in mole.* Ecce detecta æquivocatio Magist. Sententiarum putantis, om-

nem substantiam nostram juxta S. P. August. derivari ex Adamo, & non adquiri nutritione, & augmento. Derivatur quidem ab Adamo, sed *Non in mole, sed in ratione seminali*: ergo ut substantia nostra in mole crescat, oportet, substantiam cibi converti in substantiam aliti.

Sententia Magist. rejicitur à Philosophis, & Theologis. Contra eam stat ratio. Quis enim sibi persuadeat, modicam particulam substantiæ Adamæ, quæ tot divisionibus extenuata, pervenit usque ad Noë, potuisse discerpi, & dividi in tot homines, qui à diluvio ad hanc diem vastissimas terras non solum implent, sed etiam onerant? Nec dici potest, hanc modicam substantiam crescere, augeti, & multiplicari per rarefactionem; sicut modicum thuris granum rarefaciendo, diffunditur, & multiplicatur in fumum, implentem domum. Non potest dici, aliàs sequeretur, hominum substantiam, qui nunc vivunt, esse præ omni aëre tenuem, & raram, utpotè quæ ab initio fuisset rarefacta.

Rursus constat, partes hominis esse densiores, quam infantis: ergo falsum est, particulam substantiæ acceptæ per generationem, augeti per rarefactionem, & non per veram conversionem alimenti in materiam hominis. Accedit, quod omne corruptibile est generabile; & e contra: ergo cum forma humana possit deserere materiam, quam occupat, quatenus per actionem caloris naturalis pereunt multæ partes corporis

nostris; debent ipsæmet partes instaurari per novam generationem partialem nutritionis. Vide D. Thom. 1. p. q. 119. art. 1.

Nec obstat, quod allegat Mag. pro suo asserto, nempe illud Christi Dñi. Matthæi 13. dicentis: *Omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum mittitur*, nam hæc verba non sunt sumenda in tota latitudine sicut dum Isaias dicit: *Omnis caro videbit salutare Dei.* Vbi ly *omnis* non sumitur in tota latitudine grammaticali. Patet hoc, nam non omnis pars alimenti emittitur per secessum, sed aliquid evaporatur, & transpiratur per sudores; immò ipse Magister fatetur, aliquid alimenti retineri ad pabulum caloris naturalis. Ergo verba Christi Domini sumenda sunt in sensu accommodo, & juxta propositum Christi Dñi, qui contēdebat cibos non inquinare hominē, sed in secessum emitti, quantum ad partes impuriore, quibus poterat homo inquinari: ergo remanent partes purissimæ, quæ varijs coctionibus præparatæ, ac depuratæ transeunt in substantiam viventis.

7. Si quæras. Quomodo hoc fiat? Respondetur, id fieri per varias potentias, quæ deserviunt nutritivæ. Prima est *attractiva*, quæ vi caloris, & siccitatis attrahit alimentum. Hanc agnoscit P. N. August. lib. 11. de Civit. Dei cap. 27. Etiam in arboribus, de quibus dicit: *Altius terræ radices affigunt, ut alimentum trahant, atque ita quodam modo esse conservent.* Secunda est *retentiva*, quæ vi siccitatis, & frigoris non sinit ali-

mentum statim defluere, sed ipsum detinet, quousque alteretur, & in substantiam aliti convertatur. Tertia est *alterativa*, seu *digestiva*, quæ vi caloris, & humiditatis alterat alimentum, & digerit in humores. Quarta est *expulsiva*, quæ vi frigoris, & humiditatis superfluitates segregat, & è corpore eicit. Quinta est *conversiva*, quæ substantiam alimenti totaliter depuratam, convertit in substantiam aliti.

Pro hac conversione plures fiunt concoctiones, digestiones, & depurationes, ut supra diximus cum B. A. Egidio. In animalibus clariùs patent. Prima digestio fit in ore, dum conteritur dentibus alimentum, ut in stomacho infundatur. Secunda digestio fit in stomacho, ubi vi caloris hepatis decoquitur; & sic decoctum transmittitur ad magnum intestinū, quod vocatur *duodenum*. Ab hoc duodeno transit per intestinum *jejunum*, cui conjunguntur quædam venæ, quas vocant *Mesaraicas*, & ad hepar transfertur, ubi superfluitates depelluntur, & ex substantia depurata quatuor humores segregantur.

Humor calidus, & siccus, deservit cholera rubra, & vehitur ad cistā fellis. Frigidus, & siccus aptus melancholix, fertur ad splenem: frigidus, & humidus phlegmati congruus ad pulmonem: calidus verò, & humidus in hepate vertitur in sanguinem.

Superfluitates hujus digestionis per venam, quæ spinæ adjacet, descendunt ad renes, & inde ad vesicam trajiciuntur. Sanguis in hepa-

te generatus, per venas majores, ac minores usque ad capillares, ad omnia membra difunditur, & in his ulterius digeritur, ut in humores secundos conversus, tandem in substantiam alicui mutetur, & sic fit nutritio. Hæc vide, & plura alia, in N. Gayardi art. 2. sed quia nomina organorum, & præcipue operationes nutritivæ, unice explorata sunt Medicis, & Anatomicis, ideo ab eis superfedemus.

8. Quæres, an elementa possint esse alimentum viventium? Aliqui affirmant, & probant Scriptura. Nam Isaia 44. de elemento aquæ habetur: *Plantavit pinum, quam pluvia nutrit.* Et Hieremiæ 17. dicitur, *Lignum transplantatum super aquas, ad humorem mittit radices suas.* Et S. P. August. lib. 6. de Genes. ad lit. cap. 13. dicit: *Quis nescit, a quum terræ concretam, cum ad radices vitis venerit, duci in saginam ligni illius; atque in eo sumere qualitatem, qua in unam procedat, &c.* Idem habet tract. 8. in Ioan. de aqua nubium.

De aëre sic habet P. S. August. lib. de Anim. cap. 3. *Aura ista undique circumfusa, corpus intrando alit, relevat exeundo.* Et ibi. cap. 4. *Deus alimentum circumfundit aurarum, ut sine cibo, & potu diu esse possimus, sine autem hoc alimento tectio, quod aura nobis, que undique circumfusa, spirantibus, & respirantibus exhibet, nec exiguo temporis spatio possimus vivere.*

De igne S. P. August. lib. 12. de Civit. Dei cap. 4. ait: *In ignis ar-*

ore non nulla animalia per convenientiam vivunt. Et lib. 21. cap. 4. dicit: *Scripterunt, qui naturas animalium curiosius indagant, salamandram in ignibus vivere.* Tandem de terra. Genes. 3. dixit Deus serpenti: *Terram comedes omnibus diebus vite tue.*

Accedit, quod refert Plinius lib. 2. cap. 2. Populos quosdam in India odoribus alimentari; quod defendit Ioan. Bravo lib. de saporum, & odorum differentiis, ubi tenet, homines odore posse nutiri: quod si falsum censetur, est quia odor est accidens, & sic ineptum nutritioni, quæ petit fieri per transmutationem alimenti in substantiam alicui. Rursus constat de Camaleone, quem aere nutiri vulgata fert opinio. Tum etiam experimento muscarum, quas refert Aristot. 3. de hist. animalium cap. 19. dicens in Insula Cypro in ærariis fornacibus, ubi lapis per plures dies crematur, eas oriri, & per ignem ambulare, & igne amoto, mori.

Contraria tamen sententia est communis cum eodem Aristot. docete, sola corpora mixta posse esse alimentum viventium. Ratio est clara. Primum, quia elementum non habet nisi duas qualitates, v.g. ignis continet calorem, & siccitatem; sed per alimentum debet instaurari quatuor qualitates viventium; alioquin si duæ tantum instaurarentur, suffocarent alias duas contrarias, & sic periret vivens, quod conservari non potest sine temperamento quatuor qualitatum: ergo elementum non potest esse alimentum viventis. Et con-

fit.

firmatur, nam elementum habet in summo aliquam qualitatem, v.g. ignis calorem; sed qualitas in summo destruit vivens: ergo elementum nequit esse alimentum viventium.

Ad objecta in contrarium dicimus, ea bene exponi de elementis, ut sunt quedam mixta, non de ipsis, ut sunt elementa simplicia. Quod confirmatur ex P. N. August. Psalm. 148. ubi quærit: *Cur pluat in Mare?* Et respondet, quia sunt in mari, qui alantur pluvia, id est pisces, qui indigent aqua pluviarum, quæ mixta est, & ostendit aquam elementarem non sufficere ad nutrimentum. Aquatilia de limo, & luto sustentari docet Aristot. 8. de hist. animal. cap. 2.

De metallis dubitatur etiam, & plures negant, esse alimentum, quia non possunt converti in substantiam alicui. Hinc dicunt, aurum portabile non converti in substantiam, sed confortare tantum per suas qualitates. Sed licet hoc verum sit respectu hominis, & aliorum, non tamen respectu omnium. Nam de struthione communiter dicitur, ferrum concoquere: & Aristot. refert, testudines quasdam marinas nutiri lapidibus. Ita lib. 8. de hist. animal. cap. 2. & sanè, sicut metalla per ingentem calorem possunt liquefieri, ita ab aliquo animali summi caloris poterunt in substantiam verti.

9. Quæres etiam, an purum accidens possit esse alimentum viventis? Negat Aristot. ubi supra. Et accedit ratio, nam nutritio est con-

§. II. versio alimenti in substantiam alicui; sed accidens non potest converti in substantiam: ergo accidens purum non potest esse alimentum viventis. Rursus. Alimentum debet esse mixtum ex quatuor qualitatibus; nam per alimentum æquè nutriuntur, & foventur quatuor qualitates viventis; sed accidens purum, non est mixtum ex quatuor qualitatibus: ergo accidens purum non potest esse alimentum. Confirmatur. Nam sicut ad generationem requiritur materia prima, quæ est commune subiectum, à quo separatur per corruptionem forma præcedens, & in quod inducitur per generationem forma adveniens; ita pro nutritione requiritur materia, & commune subiectum, à quo expellatur forma alimenti, & introducatur forma alicui; sed in puro accidenti non datur materia prima, quæ est entitativè substantia, & sic non datur commune subiectum ad conversionem substantialem: ergo purum accidens non potest esse alimentum viventis.

10. Contraria sententia est omnino tenenda, saltem atenta potentia absoluta Dei; immò supposito miraculo Eucharistico, ubi accidentia panis sunt sine subiecto, dicendum est, hominem naturaliter nutiri posse eis accidentibus. Prima pars nostri asserti patet, quia in Ecclesiastica historia legitur, Deum, plures Sanctos conservasse sine ullo alimento: ergo eadem potentia potuit conservare, & eos nutrire solis accidentibus. Et confirmatur. Nam

Deus

Deus potest ex nihilo facere novam substantiam, sicut fecit in prima mundi conditione, & quotidie facit, creando animas racionales: ergo potest convertere in substantiam alicuius accidentis purum, & facere substantiam viventis de accidente cibato. Rursus. Potest Deus unam substantiam convertere in aliam, ut fecit in Cana Galilææ, ubi aquam convertit in vinum; & quotidie facit, convertens substantiam panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi: ergo potest simili miraculo elevare potentiam nutritivam viventis, ut convertat pura accidentia in substantiam alicuius.

Quoad secundam partem probatur assertum, nempe, quod supposito miraculo Eucharistico, potest homo naturaliter nutriri accidentibus Eucharisticis, & illa convertere in propriam substantiam. Probat 1. quia per Eucharistiam cibatur totus homo, ut docent Sancti PP. ergo non solum nutritur spiritaliter quoad animam per gratiam cibativam propriam huius Sacramenti, sed cibatur etiam quoad corpus, & verè alitur corporaliter Sacramento Eucharistico; sed non alitur corporaliter, convertendo in propriam substantiam corporalem, substantiam Christi, ut expressè docuit Christus Dominus P. Augustinum dicens illi: *Cresce, & manducabis me, nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tue*: ergo alitur corporaliter, convertendo accidentia panis, & vini in propriam substantiam.

11. Confirmatur. Accidentia Eucharistica sunt subiecta agentibus naturalibus, potentibus ea corrumpere; & sic sunt exposita alterationi, & corruptioni: ergo possunt corrumpi à calore naturali hominis recipientis. Immo juxta veriorum Theologorum sententiam Christus Dominus tantum durat sub speciebus Eucharisticis, usque dum à calore hominis cibati alterantur, & corrumpuntur. Sed in naturali corruptione accidentium datur generatio novæ substantiæ naturaliter: ergo naturaliter datur nutritio ex solis accidentibus. Probat 1. Naturaliter non datur corruptio sine generatione, quia nullum agens per se intendit corrumpere, sed per accidens, quatenus per se intendit generare, & generatio unius est corruptio alterius: ergo in corruptione accidentium datur nova generatio. Sed non generatio nova solius accidentis, quia hæc est alteratio, non autem generatio: ergo datur generatio substantiæ. Sed substantia noviter generata, transit in substantiam alicuius, nam est effectus potentiæ nutritivæ, & aliarum potentiarum, quæ suprâ memoravimus, deservientes potentiæ nutritivæ: ergo.

Confirm. 2. Ex accidentibus Eucharisticis ab agente circumstante alteratis generatur vermis, ut testatur experientia, & admittit communis Philosophia: ergo ex accidentibus Eucharisticis alteratis à potentia nutritiva humana, generatur substantia corporis humani. Probat

tur consequenter, nam rationes pro contraria sententia æquè impugnant generationem vermis ex solis accidentibus, ac nutritionem viventis: quare si primum falsò probant; non impugnant secundum. Secundò probatur consequentia, quia idè est verum antecedens, quia accidentia Eucharistica eo modo exposita sunt corruptioni, ac si in eis esset substantia panis jam destructa; sed si in eis accidentibus esset substantia panis, hæc destructa ab agente circumstante, converteretur in vermes; alterata autem à calore digestivo viventis, ejusque potentia nutritiva, converteretur in substantiam alicuius: ergo sicut ex accidentibus illis sine novo miraculo fit vermis naturaliter, sic potest fieri naturaliter nutritio viventis. Hæc quæstio, quatenus Physica est, nititur his principijs, quatenus autem est Theologica, pendet ex doctrina PP. quorum auctoritates invenies apud Theologos eâ disputantes.

12. Ad fundamenta contraria respondemus regando, quod accidens non possit converteri in substantiam. Contrarium probatum est. Vel dic, sententiam Aristot. esse veram de accidente actualiter inherente substantiæ: secus de accidente separato, & per se subsistente, nam hoc, supposito miraculo separationis à subiecto, si casus existit per se, potest sine novo miraculo transmutari in substantiam, & sic potest esse nutritivum viventis. Ad 2. dic, accidentia Eucharistica conservare mix-

tionem qualitatum, quam habebant sub panis substantia, quare sicut hæc mixtio ante destructionem panis poterat per nutritionem converti in temperamentum viventis; sic etiam post destructionem panis miraculosam potest fieri naturalis conversio in temperiem viventis.

Ad ultimum dic, ab omnibus esse solvendum in generatione vermis ex speciebus Eucharisticis, in quibus nulla est materia, cum in eis nulla sit substantia. Hinc dicendum, quod in corruptione talium accidentium Deus novam creat materiam, ut in illa recipiatur forma vermis; vel quantitas Eucharistica, quæ est accidens gerens vices materiæ pro sustentatione aliorum accidentium, est subiectum, in quod nova vermis forma inducitur. Utraque assertio est probabilis apud Theologos, & quamcumque eligas applica in presenti, ut nova substantia inducatur pro nutritione viventis.

13. Hic dubitatur de nutritione, an sit motus continuus? Aliqui negant, & suaderi potest ex D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 4. ad 6. ubi dicit, augmentationem non esse motum continuum: ergo idem de nutritione. Nihilominus contraria sententia est communis. Et probatur 1. quia nutritio data est à natura pro reparatione substantiæ deperditæ per actionem caloris naturalis; sed calor naturalis continuus, & sine intermissione destruit partes substantiæ viventis: ergo nutritio est motus continuus, quo partes illæ

restaurantur. Secundò, nam nutritio habet adjunctam alterationem; non enim aliter convertitur cibus in substantiam aliti, nisi quatenus per calorem alteratur cibi téperies; sed alteratio est motus continuus: ergo & nutritio saltem per accidens ex adjuncta alteratione. Tandem conversio cibi in substantiam aliti non est instantanea, sed successiva, incipiens à partibus propiniori- bus, sicut quando ignis comburit candelam, aut lignum: ergo nutritio est motus continuus. Ad auctoritatem D. Thom. dicendum, loqui de augmentatione ex meritis proprijs substantiæ, ad quam non datur motus per se, ut dictum est §. Physic. At augmentatio, & nutritio ratione alterationis adjunctæ terminant motum, & fiunt successive.

14. Quæritur etiam: An nutritio duret toto tempore vitæ? Respond. affirmativè cum communi sententia. Et probatur tum experientia, qua videmus, naturam desiderare alimenta toto vitæ tempore, sed alimenta desiderantur à natura, & tantùm pro nutrimento: ergo nutritio durat tota vitæ. Rursus. Nutritio datur in restauratione substantiæ deperditæ; sed per calorem naturalem deperditur substantia toto vitæ tempore: ergo tota vitæ restaurari debet per nutritionem.

Audi S. P. August. serm. 121. dicentem cap. 11, *Semper de corpore nostro discedit aliquid, quasi quoddam fluvio discessionis, sed inde non sentimus vires discedentes, quia per refec-*

tionem sumimus subcedentes. Et post plura sic concludit: *Cum ergo portamus istam deficiibilem infirmitatem, cui etsi cibus nunquam desit, sed subinde reparat vires, non tamen efficit, ut mors non sit futura. Totus enim ille status corporis per succedentes aetates, etiam si hic diutius vivatur, venit aliquando ad terminum senectutis, & ultra quod porrigantur, non inveniet, nisi mortem. Nam, & lucerna ipsa, etiam si subinde semper mittas oleum, non valet semper ardere, quin ut alijs casibus non extinguatur, ipsa stupida deficit, & quadam quasi senectute consumitur.* Quo exemplo lucernæ, oleo nutritæ, edocemur à P. N. August. hominem senescentem sic debilitari, ut per calorem non posset instaurare tantam substantiam, quantam deperdit; & ad ejusmodi debilitatem sequi naturaliter mortem.

15. Tandem quæritur, an nutritio solis cõpetat viventibus? Et videtur quòd non, nam exemplo lampadis, & lucernæ, adductæ à P. N. August. videtur, quòd nutritio venit etiam igni lampadis. Lucerna enim trahit oleum ad se, & ejus materiam substituit loco materiæ, consumptæ ab igne; sed ignis non est vivens: ergo non viventia nutriuntur etiam.

Contraria sententia est omnium D. D. cum Philosopho 2. de Anima; & probatur, quia nutritio propriè dicta est actio vitalis; ad illam enim vivens se movet: ergo nutritio propria solis cõpetit viventibus. Rursus.

Nu.

Nutritio fit per intus sumptionem, id est, trahendo alimentum per organa ad partes interiores, & ipsum in omnia membra distribuendo; ad hoc enim in plantis dantur radices, medulla, & fibræ; sed inanimata non crescunt per intus sumptionem, sed per juxta positionem; carent enim organis, quibus trahant cibum, & per totum corpus distribuant: ergo non viventia propriè nutriuntur.

Ad rationem in contrarium dic, ignem non nutri propriè, sed impropriè, & metaphoricè; nam tractio olei, & conversio ejus in ignem, non fit vitaliter, & organicè, sed per juxta positionem. Hoc patet, quia nulla in igne apparent organa, quibus oleum exugat, & per totum suam corpus distribuat in suam substantiam convertendum. Trahit illud, in quantum ignis producit alium ignem ex oleo, & ipsum sibi adjungendo videtur crescere, & abeuntes in fumum partes instaurare.

§. III.

De potentia augmentativa.

16. DE potentia augmentativa, & augmentatione quatuor etiam habemus quæstia. Primò, quid sint? Secundò, quomodo differant à nutritione? Tertio, quando duret augmentatio? Tandem quibus ministrantibus indigeat potentia augmentativa?

I. §. II. Potentia augmentativa communiter diffinitur, *Facultas, qua vivens ex alimento acquirit sibi majorem quantitatem.* Similiter augmentatio diffinitur. *Motus à minori ad majorem quantitatem.* Intellige per intus sumptionem, & vitalem motum potentia augmentativa; nam lapides crescunt, & augentur, sed non vitaliter, aut per intus sumptionem, sed per juxta positionem.

Diffinitio, & necessitas in viventibus hujus potentia diffinitæ cõprobantur ex dictis de mente P. N. August. n. 6. nam ibi vidimus, homines petere perfectam quantitatem, quæ deficit infantibus, & multò minor est, dum ex semine generantur: ergo ne natura deficiat in necessarijs omni viventi, adstruenda est potentia vitalis, quæ vitaliter, & per intus sumptionem, acquirit viventi debitam magnitudinem. Hæc est potentia augmentativa, quæ ex cibis non solum decerpit tantas partes, quantas vivens deperdit per calorem, sed multò plures, ut sic crescat in magnitudine, usque ad debitum statum quantitatis debitæ viventi. Hujusmodi potentia actio dicitur augmentatio. Nec in solis animalibus hæc potentia reperitur, sed etiam in plantis, & vegetabilibus, ut patet ocularitèr, cum ex semine fit planta, & crescit in dies, usque ad debitum augmentum. Ob id P. N. August. 7. de Genes. ad lit. cap. 16. dicit: *Moventur intrinsecus arborista, cum crescunt, sicut & nos.*

Vegetabilium alimentum, non est ita varium, sicut animalium, quæ varijs nutriuntur herbis, folijs, fructibus, & frondibus; & amplius distat ab illa mirabili varietate, quæ Author universi hominum cibos præparavit, tum in arboribus, tum in aquatilibus, tum in volatilibus, tum in quadrupedibus, ita ut omnia elementa, & quæ in eis vivunt, data sint in subsidium humanæ naturæ, & solus ignis cibo ineptus, adhuc deserviat hominum mensæ, alterando, & præparando carnes, & alia quæ sine ignis alteratione non possent homini deservire, aut saltem non ita jucundè. Unica vegetabiliū mensa pro nutritione, & augmentatione est succus terræ, ita ut ex eodem humore terreno nutriatur tanta vegetabilium varietas, & mirabili supremi artificis providentia humor ille convertitur in diversissimos flores, in varios, & sapidissimos fructus, in diversas, & utilissimas plantas, ut mirantur, & quotidie denuo experiuntur Naturalistæ, quibus dimittimus Anatomiam vegetabilium, & organicam dispositionem ad recipiendum alimentum, medijs radicibus, & illud distribuendum mirabili officio in omnes partes proportionaliter corporis vegetabilis.

17. Quantum ad secundam dicimus, augmentativam quadrupliciter differre à potentia nutritiva. Distinctio constat ex dictis num. 3. & hic apponemus capita distinctivæ. Primum est, quod nutritiva solum reparat id, quod consumitur in

vivente: augmentativa verò plus acquirit substantiæ, quàm sit perditum per calorem. Secundò, nutritiva æqualiter nutrit omnia membra secundum omnem dimensionem, nempe in longum, latum, & profundum; immò aliquando liberius nutrit in latum, ut patet in pinguescentibus. At augmentativa præcipuè auget in longum; & ideò animal non censetur crescere, quando pinguescit; sed quando extenditur in longum, & acquirit majorè proceritatem. Tertio, nutritio semper durat, etiam in senectute, ut vidimus ex P. N. August. at augmentatio certis temporibus diffinitur. Quarto, ad nutritionem sufficit calor naturalis languidior; augmentatio verò petit calorem naturalem fortio-rem; unde non augetur, nisi juvenes, in quibus viget ille naturalis calor.

Dices, calorem aliquando majorem esse in viris, quàm in pueris; cujus signum est, viros habere impetus fortiores, & acriores. Respondet, viros esse calidiores calore extraneo, & adventitio: at juvenes prævalent in calore naturali. Ratio est, quia pueri minus habent de materia extranea, & minus gravantur, quàm viri superfluis humoribus: quare fit totus calor puerorum sibi naturalis, ac proinde efficacissimus ad opera vitæ vegetativæ.

At vitæ nutrimentum multum acquirunt de materia extranea; quæ nondum perfectè conversa in propriam substantiam, & pluribus

su

superfluis humoribus onerata, calor naturalis est languidior, & extraneo permixtior. Unde licet videatur fortior, est tamen minus efficax ad opera nutritionis, & augmentationis, quàm blandus calor, ac purus juvenum. Sic calor febricitantium non est aptus ad opera vitæ, licet sit fortior, & intensior, quàm calor hominis sani: nam hæc intensio non est naturalis, sed ab extranea causa proveniens. Sic respondet Albertus Magnus lib. 1. de Anim. tract. 2. cap. 6.

18. Quantum ad 3. dicimus, quod augmentatio communiter non durat toto tempore vitæ. Probatur hæc cõmunis sententia. Primo, quia potentia augmentativa data est à natura, ut vivens acquirat debitam molem, & quantitatem; sed multa viventia medio tempore vitæ suæ acquirunt quantitatem debitam: ergo augmentatio, quæ est actus illius potentie in his non durat tota vita. Secundò, calor naturalis paulatim minuitur per commixtionem materie extraneæ, & per conflictum, quem patitur à contrarijs qualitatibus ciborum, quos decoquit: ergo tandem eò devenit, ut non possit amplius augmentare, sed tantum reparare ruinas substantiæ perditæ. Immo nec ipsas ruinas potest satis refarcire in ætate senili; ideòque tunc corpus non solum non augetur, sed potius minuitur. Unde senes minus habent de substantia pertinenti ad integritatem corporis, quàm viri; & è contra plus abundant ex-

traneis humoribus, quibus obruitur calor naturalis, sicut calor vini admixtione aquæ: & hinc fiunt catarrhi, phlegmata, podagræ, distillationes, & alij morbi seniles.

Diximus communiter se accretedere, & non in omnibus, quia in quibusdam viventibus videtur durare augmentativa toto tempore vitæ, ut dicitur de Crocodillis, & etiam contingere videtur in quibusdam monstruosis serpentibus, in balenis, & pluribus alijs piscibus cetosis, in quibus insigniter viget vis augmentativa, & cum habeant partes ex materia molliori, semper extendi possunt, & augetur, quandiu vivunt. Hæc viventia habent terminum augmenti, quia hic est cõmunis omni viventi; sed ad illum non perveniunt, nisi circa finem vitæ.

19. Quantum ad 4. dicimus, quod augmentativæ deserviant illæ potentie, quæ ministrant etiam potentie nutritivæ. Has explicavimus num. 7. quare non oportet eas hic iterare. Ratione ostenditur. Ut animal crescat, primò, debet trahere alimentum: secundò, id, quod est utile retinere. Tertio, id, quod retinetur digerere, & convertere in propriam substantiam. Quarto, partes alimentii inutiles excludere, ne illis gravetur corpus: ergo potentia augmentativa petit has potentias æquè, ac nutritiva.

Inquires: An istæ potentie, quæ deserviunt facultati nutritivæ, & augmentativæ realiter differant, tum inter se, tum à potentia nutritiva,

tiva,

tiva, vel augmentativa: Responde-
tur eas potentias non esse realiter
distinctas inter se, nec distingui à
potentia nutritiva, vel augmenta-
tiva, sic communis sententia, & pro-
batur. Illa quatuor non sunt poten-
tiæ, aut virtutes distinctæ, sed sunt
quatuor munera ejusdem potentia
nutritivæ, vel augmentativæ: ergo
nec inter se, nec à potentia, cujus
munera sunt, distinguuntur. Proba-
tur antecedens. Eadem potentia nu-
tritiva per se sufficit ad illa mune-
ra; immò non aliter habet nutrire,
nisi attrahendo, retinendo, & dige-
rendo alimentum, expellendoque
superfluitatem: hæc enim omnia
priùs, quasi dispositivè operatur,
ut cibum convertat in substantiam
aliti. Quare licet per se primò res-
piciat conversionem alimenti in sub-
stantiam aliti; secundariò tamen
habet nutritiva materiam dispone-
re modis relatis; sed non sunt mul-
tiplicandæ potentia, quando una
sufficit: ergo illæ vires, quæ in om-
nium sententia deserviunt nutritio-
ni, & augmento, non sunt realiter
distinctæ inter se, aut à potentia ge-
nerativa, & augmentativa.

§. IV.

De potentia generativa.

20. **H**ÆC potentia non datur
nisi in viventibus corru-
ptilibus, quæ cum non possint sem-
per durare quoad individuum, con-
tendunt se conservare, quantum ad

speciem, producendo sibi simile, in
quo conservetur species. Hinc po-
tentia ista negata est Angelis incor-
ruptilibus: nam licet juxta doc-
trinam D. Thomæ, & nostram, tot
species Angelorum constituentem,
quot sunt Angeli; quilibet Ange-
lus sit diversæ speciei, & species in-
fima conservetur in unico indivi-
duo, tale individuum non habet po-
tentiam generativam, quia super-
fluit finis ejus in Angelis incorrup-
tibili quoad speciem, & quoad in-
dividuum. In Deo autem datur po-
tentia generativa; ceterùm, quia
non datur ad conservationem natu-
ræ Divinæ, sed ad fecunditatem
Personarum, quæ constituit myste-
rium Sanctissimæ Trinitatis; ideò
dicitur, quòd Pater æternus generat
Filium, & Pater, & Filius spirant
Spiritus Sanctum, ex fecunditate
quidem, sed non ex necessitate.

De potentia generativa viven-
tium sublunarium tria explicanda
sunt, primò quid sit; secundò, quo
sensu ejus operatio dicitur à Philo-
sopho naturalissimæ; tertio, quæ sit
materia circa quam operatur; ubi
etiam de viribus generationi deser-
vientibus.

Dicimus, quòd potentia ge-
nerativa est *Facultas convertendi ali-
mentum in novum vivens sibi simile.*
Generatio autem est *Actus hujus po-
tentia.* Vel ut communiter diffini-
tur, est *Origo viventis à vivente in si-
militudinem naturæ per principium cõ-
junctum.* De hac diffinitione ultima,
quæ etiam convenit æternæ gene-
rati

QVÆST. I.

rationi, qua producitur Verbum Di-
vinum à Patre, tractant Theologi,
& illam explicant tractatu de Divi-
nis processionibus. Pertinet etiam
ad Philosophos lib. 1. de Generat.
ubi illam explicabimus luculenter.
Notandum, quòd consulto additur
In similitudinem naturæ. Quia non
est generatio quæcumque productio
viventis, sed solum illa, qua vivens
propagat propriam naturam, produ-
cendo sibi simile. Quare quando in
homine producuntur vermes, aut
alia ejusmodi animantia specie ab
illo dissimilia, non ideò homo dicitur
generare, sed solum, quando
generat hominem sibi similem in
natura.

21. Dicimus 2. quòd opera-
tio hujus potentia est omnium na-
turalissima, cunctis viventibus per-
fectis. Sic Philosophus 2. de Anim.
text. 34. ubi D. Thom. & alij in-
terpretes. Probatæ assertio. Natu-
ra magis tendit in bonum commu-
ne, quàm in bonum privatum; sed
generatio est ad bonum commune
totius speciei; reliquæ verò opera-
tiones viventis solum ordinantur ad
conservationem individui: ergo na-
tura magis inclinatur in generationes,
quàm in ceteras operationes.

Hinc vivens generaliter pati-
tur detrimentum in propria substan-
tia, ut novum individuum sibi simi-
le producat. Et animalia bruta in-
genti impetu rapiuntur ad genera-
tionem, & genitos fœtus proprio vi-
tæ periculo, ac dispendio, educant,
nutriant, & defendunt. Rursus. Vi-

§. IV.

vens consequitur per generationem
quandam perpetuitatem, & immor-
talitatem suæ naturæ; quæ cum sit
bonum propè Divinum, magna pro-
pensione desideratur.

Est tamen specialis ratio, cur
homo Christianus naturalissimum
hunc impetum non solum per ratio-
nem coerceat, sed etiam voluntaria
virginitate penitus abdicet. Quia
scilicet per gratiam securus est de
immortalitate longè excellentiore;
& ideò alteram pecudibus commu-
nem merito contemnit, ut facilius,
& commodius possint vacare operi-
bus gratia, quibus perfectissimam
æternitatem, & immortalitatem cõ-
sequitur. Hinc virginitas apud Chri-
stianos in magno pretio est, ut ex-
peditior via ad æternitatem; quo-
niam per eam abdicatis alente pro-
lis, & procurandæ, augendæque fa-
milie curis, *Virgo cogitat, quæ Do-
mini sunt, ut sit sancta corpore, &
spiritu.* Item. *Qui sine uxore est, so-
licitus est, quæ Domini sunt, quomodo
placeat Deo.* Ut ait Paulus 1. ad Cor-
inth. 7.

22. Dicimus 3. Materia cir-
ca quam virtus generativa proximè
versatur, est alimentum converten-
dum in novi viventis substantiam.
Ita Aristotel. & cum eo Philosophi
omnes, de quo vide D. Thom. 1.
p. q. 119. art. 2.

Hæc assertio est contra quos-
dam veteres, qui dicebant, semen
non ex alimento prodire, sed ex
ipsis viventis partibus decidere vi-
vas quasdam particulas, quæ con-
gre

gregatæ in destinatis à natura locis, coalescerent in novum animal. Et quidem ex veteribus quidam dicebant, hanc decisionem fieri ex una, vel altera parte, ut Pythagoras ex cerebro, qui idè vocabat *semen fillam cerebri*: Plato verò ex medulla dorsali.

Alij verò ponebant, hanc feminis defuxionem fieri ex omnibus partibus corporis, ut sic ex genitore procederet genitum simile, v.g. ex oculo oculus, ex cerebro cerebrum, ex corde cor, &c. quæ omnia in loco à natura constituto congregata, & associata, constituant novum vivens, plenè simile generanti. Hæc ultima opinio tribuitur Hippocrati, Democrito, Epicuro, & Stoicis.

Contra illos probatur assertio communis. Materia potentia generativa non debet esse actu vivens, sed solum in potentia, sed alimentum est vivens in potentia; membra autem actu vivunt, & animantur: ergo materia potentia generativa non sunt particulae membrorum decisæ à generante, sed solum alimentum in novum vivens transformandum. Minor patet, nam particula illa decisæ, essent ejusdem rationis cum membris, à quibus decisæ sunt; & sic viverent, & animarentur. Major probatur. Materia victæ activæ non debet habere actualiter illud, quod à tali virtute recipit, sed solum esse in potentia ad illud, sed facultas generativa, transmutandæ materiæ dat illi

esse actu vivens: ergo talis materia non debet esse actu vivens, sed solum in potentia. Major patet, quia nihil recipit ab alio, id, quod jam habet ex se ipso.

Minor probatur 1. quia si vis generativa in rebus inanimatis potest reducere materiam de potentia in actum, v.g. ignis potest facere ignem actu ex materia, quæ erat solum ignis in potentia; à fortiori vis generativa viventium id potest, cum sit perfectior, & efficacior, tum etiam, quia generatio in communi est transitus materiæ, de non esse ad esse; quare generatio viventium erit transitus materiæ de non esse vivens ad esse vivens: & potentia generativa debet date esse vivens materiæ, in quam agit. Tertio, quia juxta contrariam sententiam generatio viventium non esset simpliciter, & propriè generatio, quia per illam nihil de novo simpliciter produceretur, sed esset divisio quædam, & segregatio, sicut dum gutta vini dividitur à toto vino.

Confirmatur ex signo, & à posteriori. Nam, ut notat Aristot. lib. 7. de animal. cap. 2. Animalia magni corporis, quæ indigent multo alimento sunt pauci feminis secundum quantitatem sui corporis; unde sunt paucæ generationis. Patet in Crocodilo, qui propter enorme, ac continuum sui corporis incrementum multo indiget nutrimento, gignit ovum, & foetum, omnium animalium proportionaliter minimum: ergo signum est, generationem fieri non

ex

ex particulis illis, decisæ à singulis membris, quæ deciderent majores in animalibus majoribus, sed ex ipso alimento, cujus major pars in his animalibus præripitur à nutritiva, & sic relinquitur parva quantitas pro generativa.

Rursus. Hoc apparet in plantis. Nam in eis semina non decidunt ex folijs, ramis, floribus, fructibus, &c. sed ex alimentali succo formantur: ergo idem de animalibus dicendum.

23. Tandem probatur communis assertio ex impugnatione sententiæ contrariæ. Novum vivens non gignitur ex particulis decisæ ab uno, vel omnibus membris: ergo ex solo alimento. Consequentia patet, & antecedens probatur quoad primam partem. Quod est determinatum, & contractum ad unam, vel alteram partem viventis, non habet virtutem movendi ad naturam totius; sed potentia generativa movet ad generationem totius viventis: ergo non fit ex substantia decisæ à determinata parte viventis. Quoad secundam partem probatur antecedens sic.

Primo, quia sequeretur, quod vivens mutilatum, nunquam posset generare vivens integrum; nam ab illo membro, quo careret, nihil posset decidere, ex quo simile membrum in genito formaretur; sed hoc est falsum, quia videmus, animalia integra generari ex mutilatis, ut ex cæco generatur habens oculos: ergo &c. Secundo, animalia pinguior

ra essent uberioris generaturæ, quia cum in eis membra exuberent, copiosiorum formandæ proli materiæ impertirent; sed oppositum contingit, ut ex Aristot. notatum est: ergo.

Dices: videmus viventia nimia generatione exhausti totum corpus: ergo signum est, omnem corporis partem confluere informationem geniti. Secundo, ægritudines parentum transfunduntur in prolem; sic ex stulto, stultus gignitur, ex calculoso calculosus, &c. ergo oportet, ipsas morborum sedes contribuere substantiæ particulas. Tertio, proles non solum hæreditat morbos parentum, sed etiam conformationem membrorum. Hinc in quibusdam familijs longa serie omnes membra quædam habent speciali modo notata, vel formata. Et referente Gassendo, cum olim quibusdam apud Europeos, nutrices tenerent caput, obductis facijs in longum conformassent, ut illustres haberentur; hæc conformatio transit in posteros, qui idè à *Acrocephali* dicti sunt, id est ob longioris capitis.


Respondemus ad primum animal exhausti nimia generatione, non quia membrorum substantia cõfluat in generatione; sed quia ex alimento plus subtrahitur à potentia generativa; & sic defraudata nutritione, membra languescunt, & arescunt. Immo, quia id, quod generativa sibi assumit, est purissima pars, & quasi flos alimenti, idè ex hoc immodico usu læduntur illæ partes

partes, quæ puriori nutrimento indigent, ut cerebrum, oculi, & nervi. Ad 2. dicimus, morbos Parentum transire in filios, non quia ipsa membra affecta transeant ad illos; alias omnes morbi parentum transfunderentur ad prolem, quod est falsum; sed quia filius generatur similis patri, & quoad fieri potest, simile sortitur temperamentum. Hinc illi morbi, communiter transeunt ad filios, qui paternam sequuntur complexionem, & sunt habituales, ut podagra, lepra, amentia, &c. illi vero morbi, qui sunt transeuntes, & adventitij, non transfunduntur in prole.

Ad 3. dic, ob eandem causam ligneamenta; & dispositiones membrorum derivari à patribus in filios, nempe, quia quodlibet generat sibi simile, quantum potest. Hic ordo naturæ aliquando turbatur ob varias causas. Vnde Plinius lib. 7. cap. 12.

dicit puerperas *Quasdam similes sibi semper parere, quasdam viro, quasdam nulli, quasdam fœminam patri, marem sibi.* Immo, quod mirabilis est, aliquid in nepotibus reviviscit similitudo, jam interrupta in avis, ut refert Plinius in loco citato.

Vt fabulorum rejiciendum est, quod refert Plinius lib. 8. cap. 24. de animalibus aliquibus, præsertim in genere equarum, quæ sine maris concursu concipiant. Hanc fabulam jam pridem dixerat Iustinus lib. 44. histor. natam esse ex equatum fœcunditate, & gregum multitudine, ut non immerito vento ipso videantur conceptæ. Hinc annectendæ erant quæstiones de plantis, & vegetabilibus, quas more historico tractant Naturalistæ; sed quia plas conducunt ad delectationem lectoris, quàm ad utilitatem animastici, illas prætermittimus, ut ad utiliores properemus.



QVÆSTIO SECUNDA.

Quid sit, & qualiter operatur anima sensitiva?

¶(S)

§. I.

¶(S)

Respondetur directè quæsito.

POST dilucidatam animam vegetativam, venit recto ordine indaganda notitia animæ sensitivæ, quæ communis est hominibus, & belluis; licet in homine sensiti-

va ex identitate, & conjunctione ad animam rationalem, nobilius operetur, saltem quoad internas sensationes. Est ergo anima sensitiva: *Primum principium sentiendi; juxta Aristot.*

stot. Vel actus primus corporis organici habentis vitam sensitivam in potentia. Vel juxta SP. August. Est vita sensitiva, quæ definitiones manent explicata lib. 1. de anim. q. 1.

Superest tractare de potentijis animæ sensitivæ, quæ sunt *Cognoscitiva, appetitiva, & loco motiva*, per quas suas anima exercet præcipuas operationes, nempe cognitionem rerum materialium, per sensus internos, & externos; appetitionem boni, & fugam mali per appetitum concupiscibilem, & irascibilem; denique motum localem per potentias motrices ambulandi, volandi, & natandi. Ordo doctrinæ poscebat primò indagare, de sensibus in communi, & necessitate specierum ad cognitionem sensitivam, deinde de sensibus externis, & internis, ac tandem de appetitu sensitivo. Ceterùm cum à facillioribus sit incipiendum, idè à sensibus externis initium sumimus, quia notioribus, ut inde ad internos progrediamur, & de sensu agente, & specierum necessitate tractemus possibili claritate.

Operatur ergo anima sensitiva per sensus internos, & externos, ceterùm primò per externos, quia omnis cognitio, etiam intellectiva nostra incipit à sensibus. Sensus externi sunt quinque, nempe visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Eos vocat P. August. quinque porticus corporis, *Qui nec sine corpore, nec sine anima esse possunt, qui nec sentire est, nisi vivens, quod ad anima inest corpori; neque sine corporeis in-*

strumentis, & quasi organis, videmus, audimus, ceterisque tribus utimur sensibus. Verba sunt S.P. Aug. Epist. 2.

2. Circa excellentiam sensuum, qua unus est altero nobilior. P. August. semper eos numerat ordine dato, ut insinuet visum præcellere, deinde auditum, inde olfactum, postea gustum, ac tandem tactum. Rationem dedit lib. 10 de Genes. ad litt. cap. 6. dicens: *Illud, quod est subtilissimum in corpore, & ob hoc animæ vicinius, quàm cetera, idest lux primum per oculos sola difunditur, emicatque in radijs oculorum ad visibilia contuenda; deinde mixtura quadam primum cum aere puro (quod fit in auditu) secundò cum aere caliginoso, atque nebuloso (in olfactu) tertio cum corpulentiore humore (in gustu) quòd, cum terrena crassitudine (in tactu) quinque sensus cum ipso, ubi sola excellit oculorum officina.* De hoc infra iterùm dicemus.

Hic ordo, & excellentia sensuum probatur ab omnibus, & suadetur à ratione sic. Primò, quia natura altiori loco oculus collocavit, deinde aures, olfactum demissionem, sub illo gustum, & in reliquo corpore tactum: ergo ex situatione organorum ad sensationes externas colligitur ordo, & excellentia gradualis sensuum. Tum etiam ex modo attingendi propria objecta. Nam visus spiritualiori modo attingit propria objecta, magis distantia; auditus etiam sonum distantiore percipit, quàm olfactus odorem; odoratus etiam percipit objectum distans;

non tamen gustus saporem, vel tactus tangibile, nam uterque sensus exigit contingere proprium objectum. Quapropter D. Thom. dixit, quod gustus est quiddam tactus, sicut gustabile est quoddam tangibile. Differant, quia tactus solum sentit primas qualitates exteriores, nempe calorem, & frigus; gustus autem intimas, & latentes, ut dulcedinem amaritudinem, &c.

3. Si quæras: An omnes quinque sensus reperiantur in omni animali? Respondet D. Thom. in præsentia: *Quædam animalia habent omnes sensus, sicut animalia perfecta; quædam aliquos, sed non omnes, ut talpas, quædam verò habent unam maximè necessarium, scilicet tactum, ut animalia imperfecta.* Hinc deducitur, quod species animalis tantum deficit à perfectione sui generis, nempe viventis sensitivi, quantum deficit à numero perfecto quinque sensuum: & quia talpa carens visu, deficit tantum in uno sensu, idè non est animal ita imperfectum, quantum ostrea, & conchilea, quæ tantum habent sensum tactus.

Imperfectio hujus carentiæ in animalibus prædictis, est privativa respectu generis, sed negativa respectu speciei infimæ. Ratio primi est: nam imperfectio privativa est carentia formæ in subjecto apto, & capaci ad habendam illam; sed talpa ex conceptu generico animalis est capax habendi visum: ergo carentia visus in talpa est imperfectio privativa ex conceptu generico ani-

malis. Ratio secundi est: nam talpa ex conceptu suo specifico est incapax vivendi, & naturaliter caret organis ad videndum: ergo carentia visus in talpa ex conceptu specifico est mera negatio, & sic imperfectio negativa.

4. Quæres: An sensus externi forment idolum, vel imaginem, in qua percipiant objectum? Communis sententia Thomistarum negat cum D. Thom. quodlib. 5. art. 9. ad 2. ubi ait: *Cognitio sensus exterioris perficitur per solum mutationem sensus à sensibili; unde per formam quæ sibi à sensibili exprimitur, sentit, non autem ipse sensus exterior format sibi aliquam formam sensibilem: hoc autem facit vis imaginativa, cujus forma simile est quoddam modo verbum intellectus.* Idem sentit B. Aegid. locis infra dandis, dum ex ipso, & P. August. probemus, quod sensus sunt potentiæ purè passivæ.

Ratio probatur. Imago objecti solum formatur ad supplendam absentiam illius; quare sola potentia format illam imaginem, quæ indifferenter se habet ad percipiendum objectum præsens, vel absens; sed sensus externi non percipiunt objectum, nisi sit physicè præsens: ergo sensus externi non forment idolum, aut imaginem objecti sui.

Confirm. ex P. August. lib. de quant. animæ cap. 23. ubi sic definit sensationem sensuum externorum: *Est passio corporis per se ipsam, non latens animam, ubi insinuat, quod sensus externi percipiunt objecta*
sua,

sua, patiendo, non autem agendo, quare percipiunt objecta, recipiendo species immixtas ab objectis, non autem producendo imagines objectorum; sed si sensus externi forment imagines ad percipienda objecta, sensatio, vel cognitio sensitiva, non esset passio, sed actio: ergo de mente P. August. sensus externi non forment imaginem objecti.

5. Objicies. Sensatio externa est vera actio immanens; sed de ratione actionis immanentis est producere terminum intrinsecam agenti: ergo sensatio externa producit talè terminum in vivente, qui non est alius, quàm imago producta. Et arguetur. Si sensus non produceret illam imaginem, terminaretur immediate ad aliquid extrinsecum; sed hoc est proprium actionis transeuntis, non autem immanentis: ergo cum sensatio sit actio immanens, &c.

Magister Palanco ex communis sententia concedit, quod sensatio externa est vera actio immanens, quod sibi persuadent DD. hujus sententiæ, quia sensatio est vita; vita autem est actio immanens. Dicit autem, talem actionem non producere terminum, quia non est factiva, de prædicamento actionis, sed perceptiva objecti, & prædicamento qualitatis. Nec per illam agens vitale ordinatur ad terminum extrinsecum, ut illum producat, aut perficiat, sed manet in agente illud perficiens per perceptionem objecti extrinseci,

Hæc solutio in nostris principijs non tenet, immò nec in principijs Philosophi hic lib. 3. text. 51. ubi ait: *Sensus autem in ipso moveri, & pati accidit*: ergo sensatio non est actio, sed passio, ut ex P. August. definita est; nec sentire est agere, sed pati, & moveri, ut docet Philosophus. Est ergo sensatio actio vitalis quoad modum significandi, ceterum quoad rem significatam est passio vitalis; & sensus non est principium vitale activum, sed vitale passivum, ut infra dicitur: quare plene cessat replica facta.

6. Dices iterum. Sensus externus indiget specie impressa: ergo etiam expressa, quæ sit imago objecti. Probatur consequ. Primò: nam idè indiget specie impressa, quia debet determinari ad sensationem: at etiam sensatio debet determinari, & non determinatur, nisi per expressam: ergo &c. Secundò, idè indiget specie impressa, quia sensatio fit per assimilationem; sed non potest sensatio esse assimilatio, nisi producendo similitudinem, & imaginem expressam: ergo idem. Tertio, idè indiget impressa, quia objectum per se nequit esse sensibile in actu, & idè redditur sic sensibile per speciem distinctam ab ipsa; sed hoc potius probat de specie expressa, ut per illam reddatur objectum actu sensatum: ergo.

Respondetur concessio antecedenti, neg. consequentiam, quia eadem species impressa formata ab objecto in ipso sensu, deservit moveri

neri speciei expressæ, ut patet ex D. Thom. ubi supra dicente, quod *Sensus per formam, quæ sibi à sensibili exprimitur, sentit*: ergo forma, per quam sensus sentit objectum actualiter, non est forma expressa à sensu, sed expressa ab objecto sensibili. Ad 2. probationem dic, non esse necessarium, quod sensus assimiletur objectum per similitudinem à sensu factam, sed per similitudinem factam ab objecto, & receptam in sensu. Per quod patet etiam ad 3. probationem, nam licet objectum per se ipsum non sit actu sensibile, nec actu sensatum, sed media specie: At per unicam speciem fit actu sensibile, & actu sensatum; quæ species non producitur à sensu, sed ab objecto sensibili in potentia sensitiva.

Dices tandem, Visus potest percipere objectum absens; sed per nos potentia, quæ est indifferens ad percipiendum objectum absens, & præsens, est formativa imaginis objecti: ergo visus potest formare, &c. Probatur maj. Objectum absens, & à tergo existens exprimit suam imaginem in speculo coram posito, & media illa in sensu; sed sensus percipit tale objectum à tergo existens: ergo percipit objectum absens. Aliqui respondent, tale objectum non esse absens, sed præsens in speculo, sufficienti præsentia ad visionem intuitivam. Alij negant, visionem terminari ad objectum existens à tergo, & inquirunt, solum terminari ad similitudinem, in speculo formatam.

Hæc secunda solutio verosimilior est, quia infantes, pueri, & bruta, quoties vident in speculo talem imaginem ipsam prosequuntur, aut fugiant, quasi nullam objectum sit à tergo: ergo signum est, sensum visus percipere imaginem in speculo, non objectum à tergo.

§. II.

Dissolvuntur varia quesita circa deceptionem, & flexionem, & flexionem sensuum.

7. **D**E sensibus externis in communi aliqua facilia disquiruntur, ultra ea, quæ posita sunt; illa autem hic breviter dissolvere contendimus. Quæres primò: An sensus externi falli possint? Academici, ut refert S. P. August. lib. 3. contra Academicos cap. 11. tenebant, nihil certi posse cognosci, sed de omnibus esse dubitandum, quod consequenter inducebat eos ad asserendum sensus esse deceptibiles, & nihil certi posse haberi per sensus. Hæc sententia potest suaderi primò: nam sæpè vitus manum positam tras vitrum rubeum, vident rubram, item oculi icteritia infecti, colores palidos ubique intuentur. Item vident in Iríde plures colores, qui nõ sunt, & in collo columbæ ex adverso solis existentis: Quí tamen colores ibi non sunt. Tandem oculi in Eucharistia panem vident; cum tamen ibi non sit panis, sed sola ejus accidentia. Secundò, de gustu

idem

QVÆST.

I. §. II.

idem patet, nam febricitans amarum gustat, quod dulce est; & alia hujusmodi. Rursus idem dicendum de odoribus respectu olfatus; sæpè enim percipiunt nares odorem non existentem: ergo experimento comprobatur, sensus posse falli circa sua sensibilia.

8. Contraria sententia communis docet, sensum non decipi circa proprium objectum adæquatam, nec circa inadæquatam, si adfint omnes conditiones requisitæ ad sensationem: decipi autem solam circa sensibilia communia, & circa sensibile particulare inadæquatam, si non adfint conditiones requisitæ ad sensationem. Ita B. Ægidius 3. de Anim. text. 152. & 1. Metaph. q. 25, & est communis omnium DD. Probatur. Sensus externus terminatur ad objectum, ut sibi physicè præsens, vel per speciem sibi expressam ab objecto; sed sensibile proprium nequit exprimere sensui, nisi sui formam, & similitudinem; neque sensus potest percipere, nisi formam, & similitudinem, quam sibi exprimit objectum sensibile: ergo implicat quod sentiat unum pro alio, & consequenter falli non potest circa proprium sensibile adæquatam, vel inadæquatam.

Confirmatur. Tres conditiones requiruntur ad sensationem perfectam, prima est perfecta dispositio organi, defectu cujus ægrotantium gustus percipit, ut amarum, quod est dulce. Secunda est puritas medij, defectu cujus oculi percipiunt so-

lem, ut igneum, & rubeum, qui talis non est. Tertia est debita, & proportionata distantia, defectu cujus edificia, quæ videntur à longè, videntur conjuncta, cum sint separata; sed stantibus his conditionibus nulla est possibilis deceptio in sensibus circa proprium sensibile; & si quæ accidit, contingit ex defectu alicujus conditionis, requisitæ ad sensationem perfectam: ergo &c.

Confirm. 2. ab inconvenienti Theologico. Nam si sensus posset decipi circa objectum adæquatam, aut inadæquatam, positis conditionibus exactis ad sensationem, nulla certitudo daretur, neque in rebus fidei Divinæ, neque in rebus naturalibus; sed consequens est falsum, & impium: ergo &c. Major patet: nam fides Divina dependet ab actione sensibili, ut à signo, & motivo credibilitatis. Habetur enim ad Roman. 10. *Fides ex auditu*. Et Ioã. ult. *Quia vidisti me Thomas, credidisti*. Et visio miraculorum est unum ex motivis credibilitatis fidei Divinæ. Hæc ruerent, si sensus essent expositi deceptioni. Rursus. Nihil certum possemus cognoscere; quia omnis cognitio nostra incipit à sensibus, qui possent falli. Sequelam esse falsam patet, quia intellectus noster principia per se nota certò cognoscit.

Iam verò quod sensus possunt decipi circa sensibilia communia, ut sunt motus, quæres, magnitudo, distantia, &c. quæ vocantur sensibilia communia, quia non attinguntur ab

uno sensu particulari, sed à pluribus, vel ab omnibus. Probat. Sicut intellectus percipit per se primò universalis, & secundario universalis; ita sensus per se primò percipit singularia, & secundario percipit communia, quæ sunt conjuncta singularibus; sed intellectus non potest decipi circa universalis, bene tamen circa particularia: ergo sensus impotens decipi circa singularia, potest decipi circa communia.

9. Quid sentiat P. Augustin. circa hoc dubium, constat ex lib. de Vera Relig. cap. 33. ubi ait: *Corporæ species, quia nullam voluntatem habet, si verò non patet, esse, quòd non est, nec fallit. Sed nec ipsi oculi fallant: non enim renuntiare possunt animo, nisi affectionem suam. Quod si non solum ipsi, sed etiam omnes corporis sensus, ita renuntiant, ut afficiantur; quid ab eis amplius exigere debeamus, ignoro. Tolle itaque vanitates, & nulla erit vanitas. Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cum inde auferatur, integrari; non malum habet inter muntium, sed malus est iudex. Nã ille pro sua natura non potuit aliter in aqua sentire, nec aliter debuit. Si enim, aliud est aer, aliud aqua, justum est, ut aliter in aere, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus rectè videt; ad hoc enim factus est, ut tantum videat: sed animus perversè judicat.*

Ecce S. P. propugnat visum immunem ab errore, & deceptione, tum quia non judicat remum fractum in aqua, nam oculus non est factus, ut judicet de visis, sed ut tã-

tum videat, in quo nulla est deceptio. Et licet aliter videat remum in aqua, ac extra aquam; rectè videt, & sine deceptione, quia aleitas nõ est ex parte objecti, sed ex parte mediij, cum aer, & aqua sint media diversa, & non æquè pura, quare diversimodè afficiunt speciem, quæ oculus verè percipit diversificata.

Idem habet lib. 3. contra Academicos cap. 11. ubi ait: *Ergo ne verum est, quod de remo in aqua vident? Prorsus verum: nam causa accedente, quare ita videretur, si demerisus undremus, rectus appareret, maris oculos meos falsa renunciationis arguerem; non enim viderem, quod talibus existentibus causis, videndum fuit. Quid multis opus est? Hoc de turrium motu, hoc de pinnulis avium, & de ceteris innumerabilibus dici potest. Ego tamen fallor, si assentior, dici quispiam. Noli plus assentiri, quam ut ita tibi apparere persuadeas, & nulla deceptio est. Ecce ob diversitatem mediij, ob fluxum, & refluxum undarum, ob distantiam, & ob alia, quæ speciem afficiunt, & variant, oculus diversimodè percipit objectum; nec fallitur: tum quia non potest aliter videre, nisi sicut species apparet in medio. Tum quia oculus nihil judicat; quare formaliter non errat. Immo nec causaliter, aut occasionaliter, quia solum dat occasionem animæ, ut judicet objectum sic apparere; & hoc verum est. Non dat motivum animæ, ut judicet, sic esse objectum, ut apparet; nam anima debet se continere à tali iudicio.*

tio, vel pro illo observare qualitatem mediij inter oculum, & objectum, ut cognoscat aliter objectum esse in se, ac apparet in specie.

10. At objecta posita num. 7. respondemus, oculum per medium vitri rubei videntem manum, eam videre rubram, non quòd manus in se rubra sit, nec hoc judicatur ab oculo; sed quòd species transiens per vitrum rubrum, qualificatur à medio vitreo, & revera apparet rubra, unde sine errore, aut deceptione videt speciem manus rubram. Idem accidit, oculo infecto, nam sentit species, ut affectas qualitibus organi; quare omnia objecta apparent pallida, & sic representantur in specie. Vel die, objecta ista non esse contra conclusionem, quæ concedit, sensus posse decipi circa objectum inadæquatum, quando nõ adsunt conditiones requisitæ ad perfectam sensationem, ut num. 8. dictum est. In præsentia deficit oculo infirmo perfecta dispositio organi; & ideò illi omnia apparent pallida. In casu manus apparentis colore rubeo deficit puritas mediij, nam vitrum rubeum non habet puram diaphantitatem. Et hinc patet ad colores apparentes in iride, & in collo columbæ ex adverso Solis existentis. Videntur, cum tamen non sint; sed provenit ex defectu mediij, quia objectum est improporionate illuminatum, vel dic, esse veros colores ex oppacitate corporis irradiati provenientes, ut patebit q. seq. Ad aliud de Eucharistia dic, oculum

videre colorem, qui ibi est, nec circa illum fallitur. Panis autem, cum sit substantia non est per se sensibilis, & ideò non est sensibile proprium visus. Quare vel oculus nihil iudicat de substantia, cum non sit accidens sibi notum; vel si iudicat, & decipitur, putans ibi esse substantiã, non fallitur circa proprium sensibile, sed circa sensibile per accidens, & hoc non est contra conclusionem. Ex dictis patet pro gustu febricitantis, qui percipit dulce, ut amarum. Est enim ibi læsio organi impediens perfectam sensationem.

Major est difficultas doctrinæ D. Thomæ 3. p. q. 76. art. 8. dicentis, quòd quando in hostia consecrata apparet caro, vel puer, potest hoc contingere per solam mutationem factam in sensu, absque ulla exteriori existente imagine, aut forma pueri: ergo tunc videt oculus puerum, aut ejus formam in re non existentem, per solam speciem oculo impressam à Deo. Quòd si tunc oculus decipitur, videtur Deus causa deceptionis, & hoc est absurdum.

Aliqui respondent, in eo casu oculum non falli circa proprium objectum; quia verè perciperet speciem coloris pueri, & carnis à Deo impressam. Falleretur autem oculus circa præsentiam, vel non præsentiam coloris visus. Ceterum præsentia, & existentia objecti, non est sensibile proprium visus, sed commune ad alios sensus: unde solum falleretur circa sensibile commune.

Alij dicunt, in eo casu mutationem fieri in oculo, sicut fit in oculis infirmis; qui sic affecti qualitate pallida, omnia objecta vident pallida. In casu miraculi Eucharistici, oculi juxta D. Thom. non videt realiter carnem, vel puerum, sed solum. *Immutantur tali immutatione, ac si expressè viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum.* Nec ideo Deus est causa deceptionis, tum quia nulla est deceptio in oculo taliter vidente, ut ex P. August. dictum est. Tum quia hujusmodi visio non inducit animam ad judicandum ibi esse veram carnem localiter extensam, sed ad judicandum, quod verè docet fides, nempe ibi esse veram carnem in quo nulla est deceptio, sed sensus adjuvat fidem.

II. Quæres 2. An sensus sint reflexivi? Est quærere, An sensus possit cognoscere suos actus per actum reflexum? Supponimus, quòd oculus certus est se videre, dum videt; ceterum hoc cognoscit per actum directum, quo videt objectum. Ita exponitur à D. Thom. Philosophus 3. de Anim. text. 31. ubi ait: visum videre, seu sentire suam visionem, ibi lect. 2. dicitur: visus non solum videt colorem, sed etiam sentit visionem coloris. Et quæst. 10. de verit. art. 9. dicit: *Visus, videndo colorem videt, se videre*, id est exercitè per ipsum actum directum.

Communis sententia docet, nullum sensum corporeum posse reflectere super se, nec super proprium actum. Conclusio varijs locis doce-

tur à P. August. observante, quòd licet oculus videre possit omnia visibilia, se ipsum tamen non potest videre; sed visus est nobilior ceteris sensibus: ergo nullus sensus potest se ipsum, aut suum actum reflectè cognoscere. Ad idem Philosophus in præsentem dicens: *Sensus sui met non est, sed alterius, quod debet esse prius ipso sensu.*

Ratio traditur à D. Thom. in 3. dist. 23. q. 1. art. 2. ad 3. ubi ait: *Non potest esse quòd aliqua potentia utens organo corporali, reflectatur super proprium actum, quia oporteret, quòd instrumentum, quo cognosceret se, caderet medium inter ipsam potentiam, & actum, quo primo cognoscebat.* En sensus omnis utens organo corporali, debet habere medium organum inter potentiam, & objectum cognitum; sed oculus, qui est organum visus, non mediat inter potentiam visivam, & actualem visionem: ergo non potest visus videre suam visionem.

Confirmatur. Oculus non potest videre nisi coloratum; auditus non potest audire, nisi sonum, sic de alijs; sed visio non est colorata, nec auditio est sonora: ergo nemo videt suam visionem, nec audit auditio- nem suam. Rursus, necessitas sensus communis probatur ex eo, quòd animal debet percipere sensationes sensuum externorum; sed si oculus videret, se videre, & idem de alijs, nulla esset necessitas sensus communis: ergo cum hoc sit contra omnium sententiam, dicendum est, sensus

ex

externos non reflectere supra suos actus.

Sensus autem interior, qui dicitur communis, verè attingit actus sensuum externorum. Patet experientia, quia in somnis judicamus, nos videre, aut sentire aliquid. Hoc iudicium non est intellectus, quia tunc non datur usus rationis; item non est cognitio elicita ab aliquo sensu externo, nam omnes sunt sopiti, & cessant, durante somno, ab omni operatione: ergo est cognitio ab aliquo sensu interno, qui dicitur sensus communis, quoniam non est determinatus, sed indiferens ad cognoscendas sensationes omnium sensuum externorum.

Tandem quæritur, an sensus lædatur à nimio sensibili? Item, an sensibile positum supra sensum impediatur sensationem? Circa primum sententia affirmativa est communis cum Philosopho 3. de Anim. text. 143. ubi D. Thom. exponit sic: *Quod est excellenter grave, & acutum corrumpit auditum, & excellens saporosum corrumpit gustum, & fortiter fulgidum, vel obscurum, corrumpit visum, & fortis odor corrumpit olfactum, quasi sensus sit quedam proportio.*

Ratio est, quia sensus tendit ad sensibile, ut sibi proportionatum; sed sensibile excellens non est proportionatum: ergo sensibile excellens non percipitur à sensu, sed potius lædit sensum. Observandum, quòd sensibile dupliciter potest sensum lædere; vel destruendo tempe-

riem sensus per influxum physicum, ut ignis applicatus oculo, & Sol nimium feriens oculos, eorum temperamentum dissolvit, & in his casibus sensibile non ut sensibile, sed ut agens physicum lædit sensum. Secundò solet sensibile lædere sensum per actionem intentionalem ipsius, ut dum mittit speciem intentionalem nimis excellentem: & tunc sensibile, ut sensibile lædit sensum.

Notandum, sensationem tripliciter lædi posse, nempe per abolitionem, per hæbetudinem, & per depravationem. Causæ sensationem impediens sunt quinque. Primò, defectus spirituum animalium, secundò operandi desuetudo, tertio, nimia sensus applicatio, quartò noxij humoris affluxio sensorium suffragans, quintò læsio organi.

Quantum ad 2. aliqui docent, quòd sensibile, & sensus petunt medium externum, vel internum, ut fiat sensatio; quare in omni sensu sensibile positum supra sensum impedit sensationem. Ita B. Egidius 2. de Anim. text. 121. dub. 2. D. Thom. cum quo Complutenses, & alij. Videtur mens P. August. lib. 12. de Genes. ad lit. cap. 20. ubi loquens de impedimentis, quibus fit, ne sensus percipiant corporalia, dicit: *Si enim (impedimentum) non fit, nisi ipsis additibus, & quasi januis sensuum, vel ut in oculis, & auribus, ceterisque sensibus corporalibus, sola impeditur perceptio corporalium.*

A ratione multipliciter probatur hæc sententia à nostro Gavar-


T2

di

di, ubi videri potest quæstio pro meritâ disputata, quam hic tantum insinuare contendimus, unde breviter probatur. Sensus omnis indiget speciebus ab objecto missis pro sua sensatione; sed sensibile positum supra sensum nullas species immittit sensui: ergo tunc nulla fit sensatio. Minor patet, quia species intentionalis solum ponitur ad supplendam distantiam, vel absentiam objecti; sed sensibile positum supra sensum, non est absens, sed præsens, & intimè unitum: ergo.

Alij volunt, non omnes sensus exigere medium ad sentiendum, nã solus visus impeditur, quando visibile ponitur supra oculum. Alij dicunt, gustum, & tactum posse sen-

tire sine medio, alij idem dicunt de olfatu. Sic variè sentiunt Mastrius cum Scoto, Suarius, & alij. Sed notandum, quæstionem non procedere nunc de medio externo, ut est aer respectu visus; sed de medio etiam interno, & conjuncto, ut est pellis respectu tactus, & aer internus respectu auditus, & pelliculæ, & cartilaginee, quibus cooperiuntur alij sensus, qui non exigunt medium externum. Hoc notato ferè cessat ratio dubitandi, nam gustus, & tactus nõ ita immediatè percipiunt sua objecta, ut Inter sensum, & sensibile non mediet pellis in carne corporis, & palato; & si detraheretur pellis illa medians, impediretur sensatio, & læderetur sensus, ut patet.



QVÆSTIO TERTIA.

Quid sit, & qualiter operetur potentia visiva, ubi de ejus objecto, & subjecto.

§. I.

Traditur definitio potentie visivæ, & quæ concernunt ejus subjectum, & objectum.

EXCELLENTIA potentie visivæ supra alios sensus, supra insinuata traditur expressè à P. August. lib. 10. Confes. cap. 35. dicente: *Oculi sunt ad cognoscendum in sensibus principes.* Et lib. 11. de Trinit. cap. 1. *Sensus oculorum maxime excellit, & est visioni mentis pro sui generis diversitate vicinior.* Qui-

bus verbis ex majori immaterialitate visus præ ceteris sensibus, qui imitatur visionem intellectualem, probat excellentiam oculorum. Eandem probat ex quo præ ceteris visus percipit in majori distantia, unde ait Epist. 3. *An non in Cælo videt Solem? An sentire non est videre? Cum sit in quinque sensibus ceteris excellentior.*

Supr

Supposita excellentia hujus potentie, diffinitur sic. *Visus Est potentia sensitiva, apprehensiva visibilis in oculo mediante diaphano.* In hac diffinitione visibile ponitur, quod est objectum specificativum visus; ponitur *oculus*, qui est organum, in quo residet potentia visiva; ponitur *diaphanum*; quod est medium, quo fit visio. Constat autem diffinitionem esse optimam, quia traditur per ordinem ad objectum specificativum; potentie autem ab objecto specificantur, & accipiunt suam unitatem specificam, & essentialem. Circa potentiam, & organum, in quo residet, necnon circa objectum plures quæstiones excitantur, quas breviter resolvere tentabimus, ut ad alia properemus.

2. Et primò circa structuram oculorum sciendum est, organum visus, esse oculum, qui membrorum pulcherrimus in sublimiori parte, quasi in specula collocatus est, ut spectare facilius posset, & videre. Ejus structura est ad modum globuli ovalis, & constat tribus humoribus, & quinque tunicis. Humores sunt *Cristallinus, aquæus, & vitreus.* *Cristallinus* est in centro oculi, adeò clarus, & splendens, ut ejus gratia reliquæ partes oculi constructæ videantur. *Aquæus* à parte anteriori cristallino circumfusus. *Vitreus* pellucidus quidem, sed non omnino fluxus, est ejus consistentia; ejus est albumen ovi. Hic in majori copia implet totam capacitatem fundi oculi.

Tunicæ sunt quinque. Prima *specularis*, sic dicitur, quia est lucida, & transpica. Ista circumdat, & continet humorem cristallinum. Secunda dicitur *reticularis*, quia venis, & arterijs est contexta per modum retis. Hæc emergit ex substantia medulari nervi optici, & est mollis, alba, & aliquo modo rubescens, diffundens per universum oculum spiritus visibiles. Tertia dicitur *uvea*, quia est similis pelliculæ uveæ nigricantis. Quarta dicitur *cornea*, quæ est transpica, & dura, sicut cornu. Deservit, ut thorax, & clypeus humorum, præcipuè cristallini. Quinta demum *validissima*, totum oculum continens, & corneæ contigua, dicitur *sclerotica*.

Oculi ita structi, continuantur cerebro per duos nervos, qui dicuntur *obscuri*, & ita descendunt à cerebro ad oculum, ut in media via uniantur, & rursus separati pergant singulus ad singulum oculum. Ex his nervis nascuntur præfatæ tunica, & deferuntur spiritus animales ad oculum, veluti per canales. Ut hæc mirabilis machina, parva mole, sed magna artificio, expeditius moveretur in omnem partem, dati sunt ei sex muscoli, qui sequentibus nominibus recensentur, nempe *superbus, vel attollens*, qui oculum elevat; *humilis*, qui oculum deprimit; & à diversis motibus, & passionibus per eos expressis, dicuntur alij muscoli, *Adducens, abducens, indignantorius, & amatorius.*

3. Si quæras. Ex tam varijs part-

partibus quam sit sedes potentiae visivae? Respondetur subjectari in pupilla oculi, qua parte communicat nervo optico. Ita communis sententia. Eam tradit P. August. lib. 11. de Civit. Dei cap. 27. & lib. de quant. anim. dicit: *Cum autem oculi medium, qua pupilla dicitur, nihil aliud sit, quam quoddam punctum oculi, in quo tanta vis est, ut eo dimidium Caelum, cujus inefabile spacium est, ex aliquo eminenti loco cerni, illustrarique possit.* Et Psalm. 16. *Custodi me Domine, ut pupillam oculi, qua apparet per parva, & exigua; per eam tamen dirigitur acies luminis, quo lux, & tenebrae dijudicantur.*

Ratio communis asserti est, quia inter omnes oculi humores, ac tunicas, pupilla aptior est, ut in illa exerceatur visio; tum ob sui diaphaneitatem, & claritatem, ut in ea recipiantur species intentionales. Tum quia purior est à materia, & corporeitate, & sic magis spiritualizata. Tum quia est ceteris nobilior, & centrum totius oculi: ergo ibi designanda est sedes potentiae visivae.

4. Quæres, cur sit unica potentia visiva, si pupilla est duplex? Rursus. Si species objecti afficit utramque pupillam, quomodo non est duplex species, & duplex visio ejusdem objecti?

Ad 1. respondetur, potentiam esse unicam in duplici pupilla, quia nervus opticus est unitus, ut ibi quidquid intrat per duplicem pupillam uniatur, & sic fiat unica species,

& unica visio ejusdem objecti. Ita D. Thom. lib. de sensu, & sensato cap. 1. lect. 5. ubi dicit: *Principium (intellige radicale) visionis est juxta cerebrum, ubi conjunguntur duo nervi ex oculis procedentes.* Per hoc patet ad 2. Parens August. duplicata organa sensuum admirans, ea vocavit juga quinque, quasi duplicentur organa ad melius portandum onus sensationis. Sic dicit ferm. 33. de verbis Domini, loquens de sensibus. *Quinque sunt, & juga sunt. sed quia juga sunt, in tribus prioribus sensibus facilius apparet. Duo sunt oculi, duas aures, geminas nases. Ecce tria juga. In faucibus, id est sensu gustandi, geminatio quedam invenitur, quia nihil gustando sapit, nisi lingua, & palato tangatur. Voluptas carnis, que ad tactum pertinet, occultius geminatur. Est enim, & forinsecus, & intrinsecus: ergo & ipsa geminata est.*

5. Inquires 3. Quodnam sit objectam potentiae visivae? Respondet communis sententia, objectum materiale esse corpus, susceptivum coloris; objectum autem formale quod esse colorem; objectum tandem formale quo, vel rationem sub qua, esse lucem, quatenus reddit formaliter visibilem colorem. Sic sæpè P. August. explicat communem sententiam, sed præsertim lib. 2. ad Simplicianum q. 1. ubi ait: *Si corpus figuram habeat, colorem non habeat, videri non potest, non quia sit corpus, cui desit color, sed quia si esset, cerni non posset. En color est ratio formalis videndi corpus, & taliter, ut si-*
ne

ne illo corpus nec materialiter attingi possit à potentia visiva. Quod autem lux ista corporea inter colores computanda sit, & formaliter pertineat ad visum, habet S. P. lib. 10. Confes. cap. 8. ubi ait: *In memoria esse lucem, atque omnes colores, formas que corporum per oculos.* Et lib. de moribus Manich. cap. 16. dicit: *Si quærerem, quid ad sensum proprie pertineret oculorum, invenirem colores, quorum principatum lux ista obtineret. Hac enim sunt, qua nullus alius sensus attingit.* Et lib. 10. Confes. cap. 34. Lucem appellavit reginam colorum, quia & ipsa videtur, & est medium quo ceteri colores videantur.

Si dicas. Videtur aliquid, quod non est coloratum: ergo coloratum non est objectum formale visus, saltem adæquatum. Antecedens probatur. Videtur per oculos distantia inter Petrum, & Paulum; sed hæc distantia non est colorata: ergo. Respondetur ex B. Ægid. lib. 1. Metaphys. q. 15. ubi nobilitatem visus præ ceteris sensibus colligit tripliciter, quod potentia visiva percipit etiam differentias loci, quæ sunt: *Longè, retro, sursum, deorsum, deorsum, & sinistrorsum.* Hoc ideo, quia est potentia immaterialior ceteris. Quomodo autem videat ista, quæ non sunt colorata, dicendum est, ea videre indirectè, quatenus videt ærem illuminatum, positum inter Petrum, & Paulum, & indirectè videt distantiam Petri à Paulo. Vel videt negativè, quatenus in-

ter Petrum, & Paulum non videt corpus intermedium, sicut dicimus audire silentium, quando nihil audimus.

6. Quoniam S. P. August. lucem vocat colorem, & eam numerat inter colores, immò vocat lucem reginam colorum, restat videre quid sit color, & quomodo differat à luce. Pro quo notandum est cum B. Ægidio 2. de Anim. text. 66. quod visibile, vel objectum visus, dicitur illud, quod aliquomodo participat naturam lucis. Ut enim ait P. August. lib. 1. Soliloq. cap. 8. *Terra nisi luce illustrata, videri non potest.* Quinque modis potest aliquid naturam lucis habere. Primò potest lucem in se ipso recipere, ut corpus diaphanum, quod est visibile, non per se, sed per lucem in se ipso receptam. Secundò, quia habet in se naturam lucis modo opacato, & obumbrato, ut color, qui propterea dicitur lux opacata. Tertio, quia habet in se naturam lucis in summo gradu, ut Sol. Quarto, quia habet in se lucem clarè, non tamen in summo gradu, ut ignis, & alia lumina terrena. Quintò, quia participat naturam lucis medio quodam inter opacam, & clarum, ut squamæ quorundam piscium, noctiluca, & cetera talia, quæ à Philosopho vocantur *visibilia innominata*, quia non possunt uno nomine nominari.

Ex his colligitur, quod visibile est triplex, nempe *lux, lumen, & color.* Lux est *Qualitas perfundens*

emissa, que cernimus, idest reddens visibilia omnia corpora, quæ oculis corporis aspicimus. Fons lucis est Sol, quia ab illo omnia lucem participant. Lumen est *Corpus participans lucem primariam modo claro, & excellenti*. A Philosopho 2. de Anima text. 69. definitur *Actus perspicui, ut perspicuum est*. Ad lumen reducuntur *splendor, fulgor, & radius*, nam splendor dicitur, quatenus lux reflectitur à corpore denso, & terso; dicitur fulgor, quatenus relucet in aliquo corpore clauso; dicitur radius, quatenus lineam multiplicat, ita B. Ægidius hic text. 76. dub. 1.

Color à Philosopho lib. de sensu, & sensato cap. 3. definitur *Extremitas perspicui in corpore terminato*, vel melius, aut saltè clarius, dicitur ab alijs, *Est lux existens in corpore opaco, que illud reddit visibile*. Secunda definitio est explicatio prima, quia perspicuum est idem, ac clarum, & illuminatum; quare idem est, corpus terminari extremitate perspicui, ac reddi visibile per lucem in ipso existentem.

An autem color generetur à luce, ut docent multi, vel producat ex multiplici admixtione opaci cum diaphano, ut docent alij, dubium est; sed extra controversiam videtur, quod color originem trahit à luce, & nihil est aliud, quàm lux opacata, & ob id rectè colligitur cum P. August. ubi supra, lucem esse colorem splendidissimum, aut reginam colorum.

7. Contra hoc moderni putantes, colorem esse qualitatem secundam, ortam ex mixtione primarum qualitatum, negant, quod lux sit color, & tenent quod color est adæquatè distinctus à luce. Probant 1. quia color habet contrarium, v.g. albedo, & nigredo; lux autem non habet contrariū: ergo lux non est color. Secundo, eadem existente luce, variari possunt colores, v.g. si ad præsentiam ejusdem lucis opponatur jam lana alba, jam nigra; item variata luce, solet idem color perseverare; ut si corpus album illuminetur à Sole, à Luna, vel à candela, ejusdem coloris manet: ergo color non constituitur per lucem.

Hæc levia sunt, & contra definitionem coloris datam à Philosopho, quam omnes admittunt. Ad 1. dic, colores non habere contrarietatem ex ratione communi coloris, in qua conveniunt; conveniunt autem in eo, quod sunt lux opacata; ergo quoad hoc non habent oppositionem, quare nec lux sub ratione lucis, & generica coloris, debet habere contrarium. Contrariantur colores per suas differentias specificas; quare si lux deberet habere contrarium, hoc esset penes differentiam suam. Talis differentia lucis est incapax contrarietatis, quia illi non opponitur alter color, cum omnis color sit participatio lucis: quo fit, ut lux sit color, habens contradictorium, nempe tenebras, non autem habens contrarium, & ideo est regina colorum.

Ad

Ad 2. dic, colores posse variari eadem existente luce, quia in exemplo, posito ab arguente, variantur subjecta participantia lucem, & sic nihil mirum videntur colores. Ad aliud de eodem colore manente sub diversa luce, dicimus, colorem non constitui per lucem exterius illuminantem, sed per lucem opacatam constitutivam corporis ratione colorati. Hinc manet idem album, sive variantur luces exterius illuminantes, sive plene separetur à luce, & ponatur in obscurò; quia tunc solum deficit lux exterius illuminans, quæ non est constitutiva coloris, sed manifestativa illius, qui constituitur per lucem opacatam, quæ manet in colorato, etiam deficiente luce exterius irradiante.

§. II.

Solvuntur aliqua dubia circa lucem, & colorem.

8. QVÆRES 1. An lux sit corpus? Plures antiqui putavere, lucem esse corpus, quos novissimè secutus est Magnanus. Primus docuit hanc sententiam Empedocles, putans lucem esse substantiam, & inter corporalia reputandam. Pro hac sententia alij allegant P. August. Epist. 3. & alijs locis quibus lucem corpus appellat. Ceterum S. P. se ipsum explicat, quo sensu lucem, & colores corpora appellaverit, dicens lib. de Magistro cap. 3. *Ego cum corpora*

153
dicerem, omnia corporalia intelligi volubam, idest, omnia, que corporibus sentiuntur. En P. August. se ipsum explicante, corpus dicitur, quidquid est corporale; & est corporale quid quid percipitur per sensus corporales, cum nullus sensus corporalis possit percipere spiritualia; sed lux, sicut color, percipitur per visum, qui est sensus corporalis: ergo lux hoc sensu corporea est, & potest dici corpus. In hoc sensu P. N. lucem vocat corporalem lib. imperfect. Genes. cap. 5. & serm. 18. de verbis Domini, & lib. 10. Confess. cap. 8. & 30.

Communis sententia cum D. Thom. 1. p. q. 67. art. 1. & 3. docet, lucem non esse corpus. Ratione probatur, quia lux penetratur per totum corpus diaphanum, v.g. per aërem, vel cristallum, aut vitrum, eis immotis; sed unum corpus non potest cum alio naturaliter penetrari: ergo lux non est corpus. Rursus, lux in instanti fertur per spacium vastissimum; sed corpus in instanti non potest localiter transire tam ingens spacium: ergo lux non est corpus. Tandem Sol non est tantæ activitatis, ut possit in instanti producere corpus penè immensum, quale esset corpus lucis, si corpus esset, cum in immensum protendatur: ergo &c.

Quæstio ista agitata est ab Schola Platonica, & Aristotelica, nec unquam decisa, nam ex fundamentis positis constat, lucem non esse corpus: ergo deberet dici spiritus. At hoc

hoc non; quia spiritus non potest percipi per sensus; lux autem per sensus percipitur. Rursus. Lux refrangitur à corpore denso; item quasi resilit in speculo, sicut pila; sed hæc repugnant formæ spirituali: ergo forma lucis spiritualis non est, sed corporea. Dicendum tamé, lucem esse qualitatem corpoream, sed taliter propinquam spiritui; ut sit quasi medium inter corpus, & spiritum. Vnde sicut potentia visiva excedit alios sensus corporales, & est visioni intellectuali vicinior, ut ex P. August. dictum est; ita lux est purior, & immaterialior ceteris qualitibus corporalibus, & sic quasi medium inter corporale, & spirituale.

Quæres 2. An lux per se videri possit? Nemo negat, lucem visibilem, sed dubium est, an sit visibilis, ut quo, quatenus constituit colores visibiles, an autem, & ipsa sit visibilis ut quod? Negat Palanco cum communi sententia, lucem videri, ut quod. Probat, quia in diaphano luce perfusa nihil vident oculi; quod patet: nam si quid viderent, ibi terminaretur visio, nec transiret ad videndum objectum existens ex adverso diaphani; quod est contra experientiam. Tum etiâ, quia lux non est colorata; sed objectum quod visus est necessariò coloratum: ergo lux non videtur ut quod Tandè dum lux videtur in corpore luminoso, non est præcisè ratione lucis, sed quia corpus luminosum reddit aliquem colorem, can-

didum, aut flavum, & ille color videtur ut quod.

Contrarium tenendum est cum P. August. ubi supra nam 6. & est doctrina B. Ægid. 2. de Anim. text. 66. ubi docet, objectum visus esse quidquid aliquomodo participat naturam lucis; ut sunt colores; sed Propter quod unumquodque tale, & illud magis: ergo si colores sunt objectum quod vilus ratione lucis, ipsa lux potiori titulo erit visibilis, ut quod. Rursus, lux est color, immò regina colorum, ut docet S. P. August. Sed color est visibilis ut quod: ergo & lux. Tandem, ideò apud omnes lux est magis visibilis, quàm color, & objectum magis formale, quàm coloratum, quia sine luce non potest videri color, benè tamen lux sine colore: ergo lux est multò magis per se visibilis, quàm color.

Contraria objecta levia sunt. Ad 1. dic, oculum videntem, diaphanum illuminatum ibi non terminare visionem, quia progressus visionis non impeditur à diaphano illuminato, quare transit ad videndū objectum ex adverso positum. Sistit visio in corpore colorato, quia impeditur ab ejus opacitate, ne ultra penetret. Hinc non sequitur, quòd diaphanum illuminatum non videatur, ut quod, sed quòd non sit objectum impediens perceptionem ulterioris objecti. Ad 2. dic, quòd nec color est coloratus, nec albedo est colorata lux. Est tamen lux verus color

color, & sic per se visibilis, immò amplius, quàm alij colores, qui sunt visibiles ratione lucis. Ad 3. dic, corpus luminosum præferre eos colores, ex opacitate corporis adversi, lumine admixta; nec ideò lux videtur ratione illorum colorū, sed potiùs illi colores apparent, & videntur ratione lucis.

Observa, lucem existere realiter in corpore luminoso, vg. in Sole, lucerna, & alijs; at in medio, quod illuminat, non est realiter physicè, sed tantum intentionaliter. Ita B. Ægidius hic text. 76. dub. 1. & in Hexameron p. 2. cap. 12. Hinc sequitur, quòd lux existens in corpore luminoso non videtur per se immediatè, sed sicut alij colores per speciem intentionalem, quæ recipitur in oculis nostris. Id expressè docuit D. Thom. q. 10. de Verit. art. 8. ad 10. dicens: *Ipsa enim lux, quæ est in Sole, non videtur à nobis, nisi per similitudinem ejus in visu nostro existentem.* Id constat etiam ex P. August. qui, ut supra dictum est, docuit manere in memoria lucem, atque omnes colores, formasque corporum per oculos receptas. Ita 10. Confess. cap. 8. sed colores, & lux non sunt in memoria sensitiva secundum suum esse reale, sed secundum esse intentionale per species, & imagines immixtas ab objectis: ergo lux ipsa non videtur per se immediatè, sed mediâ specie intentionali.

10. Quæres 3. An lux requiratur ex parte medijs, an ex parte objecti? Communior sententia re-

quitur lucem ex parte objecti in genere causæ efficientis, adjuvantis objectum ad speciem producendam, & immittendam. Probat, quia nisi color perfundatur luce, non emittit speciem: ergo quia indiget luce, ut adjuvante ad illam emittendam. Rursus. Color non potest ex se ipso educere speciem suam, ut causa adæquata efficiens; nam causa educens formam ex subjecto, debet distingui à subjecto, ex quo educitur: ergo indiget luce, ut causa educente speciem ex ipso colore. Tandem addit Palanco, colorem solum esse causam speciei emissæ in genere causæ formalis; lucem autè determinatam per colorem esse unicam causam efficientem talis speciei. Sicut intellectus agens est unica causa efficiens speciem intelligibilem, eam educens ex phantasmate.

Addit 2. lucem requiri ex parte objecti in genere causæ formalis, ut scilicet constituat colorem completè, & in actu formaliter visibilè. Hoc probat; tum varijs autoritatibus D. Thom. tum etiâ, quia color non est proximè, & formaliter visibilis, nisi luce perfusus. Tum alijs rationibus, quæ sunt sequela assertionis, quæ nobis non probantur.

Quantum autem ad necessitatem lucis ex parte medijs negat Palanco cum pluribus, & probat, quia oculi felium in obscurissimo loco videntur, & tantò magis, quantò medium est magis obscurum. Rursus corpus illuminatum à longe positum videtur clarè, licèt medium

obscurissimum sit, item lumen accensum nocte obscurissima in monte distantissimo, videtur clarè, etsi medium tenebrosum sit: ergo ad visionem non requiritur lux ex parte medij.

Si dicatur in eis casibus mediū perfundi luce remissa. Contrā 1. nam hoc est contra experientiam, quia objecta alia in medio posita, nulla luce illuminantur. Secundò videtur difficile, quòd lux parva illuminet totum medium, quando est distans. Tum tandem, quia si lux exigeretur in medio, quo minor esset lux in medio, eò minùs moveret objectum visum; sed hoc est falsum, quia potius, quòd nox est obscurior, eò meliùs videtur lumen distans.

11. Contrariam sententiam docet N. Gavardi q. 5. de Anim. art. 1. n. 5. tenens, quòd objectum non petit illuminari, sed lux tantum requiritur ex parte medij. Probatur hæc sententia, cui subscribimus. Ibi est necessaria lux ad vivendum, ubi non est actualiter lux; sed in colore est lux actualis, quia color est lux, licèt opacata, ut probatum est; medium autem nec est lux, nec habet lucem ex se: ergo ad visionem requiritur lux ex parte medij, non autem ex parte objecti. Confirmatur. Licèt lux se habeat ad colores, sicut intellectus agens ad phantasmata; at discriminantur, quia phantasmata non habent in se lucem spiritualem, colores autem habent lucem corpoream, nam ab ea originantur, & constituuntur, ut dictum est: ergo

licèt phantasmata non possint percipi ab intellectu possibili, quin illuminentur ab intellectu agente, possunt tamen videri colores per hoc solum, quòd medium illuminetur.

Hinc ad fundamenta opposita respondetur solutionem datam inter arguendam esse sufficientem, nec illam evertunt replicæ ibidem posita. Ad 1. dicitur, quòd objecta in medio posita, aliqua luce illuminantur; sed quia lux illa est valdè remissa, idèd nec lux percipitur, nec ipsa objecta existentia in medio. Ad 2. dic, lucem illam parvam à longè visam, totum medium illuminare, sed ita remissè, ut quòd longior, & distantior est lux, eò remissius medium illuminetur, ècontra ut experientia patet: ergo potius inde probatur medium deberè illuminari, ut videatur objectum. Ad 3. dic, quòd quantò medium minori luce perfunditur, tantò objectum distans, ampliùs movet visum, quia quando medium est obscurius, tunc objecta intermedia non percipiuntur, & sic tota virtus oculi unitur ad videndū unicum objectum luminosum, distans; & cum virtus unita sit fortior, idèd clariùs videtur lumen distans in nocte tenebrosa, quàm in nocte aliquantè clara.

§. III.

Deciditur, an visio fiat per emissionem radiorum.

11. **C**ELEBRIS fuit sententia Platoniorum, & Stoicorum

eorum contra Peripateticos, docens visionem fieri per emissionem radiorum ex oculis. Eam aliquantò accuratiùs expendere placet, ut mentem P. August. liquidò percipiamus. Tenuit Plato, visionem non fieri per receptionem alicujus qualitatis, aut speciei in oculo, sed fieri per emissionem quorundam spirituum, quam sententiam variè explicant Philosophi, alijs dicentibus, eos spiritus pervenire ab oculo usque ad objectum: alijs dicentibus usque ad determinatam distantiam aëris, ubi species visibiles occurrunt; quæ commixtæ spiritibus revertuntur ad oculum, ut ibi visio perficiatur: Valles autem lib. 2. cap. 28. tenens hanc sententiam docet, visionem formari in aëre ab illis spiritibus, qui habent sufficientem facultatem ad illam.

Hæc sententia videtur insinuatà à P. August. varijs locis. Primò lib. 12. de Genes. ad litteram cap. 16. ubi ait: *Lux per oculos sola diffunditur, emicatque in radijs oculorum ad visibilia contuenda.* Deinde lib. de quant. anim. cap. 23. dicit: *Non oculi, sed visus sentit; visus enim se foras porrigit, & per oculos emicat longius quaquam versum potest lustrare, quod cernimus. Unde fit, ut ibi potius videat, ubi est id, quod videt, non unde erumpit ut videat.* Et paulò post: *Emisso visu per oculos video.*

Similiter lib. 9. de Trinit. cap. 5. dicit: *oculus corporis videt alios oculos, & se non videt. Per oculos enim corporis corpora videmus, quia*

radios, qui per eos emicant, & quid quid cernimus, tangunt, restringere, ac retorquere in ipsos non possumus, nisi cum specula intuemur. Quod subtilissimè, obscurissimèque differitur. (Nota bene) Donec apertissimè demonstratur, vel ita rem se habere, vel non ita. Sed quoquo modo se habeat vis, qua per oculos cernimus, ipsam certè vim, sive sint radij, sive aliud aliquid, oculis cernere non valemus.

Pariter lib. 1. de Genes. ad litteram cap. 16. ait: *Iactus radiorum ex oculis nostris cujusdam lucis evidens est iactus, & contrahi potest cum aërem, qui est oculis nostris proximus, intuemur, & emitti, cum ad eandem recititudinem, quæ sunt longè posita, attendimus. Nec sanè cum contrahitur, omninò cernere, quæ longè sunt, desinit, sed certè obscurius, quàm cum in ea obtutus emittitur, sed tamen ea lux, quæ in sensu videntis est, tam exigua videtur, ut nisi adjuvemur extranea luce, nihil videre possimus.* Idem docet serm. 121. de diversis, & lib. 6. Musicae cap. 8. & 7. de Genes. ad litt. cap. 13. & 14.

13. Hæc sententia scædetur 1. ex Aristot. 3. Meteor. cap. 4. ubi adducens experientiam de Antipheronte, cujus imago semper versabatur ante oculos; reddit rationem, quòd visus ejus ob imbecillitatem non poterat aërem propellere: ergo ibi sentit, emissionem fieri ex parte visus. Et confirmatur, ex eodem 5. de generat. animal. cap. 1. ubi ait: *Oculos prominentes nò posse tam procul cernere, quàm qui*

qui in cavo sunt positi, quia horum motus in vacuum non dissipatur, sed rectè meat. Vbi videtur tribuere oculis aliquam emissionem.

A ratione arguit Valles. Si visio perferretur in oculo sine emissionem radiorum, aut spirituum, non posset oculus percipere magnitudinem, aut distantiam objecti; sed hoc est contra experientiam; ergo. Probat maj. Distantia non discernitur per propriam speciem, nec per modificationem speciei sensibilis propriam; nam species non aliter representat objectum remotum, quam propinquum; ergo non restat via cognoscendi distantiam, nisi per emissionem. Eadem est ratio de magnitudine objecti; non enim per speciem representatur magnitudo, cum tamen cognoscatur ab oculo: ergo cognoscitur per emissionem spirituum. Et confirmatur, nam oculi plura contuendo, vel multo tempore attendendo fatigantur, & lassantur; sed hoc non aliunde, nisi quia videndo, aliquid emittunt: ergo &c.

Secundò arguitur sic. Fascinantes inficiunt eos, quos aspiciunt, præsertim teneros pueros: ergo quia emittunt radios malignos ad objectum. Et confirm. quia impossibile videtur, quòd per diaphanum omnia objecta suas emittant species, ac similitudines: ergo visio non fit per receptionem speciei in oculo, immixta ab objecto, sed per emissionem oculi ad objectum. Patet consequ. quia visio non potest fieri,

nisi per unionem potentia cum objecto; hæc unio debet esse per receptionem objecti in potentia, vel accessum potentia ad objectum. Antecedens probatur. Si per diaphanum omnia objecta emittunt species, ac similitudines, jam in eadem partem diaphani conveniret plures species rerum diversarum, & contrariarum, vg. species nigri, & albi, aquæ, & ignis, &c. sed hoc repugnat: ergo. Rursus. Vel objectum unicam tantum speciem mittit, vel plures per omnes lineas ductas ab ipso: si unicam ergo tantum uni oculo deservire potest, & ab alio non posset videri, nã deficeret species. Si plures, & per omnes lineas: ergo cum lineæ ductæ ab objecto, possint esse infinitæ, ita forent infinitæ species objecti, & hoc est absurdum.

Tandem non minus difficile apparet, quòd objectum valde distans, emittat speciem suam, usque ad oculum, quàm quòd oculus emittat radios visuales usque ad objectum: ergo tam impossibile est visio objecti distantis per receptionem specierum, quàm per emissionem radiorum.

14. Contraria sententia est communis cum Philosopho in lib. de sensu, & sensibili cap. 2. quam sequuntur omnes Aristotelici. Prob. Nam oculus recipit species ab objecto, & per hanc receptionem objectum conjungitur potentia visiva, quæ proinde constituitur in actu primo ad videndum: ergo satis habet, ut in se forme visionem. Omnia

nia alia, quæ adduntur, fragmenta sunt, & superflua. Major probatur his argumentis, quibus probatur necessitas talium specierum, & quòd ab objecto immittuntur potentia, de quo infra, dum sermo sit de speciebus. Et confirmatur. Nam ad sensationes omnium aliorum sensuum nihil aliud requiritur, quàm conjunctio potentia cognoscentis cum cognoscibili; quæ conjunctio fit in potentia, medijs speciebus, & in eadem formatur sensatio; neque in alio sensu præter visum ponitur necessitas emissio alicujus rei: ergo neque in visu ponenda est.

Prob. 2. Visio, vel non est actio, ut contendunt aliqui, vel si est actio, est actio formaliter immans, & vitalis; sed emissio radiorum ab oculo in objectum, esset actio transiens; sicut illuminatio, quæ fit per emissionem lucis ad extra: ergo visio non fit per extramissionem radiorum. Et confirmatur. Nam talis extramissio videtur ficta, nam, vel radij emissi, sunt aliquod corpus, & substantia; & hoc est impossibile, quia oporteret tale corpus penetrari cum aere medio, ipso immoto. Item, deberet tale corpus in instanti percurrere immensum spatium medium usque ad Cælum. Vg. & hoc est incredibile. Vel radij visuales sunt qualitas; & præter quæ est inexplicabile, cujus generis sit talis qualitas, etiam est impossibile, quòd parva pupilla oculi habeat tantam efficaciam, quòd qualitatem emittere possit usque ad Cælum, &

Altra. Item videtur impossibile, quòd Cælum, & Astra, tali qualitate afficiantur. Vide P. Suarium lib. 3. de Anim. cap. 17. num. 3. & seqq. impugnantem validè sententiam de emissionem radiorum.

15. In hac quæst. id verissimum censeo, quòd P. August. docuit verbis laudatis 9. de Trinit. c. 3. ubi relatis utrinque opinionibus dicit: *Quòd subtilissimè; obscurissimè que differitur, donec apertissimè demonstretur, vel ita rem se habere, vel non ita.* Temporibus P. August. hoc non fuit demonstratum à Perspectivis sui ævi, nec videtur temporibus nostris adhuc demonstratum. Nam duplici fundamento moventur Peripatetici ad ponendas species, receptas in oculo, & impugnantem emissionem radiorum. Primum est paritas aliorum sensuum, qui nihil emittunt, & tamen sentiunt. Secundum est, summa distantia Cælorum, ad quam non pertingit emissio radiorum, cum tamen visio percipiat Cælos. Verumque fundamentum evertit P. August. dans disparitatem inter alios sensus, & visum.

Nam 9. de Trinit. cap. 3. dicit, auditum, etiam extra se emittente, ibi: *Nam & ipse se foras quodam modo diffundit à carne; unde enim dicimus, foris sonat, nisi ibi sentiamus, ubi sonat?* Ecce etiam auditus se exporrigit, licet non tam longè, nec tam citò, quàm oculus: ergo quia etiam auris sentit per emissionem aeris ex organo auditus.

De reliquis tribus sensibus dicat

cit sic: *Ceteri tres sensus apud te ipsos sentiunt, quamvis de olfactu, utcumque possit dubitari. De gustu autem atque tactu, nulla controversia est, quod ea, quæ gustamus, & tangimus, non alibi, quam in nostra carne sentimus.* Et lib. 4. contra Iulian. cap. 14. dicit: *Ceteri tres sensus corpulentiores, & quoddammodo crassiores sunt, nec se foras projiciunt, sed interius, quod ad eos pertinet, agunt.* En ratio disparitatis visus ad alios sensus, nempe, quod visus est spiritualior, reliqui sensus crassiores, & corpulentiores.

Secundum fundamentum tetigit P. August. serm. 121. de divers. cap. 18. ubi ait: *Quid est ictus oculi? Non quo palpebris claudimus oculum, vel apperimus, sed ictum dicit oculi emissionem radiorum ad aliquid cernendum: mox enim, ut conjeceris aspectum, emissus radius in Cælum pervenit, ubi Solem, & Lunam, & stellas, & sidera contuemur, jam immenso interballo à terra separato.* Si queras. Quomodo tam longè, & tam citò? Interroga Peripateticos, quomodo in instanti Sol, Luna, & stellæ suas mittunt species ad oculos sub lunarium, tam longè distantium? Respondent, eas species esse intentionales, & fieri in instanti ex potentia aeris intermedij. Idem dic, si velis tenere sententiam Plonicam, nempe emissionem radiorum esse intentionalem, & agere in tanta distantia, & tam celeriter, quoniam actio illa intentionalis per radios, aut lucem, quæ est qualitas intentio-

nalis, operatur sine motu.

Et quidem visio Cœli distantis fieri debet, vel per species immixtas ab objecto, vel per radios immixtos ab oculo: ergo vel species debet descendere à Cœlo in oculum, vel radius ascendere ab oculo in Cælum; sed per te species, quia intentionalis descendit in instanti à Cœlo in oculum: ergo si radius visualis ponatur intentionalis poterit in instanti ascendere ab oculo in Cælum. Nec disparitas communiter data à Peripateticis urget. Dicunt enim, objectum distans emittere speciem usque ad oculum, quia adjuvatur à luce, quæ est qualitas efficacissima, & maximæ activitatis; Rursus. Objectum est magnæ molis, cum Sol excedat terram in magnitudine. Nō valet, quia si objectum adjuvatur à luce pro immixtione suæ speciei, etiam oculus adjuvabitur à luce pro emissionem sui radij. Et potiori titulo, quia radius visualis est quædam lux, & lux adjuvatur à luce. Magnitudo autem, & moles objecti nihil conducit ad speciem intentionalem, quæ nullam habet molem. Præterquam quod virtus activa intentionalis imitatur modum, quo spiritualia operantur, quare operatur sine motu, & transmutatione; sed virtus, quam Deus posuit in pupilla est virtus immaterialior ad videndum, quam sit in magno corpore cœlesti ad immittendam speciem: ergo credibilius videtur, pupillam in ictu oculi attingere Cælum per emissionem intention-

tio

tionalem radiorum, quam per receptionem specierum intentionalium, quas Cælum immittit pupillæ.

16. Nihilominus dicendum est cum communi sententia Philosophi, visionem fieri per receptionem specierum, quam non improbat P. August. immò probatur de mente ipsius lib. de quant. anim. cap. 23. ubi diffinit sensationem sensuum externorum sic: *Est passio corporis per se ipsam, non latens animam: ergo sensus externus juxta P. August. percipit objecta, patiando, & recipiendo, non autem agendo.* Sed si visio fieret per emissionem radiorum, visio fieret agendo, ut patet; si autem visio ponatur per receptionem specierum, visio fit patiando, quia recipere est pati: ergo visio ponenda est de mente P. August. per receptionem specierum.

Ad autoritates P. August. in contrarium adductas, dicimus, S. P. docuisse probabiliter sententiam Peripateticorum, non improbando contrariam, quia, ut vidimus, expressè dicit, questionem esse obscurissimam, nec aliquid pro utraque parte esse compertum, & demonstratum. Concedit tamen ubique, visum esse excellentiorem, & immaterialiorem reliquis sensibus, quia attingit objectum in majori distantia. Post visum dicit, auditum eminere, quia etiam distantes percipit sonos; quod aliquando concedit olfactui, quia aliquando distantia recipit objectum. Tandem hoc negat de gustu, & tactu, qui non alibi sentiunt, quam

objecta in carne sua. Hæc ratio majoris perfectionis potentia sumpta ex majori distantia, traditur à D. Thom. & ex ipso explicata est à nobis q. 2. n. 2. Quod si P. August. insinuat visionem fieri, non in oculo, sed ubi est objectum visum, nempe extra oculum; non est sensus, quod visio fiat in aëre medio, vel in loco distanti ab organo visus; sed quod anima operatur se protendens ad percipiendum objectum distans. Ita dicit Paulus: *Nostra conversatio in Cælis est*, ubi loquens de viatoribus in terra existentibus, eos dicit in Cælos conversari; non quod ibi sint, neque in Cælis sit, aut fiat cognitio viatorum in terra existentium, sed quia anima ibi esse dicitur, ubi est objectum, circa quod operatur.

Ad autoritates Aristotelis respondet D. Thom. 1. Philos. ibi locutum, dando rationem juxta principia Perspectivorum sui xvi. Respondet etiam, Antipherontem solū emisisse ex oculis humorem aliquem in modum nebulae, qui conglobatus coram ipsis oculis, & adensatus, speciem ipsius referebat, & reflectebat, quasi speculum; & sic imaginem sui præ oculis habebat, nec poterat ob debilitatem oculorum propellere eam nebulam. Hoc totum alienum est ab emissionem radiorum. Ad aliud dic, Philosophum loqui de immutatione visus ab objecto, quæ magis unitur, quando alterat objectum oculos in cavo positos; nam tunc oculi à paucioribus objectis

immutantur, & sic vivatius vident, quam oculi prominentes, qui immutantur à pluribus objectis, & sic debilitatur, & dissipatur vis cernendi. Hoc patet experientia. Nam ad videndam rem longè distantem palpebras claudimus, aut inspectoriã fuitulam oculis applicamus, ut à sole re, quam videre intendimus, quantum fieri potest, oculi immutentur.

17. Ad rationem Vallesij dicimus, distantiam, & magnitudinẽ non videri per propriam speciem, ut suprã dictum est. Videtur enim major, aut minor distantia, quatenus videtur spatium intermedium, jam majus, jam minus. Et ultra dicta patet etiam experimento, quia de nocte videndo duo luminola distantia, facilè decipitur visus, eò quòd non benè videt spatium intermediũ obscurum. Magnitudo autem objecti percipitur ab oculo, quatenus per angulos visuales venit species ad papillam, in cujus centro fit major immutatio ab objecto magno, quàm à parvo. Ad conf. respondeatur oculos lassari videndo propter attentionem continuã, & debilitatem corporis. Sicut imaginatio fatigatur ex cõtinua operatione, quòd si fortè oculi emittunt aliquando spiritus, non id præstant, ut perficiatur visio; sed defluxus ille spirituum occurrat ex applicatione animæ vehementi.

Ad 2. argumentum dic, aliorum oculos emittere ex se spiritus quosdam, seu qualitatem phy-

sicam alterativam, quæ aliquando maligna est, & subtiliter penetrans artus pueri visi. At hæc qualitas est longè diversa à radijs visualibus; nec per illam fit visio; nam etiam corpora mortua solent emittere noscivas qualitates, nec vident, aut vitaliter agunt per talem emissionem. Ad confirm. dic, species illas in diaphano esse intentionales, & sic non habere contrarietatem. Ob id tales species non fiunt per educationem de potentia subjecti, quia non habent contrarium; nec creantur, quia fiunt ab agente creato, quod non potest creare. Vnde lib. 1. Physic. q. 12. §. 2. n. 15. diximus cum B. Ægidio, tales species neque educi, nec creari, sed merè resultare ex objecto per actionem, quæ non est propriè actio, sed resultantia; assimilatur autem actio illa creationi, quoniam fit in instanti, & sine trãsmutatione subjecti. Ad aliud dic, objectum non unicam, sed plures emittere species; non tamen infinitas, quia immittit species per lineas aliquotas, & designabiles, quæ sunt finitæ, quidquid sit de proportionalibus, quæ infinitæ sunt.

Ad aliud respondetur. Objectum nimis distans mittere speciem usque ad oculum, quia adjuvatur à luce, quæ est magnæ activitatis, & celeritatis. Accedit, quòd objectum distans, si est parvum non videtur, benè tamen si magnum est, nam sic agit in majori distantia: ergo cum pupilla oculi sit parvæ molis, non potest

potest agere per emissionem rãponi debet visio per receptionem diorum in tanta distantia, sed specierum.

XX

QVÆSTIO QVARTA.

Quid sit, & qualiter operetur potentia auditiva, ubi de ejus objecto, & subjecto.

§. I.

Traditur definitio potentie visivæ, & quæ concernunt ejus subjectum, & objectum.

POST sensum visus sequitur potentia auditiva, nobilior reliquis sensibus, quoniam remotius percipit objectum suum, & ex majori distantia in operando colligitur major perfectio virtutis operativæ, ut suprã de visu dictum est. Accedit, quòd auditus plus conducit ad scientias, quàm alij sensus; immò, & ad fidem Divinam, cum dicat Apostolus, quòd *Fides ex auditu.*

Diffinitur auditus. *Potentia sensitiva, apprehensiva soni in aure, mediante aere, vel aqua.* Primò dicitur *potentia sensitiva*, in quo convenit genericè cum reliquis sensibus. Ad dicitur *apprehensiva soni* loco differentia; quia in hoc differt auditus ab alijs sensibus. Dicitur *in aure*, quo indicatur organum in quo fit auditio. Tandem dicitur *in aere, vel aqua*, ad denotandum medium audiendi; constat enim, quòd sicuti terrestria, & volatilia percipiunt sonum, mediante aere, ita pices me-

diant aqua, minùs tamen percipitur sonus in aqua, quàm in aere, ut docet B. Ægid. hìc text. 79. & idè aer est medium magis aptum, quàm aqua. Si tamen vera sit opinio Suarrij lib. 3. de Anim. cap. 19. num. 12. docentis, ignem quoque esse subjectum soni, cujus asserit Authores oblitos, addendus erit ignis diffinitioni traditæ potentiæ auditivæ.

2. Observa quosdam oppondere P. August. quòd docuerit aures posse videre, & oculos posse audire, quod assertum est invertere essentias rerum, cum potentia auditiva per essentiam suam sit determinata ad audiendum, & visiva ad videndum, pro quo natura dedit apta, sed diversa organa juxta diversitatem operationum. Verba P. August. habentur de Gestis Pelagian. cap. 14. ubi ait: *Sunt quadam communia omnibus membris, sicut sanitas, sicut vita: sunt autem alia etiam singulis propria, unde nec auris sensit*

colorem, nec oculus vocis; propter quod dicitur, si totum corpus oculis, ubi auditus? Si totum auditus, ubi odoratus? Quod quidem non ita dicitur, tanquam impossibile Deo sit, & auribus prestare sensum videndi, & oculis audiendi.

Respondemus, S. P. non esse intelligendum, quod sensus audiendi possit esse sensus videndi, sed quod Deus possit invertere naturalem dispositionem corporis, ut ubi sunt aures ponatur sensus visus, & ubi sunt oculi, ponatur sensus auditus; vel mutando organa sensuū, vel faciendo sensus ab organis independentes, vel alio utcumque modo immutando naturalem ordinem operandi sensibilibiter.

3. P. August. lib. 6. de Musica cap. 4. communi sententiæ subscribens, auditivam potentiam diffinit sic per suam actam: *Audire est, cum in corpore anima de sonis patitur.* In hac diffinitione ostendit S. P. potentiam auditivam versari circa sonum, tanquam objectam formale suum; item quod exercitium hujus potentiae vitalis non est actio, sed passio, quoniam anima non aliter audit, nisi recipiendo species soni; recipere autem est pati. Hinc etiam facile comprobatur necessitas specierum pro sensationibus externis, cum anima non possit pati ab objecto distante, nisi per species ab eo immittas, & in potentia receptas.

Propter hoc S. P. lib. 12. de Genes. ad litt. cap. 16. loquens de

speciebus istis, dicit: *Itemque in auditu, nisi auribus percepta vocis imaginem continuo spiritus in se ipso formaret, ac memoria retineret, ignoraretur secunda syllaba an secunda esset, &c.* Et clarius Epist. 3. æquiparans visum auditui, ut ex utraque potentia proportionaliter colligatur necessitas specierum intentionalium ad percipiendum objectum distans, dicit: *Visus, auditusque mirabilem afferunt questionem. Aut quomodo sentiat, ubi non vivit; aut quomodo vivat, ubi non est: neque enim nisi in carne sua est; sentit autem etiam præter carnem suam, dum scilicet, objecta distantia percipit.*

Sonus diffinitur: *Qualitas sensibilis, resultans ex forti percussione corporum solidorum, & ex medij resistantia.* Dicitur *qualitas sensibilis*, & est genus ad omnia objecta sensuū, quoniam omnia sunt qualitates sensibiles. Eam cõnumerat N. Gavardi inter primas qualitates, sicut & lucem. Quod si dicas, Philosophum tantum afferere quatuor qualitates primas, nempe calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem. Respondetur, hoc esse verum de qualitatibus contrariis; sonus autem, & lux non habent contrarium. Convenit sonus cum qualitatibus habentibus contrarium, in eo, quod omnes fiunt per motum, secus lux, de qua diximus fieri in instanti sine motu, & transmutatione. Sonus fit successivè, & per motum contrarium. Ceterum differt à qualitatibus factis per motum, quia illæ manent cessante

sante motu, secus sonus. Dicitur sonus resultans ex forti percussione, quia ad causandum sonum non sufficit percussio levis, & debilis, ut constat. Dicitur *Corporum solidorum, & ex medij resistantia*, ad denotandum tria corpora concurrere ad sonum, nempe corpus percutiens, & corpus percussum; & hæc duo debent esse solida, nam si sint mollia non causant sonum. Debent etiam esse regularia, plana, & concava. Tandem concurrat aer, qui debet esse medius inter percutiens, & percussum, ut ex motione aeris causetur sonus.

5. Dices. Virga percutiens aerem causat sonum, idem de fulgure, & tronu; sed pro isto sono non concurrunt tria numerata, sed tantum percutiens virga, & aer medius, qui vel est percussus, & tunc nihil mediat inter percutiens, & percussum; vel si aer est medium non habet rationem corporis percussi: ergo perperam pro sono designantur duo corpora collidentia, & aer intermedius. Secundò etiam corpora mollia causant sonum, v.g. si scindatur pannus in duas partes: ergo non rectè diffinitur. Tertio, vox animalis est sonus; sed sonus ille non causatur ex percussione corporum solidorum: ergo.

Ad 1. respond. cum B. Ægid. text. 78. dub. unico quod cum virga scindit aerem, aer fungitur vice duorum, quia se habet ut percussum, & se habet, ut medium in quo fit sonus. Nec semper requiritur percutiens, & percussum distinctum à me-

dio. Ad 2. respondetur cum eodem ibidem text. 77. quod corpora mollia non causant sonum per se, sed per accidens, quatenus, quando partes corporis mollis discreti aperiuntur, natura obstat, ne detur vacuum, à quo summè abhorret, & idè facit concurrere partes aeris utrinque, quæ ad invicem se collidunt: ex tali collisione generatur sonus. Hic non à corporibus mollibus, sed ab ipsis partibus aeris per se causatur. Ad 3. constabit solutio infra in quæsito de voce.

6. Organum potentiae auditivæ esse aures, certum est apud omnes. Et licet ab omnibus DD. describatur hic aurium structura cum aliquali varietate, quoniam inter anatomicos quædam non sunt cõperta, placet descriptio facta à nostro Gavardi, quam hic ferè transcribimus. Componuntur aures ex diversis meatibus. Primus est ille, qui videtur exterius, semper patens, tortuosus, obliquus, rotundus, angustus, qui obliquè *myringem*. Accedit ne sonus ingrediens sensum lædat.

In extremo primæ cavitationis est quædam orbicularis membrana, quæ ab aliquibus dicitur *myrinx*, ab alijs *Septum membranæ, & mediastinum*, ab alijs *tympanum*, ab alijs *membrana tympani*. Hæc pellicula subtilissima, siccissima, & densissima est; dicitur tympanum, quia assimilatyr tympano bellico, habet enim in circuito osseum anulum, & habet tenuissimam chordulam transversè

exterius obtensam; ab interiori tympani parte habet appensa tria ossicula, unum ad modum incudis, aliud ad modum mallei, aliud ad modum stapedis: malleus est immobiliter affixus membranae; & idè non est verum, quod aliqui dicunt, nempe malleum ab aere exteriore excitatum, incudem percutere.

Post hunc meatum est concha innata aere plena; hic aer dicitur *implantatus*, & habet similitudinem aeris tantum, quia est animatus: adverte ex Suasio, quosdam negare talem aerem, quoniam non apparet anathomicis. Sed dicendum, talem aerem ratione convinci, quia sicut in oculo est humor cristalinus pro receptione specierum visualium ita in aure ponendum est aliquod receptivum specierum; nec aliud est aere opportunius. Quod si non apparet anathomicis, idè est, quia anathomia fit in cadavere, & per absentiam animae evanescit aer ille.

Deinde est meatus qui dicitur *labyrinthus*, qui ex multis foraminibus, & concavitatibus constat. Postea est *cochlea*, quae quibusdam gydis, & spiris est praedita. Demum est *nervus auditorius*, qui descendit à cerebro ad medium cochleae, & per nervum spiritus animales his partibus communicantur. Hos autem spiritus naturarios esse ad actum audiendi, colligitur ex eo, quod sonus receptus in aure dormientis non sentitur; nervus enim auditorius operatus vaporibus, hos spiritus non si-

nit descendere. Quod si sonus sit fortis, adè ut dormiens excitetur, vapores excutiantur, & fit auditio, quia tunc spiritus descendunt,

§. II.

Dissolvuntur varia dubia circa subjectum, & objectum auditus, ubi de echo, & vocibus diversis.

7. **H**IC quaeritur ubi subjectatur sensus auditus? Prima sententia docet, subjectari in aere, seu substantia spiritusosa, quae concluditur intra tympanum auditus. Probat. Nam potentia auditiva immutatur à sono; sed aer est aptius ut à sono immutetur: ergo potentia auditiva residet in illo aere. Secundò ex D. Thom. lib. de sensu, & sensato lect. 5. ubi ait: *Sensitivum sonorum est attribuendum aeri.*

Aliorum sententia docet subjectari in nervo auditorio ea parte, qua tangit tympanum. Probat. Nam potentia visiva residet in nervo visorio ea parte, qua tangit pupillam: ergo potentia auditiva subjectatur in nervo auditorio ea parte, qua tangit tympanum. Dicendum cum prima sententia auditum subjectari in aere innato. Ita B. Aegid. hic text. 82. Probat. Nam humor cristalinus respectu visus, & aer innatus respectu auditus, se habent uniformiter; uterque enim est substantia animata, expers specierum, sed capax, & apta ad recipiendas

spe-

species; sed humor cristalinus est subjectum potentiae visivae formaliter, nervus autem visorius tantum radicaliter: ergo subjectum potentiae auditivae est formaliter aer innatus, & radicaliter nervus auditorius.

Observa ex dictis quaest. praecedente, quod licet aures sint duae, & quaelibet recipiat speciem soni, non fit nisi unica sensatio sonori; sicut licet duo sint oculi, & quilibet recipiat speciem, fit unica visio objecti. Ratio utriusque est eadem, nempe, quod species intrantes per aures adunantur in eodem nervo auditorio, qui à parte cerebri descendens, unicus est, licet divisus in duos, tendat in ambas aures. Unitas nervi auditorij causa est unice sensationis.

8. Quaes. 2. An sonus recipiatur in corpore percusso, aut percutiente, an verò in aere medio resiliente? Communis sententia docet, sonum esse tantum subjectivè in medio. Ita D. Thom. B. Albertus, Philoponus, Commentator, cum quo uterque Cayetanus hic text. 76. & 77. N. Aegid. ibidem dub. 1. & favet Aristot. toto cap. 8. insinuans, sonum tantum esse in aere.

Probat. hanc sententia. Nam sonus, vel est fractio corporis rarefactibilis, & condensabilis, vel est inseparabiliter annexus huic fractioni; sed corpus rarefactibile, & condensabile est solus aer: ergo sonus est in solo aere. Secundò, corpora sonantia sunt causa efficiens

extrinseca soni; sed causa efficiens extrinseca nequit esse subjectum actionis transeuntis, qualis est collisio causans sonum per expulsionem aeris violentam: ergo corpora sonantia non sunt subjectum soni. Tertio, ita se habet sonus respectu auditus, & corporum sonantium, sicut se habet species visibilis respectu visus, & respectu colorati. Sicut enim mediante specie visibili oculus videt coloratum, sic mediante sono aures audiunt corpora sonantia; sed species visibilis solum recipitur in aere, non autem in colorato, à quo tantum efficienter extrinsecè producitur: ergo sonus, &c.

9. Contrariam sententiam tenent aliqui, quos citat Suarius docentes, sonum recipi in corporibus sonantibus. Eam tenet Averfa, & probabilem putat Mastrius disp. 5. q. 3. art. 1.

Probat. 1. Sonus est in corpore, quod est audibile; sed corpus sonans est audibile, auditur enim campana, tympanum, &c. ergo corpus sonans est subjectum soni. Secundò, in illo recipitur sonus, quod erat in potentia ad sonum; sicut in illo recipitur calor, quod erat in potentia ad calorem, sed corpora sonantia sunt in potentia ad sonum: ergo idem. Tertio, si corpora sonantia essent solum causa efficiens soni; sequeretur, quod diversa corpora sonantia, habentia qualitates expulsivas aeris ejusdem rationis, ut sunt durities, & lenitas, æqualis ictus, eundem sonum causarent. Sed hoc

est

est falsum, quia idem metallum diversimodè fabricatum, caulat diversum sonum: ergo &c.

Quartò per sonum saltem per accidens cognoscuntur corpora sonantia, sicut per visionem coloris cognoscitur objectum coloratum; sed coloratum est subjectum coloris: ergo idem. Quintò, quando aer percutitur à virga, sonus subjectatur in aere, qui est corpus percussum: ergo etiam quando corpus percussum distinguitur ab aere, sonus subjectatur in corpore percusso. Dum autem corpora se collidunt, utrumque est percussum. Sextò, sonus fit in contactu duorum corporum; sed in tali contactu non est aer: ergo idem. Septimo, transacto sono, auditur tinnitus in campana, & fidibus; sed hic tinnitus nihil aliud est, quàm sonus receptus in campana, & fidibus: ergo &c. Alia argumenta adducuntur à Suario pro hac sententia, quorum solutio pendet ex dicendis pro hic positis. Unde illa pratermittimus.

10. Nobis cum B. Ægid. tenenda est prima sententia quæ confirmatur: nam sonus non est quid permanens, sed transiens per aerem, usque ad determinatam distantiam: ergo in aere recipitur, & non in corporibus solidis. Et urgetur in cimbali percussione. Licet enim æs illud uniformiter, & constanter per severet, non tamen sic sonus, qui potius per diversos ictus à nobis percipitur; sed hoc idè est, quia aer intra cavum æris hinc inde ad late-

ra allissus, varijs ictibus varios reddit sonos: ergo cum varietas soni correspondeat non varietati æris, sed varietati æris moti, dicendum est, aerem motum esse subjectum sonus. Tandem si corpora se colliderent in vacuo, nullam eformarent sonum, quia non esset in vacuo aer resiliens: ergo quia subjectum proprium soni est aer. Addendum cum Suario probabile esse, quòd aliquid soni subjectatur etiam in corpore sonante; id enim in ære, campana, & fidibus, non leviter suadetur; & hoc saltem suadent fundamenta contraria.

Ad ea ut posita sunt num. 9. respondetur: & ad 1. dic, quòd sicut species visibilis non est in objecto visibili, nisi efficienter: ita sonus non est in corpore audibili, nisi efficienter. Ad 2. dic, sonum esse subjectivè in illo subjecto, quod est rat in potentia passiva ad illum; & hoc est aer intermedius. Campana autem ante quam sonaret, erat in potentia activa ad sonum, non autem in potentia passiva. Ad 3. dic, inter qualitates expulivas aeris numerari concavitatem, planitiem, & regularitatem; idem autem metallum, vel lignum, si diversimodè fabricatur, non habet eandem concavitatem planitiem, &c. & idè non producit eundem sonum. Observa, quòd aliter sonat argentum, aliter aurum, aliter vas fictile; ceterùm hæc diversitas non probat, quòd sonus recipiatur in eis corporibus; sed quòd pendet ab eis, ut à causa efficiente: & quia caula effi-

efficientes variantur, variatis metallis, diversus resultat sonus.

Ad 4. concess. maj. & min. nego consequ. quia ut notat Gavardi variatur medium in minori, ubi ponitur pro medio color, cum tamen in majori ponatur visio coloris. Si tamen perfectus fiat syllogismus, probatur nostra conclusio. Nam tunc arguitur sic. Sicut per visionem coloris cognoscitur coloratum, ita per sonum cognoscitur corpus sonans; sed visio coloris non est in corpore visibili: ergo neque sonus est in corpore sonante. Ad 5. concessio antecedenti, nego consequ. Disparitas est, quòd sonus solum recipitur in subjecto, quod frangitur per rarefactionem, & condensationem; sed hoc non est corpus percuiens solidum; distinctum ab aere intermedio; bene tamen dum aer virga percutitur, nam tunc aer percussus est rarefactibilis, & condensabilis: ergo tunc subjectum percussum est etiam subjectum sonus, secus autem de corpore solido.

Ad 6. dic, sonum fieri efficienter contactu duorum corporum; non autem formaliter, quia sic constituitur per aerem interceptum, à quo pendet, ut à subjecto. Ad 7. dic, tinnitum, qui auditur, existere in aere circumstante, & proximo ipsi campanæ, & fidibus, non autem in ære campanæ, & chordis. Sicut calor prius cessat in partibus remotis, quàm in proximis; ita sonus prius cessat in partibus remotis, quàm in propinquis; & inde evenit, tin-

nitus campanæ nimis duras.

11. Quæres 2. An solus aer sit medium susceptivum soni. Communis sententia docet, non solum aerem, sed etiam aquam posse esse susceptivum soni. Probatur experientia, quia pisces inter aquam audiunt voces, & nè terreantur, servant piscatores silentium; sed sonus vocis nequit pervenire ad pisces, nisi aqua sit susceptivum, & delativum soni: ergo.

Nec obstat, quòd homo intra aquam non audit. Tum quia experientia ista non est certa, cum ibi saltem magnas voces percipiat. Tum etiam quia si ibi non audit, causa est, quia organum auris læditur elemento extraneo. Tum tandem, quia sicut dicitur, hominem non audire intra aquam, dici potest, quòd ibi nec videt. Inde tamen non bene colligitur, quòd aqua non sit susceptiva specierum visibilium, quia evidenter constat, pisces intra aquam videre.

Suarius defendit etiam, ignem esse subjectum soni. Quòd probat experientia: nam si quis violenter dividat flammam, vel si intra illam duo corpora solida se concutiant, non minor caufabitur sonus, quàm intra aerem. Accedit ratio. Nam subjectum soni debet esse rarefactibile, & condensabile; at ignis est magis rarefactibilis, quàm aer: ergo quantum est ex se est aptior ad deferendum sonos, quidquid sit ob nimium calorem, & siccitatem læderet organum auditus, si immediatè defere-

ret sonitum ad aures. Magister Palanco insinuat; corpora etiam solida esse capacia soni, ductus experientia quadam, quam probat. At standum est communi sententiæ, quæ solum aerem, & aquam ponit pro subjecto sonus. Quod si in igne fiat sonus, non est ratione propriæ raritatis, sed quia in igne rariore continetur aer, qui est condensabilis, & potest resilire, dum corpora solida se se percutiunt. Res est parvi momenti, in qua dic: quidquid velis.

11. Quæres 3. An ad percipiendam sonum, necesse sit, quod motus realis aeris perveniat ad aures? Affirmat Albertus Magnus q. de auditu referens Avicenam 6. naturalium, & favet Philosophus 2. de Anim. text. 81. dicens, sonativum esse, quod facit audire, quod movet continuè aerem usque ad auditum. Et text. 82. dicit internum, aerem tympani auditus moveri, & agitari à sono; quo satis indicat realem aeris commotionem debere ad aures pervenire. Eandem sententiam tenet Palanco, eam confirmans experientia, qua sentimus, hominè non percipere, si sit intra cristallum, aut vitrum, voces extrà prolatas. Qui tenent sonum subjectari in corpore sonante, docent, sonum tantum intentionaliter deferri per aerem in loca distantia. Ceterum cum hæc sententia supra impugnata sit, nunc in ea immorandum non est.

Communis sententia docet, sonum primò diffundi realiter usque ad certam distantiam, quæ major

est, quo major est violentia collisionis corporum. Ceterum ab illa determinata distantia usque ad aures, multiplicatur sonus intentionaliter per species intentionales. Hæc sententia probatur 1. experientia, qua audimus res longè sonantes; nec tamen est credibile, quod motus aeris in tanta distantia perveniat ad nostras aures. Secundò, si sonus distans non pervenit ad nostras aures intentionaliter, sed realiter, vel percipitur idem realiter numero, qui fuit genitus prima aeris percussione; vel ille, qui per successivam partium aeris agitationem generatur propè auditum. Primum est impossibile, quia unica pars aeris non potest deferri ad loca tam distantia, ut in omnibus locis audiatur. Secundum est falsum, quia omnes audiunt in diversis partibus distantibus eundem sonum; qui non esset idem, si subiectaretur in diversis partibus agitatis. Tandem suadetur à paritate objecti visibilis, quod intentionaliter defertur in visum distantem, quia potest immittere species intentionales: at etiam sonus potest eas immittere juxta communem sententiã: ergo ultra certam distantiam motus realis aeris, defertur sonus intentionaliter.

Nec obstat, quod homo intra vitrum clausus, non percipit voces extrà prolatas. Nam præter quam quod id non est verum de magno sonitu, qui percipitur etiam ab incluso intra domum, quoniam per corpus solidum parietum transit vox,

si

si valida est per poros parietis, quod de vitro cristallo habentibus poros concedendum est. Dicimus insuper, sonum existentem realiter in aere commoto, usque ad certam distantiam, multiplicari etiam intentionaliter ad certam distantiam, si non inveniat impedimentum aeris, in quo species intentionales sunt, & deferuntur. In casu autem hominis clausi intra cristalla, adest impedimentum, ne ab ipso deferantur species intentionales. Ad auctoritatem Philosophi respondet Suarius ibi contendere sonum debere immutare auditum, sed non semper realiter, sed aliquando intentionaliter.

13. Quæres 4. An sonus multiplicet species intentionales ibi in loco, ubi primò producitur realiter, an verò in ultima parte certæ distantia, ubi desinit esse realiter, & tantum est intentionaliter? Pro quo nota cum D. Thoma hæc, quod sicut missio lapide in aquam, fiunt girationes, & circuli, qui circa locum percussiois sunt parvæ, & fortes; in partibus autem remotis circuli sunt magni, & debiles, usque dum motus aquæ evanescit, & girationes cessant. Ita dum corpora sonantia se se percutiunt, aer intermedius girat, & ab eo ducuntur circuli, qui quo magis distant à loco percussiois, eò sunt majores, sed debiliores, usque dum evanescunt, & plenè cessat aeris commotio.

Suarius allegans pro se D. Thom. docet sonum in loco, ubi primò incipit esse realiter, ibi inci-

pere etiam producere species intentionales. Probat, quia sonus à principio suo est objectum per se sensibile: ergo à principio multiplicat species intentionales. Patet consequens primò, quia est agens naturale, unde agit, quantum potest, & quando potest; nec enim minus potest in suo principio, quam dum desinit esse realiter. Rursus. Color ibi, ubi primò est, producit suas species: ergo & sonus. Confirmatur primò, sonus, alijs etiam non multiplicatis, audibilis esset; aliorum verò multiplicatio per girationes explicatas, est illi per accidens: ergo primus sonus est per se diffusivus specierum: ergo à principio illas diffundit.

Contraria sententia est B. Egidij hæc text. 64. eam docet N. Venetus text. 78. Albertus, Thienensis, Cayetanus allegans S. Thom. & Alexandrum, & probatur 1. quia natura non facit superflua; sed superflua est species intentionalis objecti, quando datur præsentia realis illius, at contingit in sono, ubi primò incipit, & in toto aere commoto usque ad ultimam girationem: ergo sonus non producit species intentionales, ubi primò incipit, sed ubi ultimò desinit esse realiter. Et confirm. Nam si sonus, ubi primò incipit, ibi produceret species intentionales, ibi eas produceret in instanti, ut patet in colore, & objecto visibili; item, quia species illæ non habent contrarium, nec resistantiam passi, quare fiunt sine motu, & transmutatione: ergo fierent

in instanti; sed hoc est falsum: ergo non producuntur à primò sono. Probatum min. Si sonus ubi primò incipit produceret species, & eas immitteret in instanti, audiretur sonus in instanti; sed hoc est contra experientiam, qua videmus in instanti concussationem distantem, sed non audimus tonitrum, nisi post temporum morulam, eò majorem, quo nubes magis distat: ergo licet objectum visibile ibi producat species, ubi primò est, secus sonus.

Ex his facile respondetur ad rationem Suarj. Concedimus, sonum esse per se sensibile, & agens naturale potens producere species; ceterum negamus, quòd eas possit producere, ubi primò est: tum quia nihil deservit ibi, ubi datur præsentia realis objecti. Tum, quia experimento constat, eas ibi non producere, sed post morulam temporis, quantam requirit motus aeris girantis. Nec urget paritas objecti visibilis, nam hoc non potest habere præsentiam realem, nisi ubi primò est; quare pro locis contiguis, & distantibus, petit species, quibus præsens fiat intentionaliter. Sonus autem per continuas girationes, usque ad certam distantiam existit realiter præsens: ergo solum ultra illam exigit species pro præsentia intentionalis.

14. Hic nota pro *echo*, quòd sicut girationes aquæ, si impetant in corpus solidum, reflectuntur; ita girationes aeris. Cum ergo si percussio aeris fiat in valle, aut planitie

inter montes, & altitudines, necesse sit, quòd girationes aeris impetant in montes à latere existentes, idè necesse est, quòd aer resiliens reflectatur ad primò locum. Tum fit duplex vox prima, & principalis, quæ fit ex commotione directa aeris in circumferentia: secunda, quæ resultat ex amotione reflexa aeris à montibus, ad locum primæ percussionis. Hæc vocatur *echo*. Et si pluries fit reflexio, toties sonus apparet diversus. Testantur aliqui Bruxellis in Pallacio Præregis, *echo* exaudiri repetentem usque ad sex decim vices. Et observa, quòd sonus in parte mota, qua tenet directè, existit realiter; dum autem reflectitur, & formatur *echo*, existit sonus intentionaliter.

15. Quæres tandem de voce, & organo vocis, quid sit, & qualiter formetur? Pro quo nota, quòd sonus alius est perfectus, & iste est vox; alter imperfectus, qui scilicet formatur à rebus inanimatis. Sonus perfectus, qui dicitur vox est proprius animalium, quæ pulmonem habent, ac respirant. Instrumenta, quibus hæc vox formatur sunt quinque. Primò *pulmones*, qui veluti folles aerem attrahunt, & vi muscutorum thoracis expirant, & vi magna propellant. Pulmones ergo sunt organum respirationis, quia ut propinqui cordi, participant calorem, quem necesse est temperari aere respirato. Secundum est *Pulmonaria fistula*, quæ dicitur etiam *Aspera arteria*, seu *trachea*, & est quidam canalis

nalis ingrediens pulmones, cujus caput dicitur *Larynx*; hæc est organum vocis situm in medio colli. *Larynx* ista est tertium instrumentum; & in parte anteriore colli se prodit in sternutis: in ea sunt tres cartilagines, veluti vasa quædam intertexta musculis, ut facile possint dilatari, & comprimi. Quartum instrumentum est particula quædam, quæ dicitur *Epiglottis*, hæc est quasi operculum *Laryngis*, atque asperæ arteriæ, nè illuc subintret cibus, potus, aut quæcumque in stomachum inferenda sunt. Hæc elevatur, aut deprimitur suis musculis ad formandam vocem. Quintò concurrit palatum, quasi quoddam vocis refractorium, deserviens ad augendam vocem.

Ex his omnibus aggregatur integrum instrumentum ad formandam vocem, simile fistulæ, ut ait *Galenus* lib. 7. de usu partium cap. 13. nam aspera arteria est quasi fistula; pulmo correspondet buccis aërem mittentibus; *Laryngis* lingula correspondet foramini superioris partis fistulæ, cui os canentis admoveatur; & sicut immisso aere, foraminibusque modo apertis, modo clausis, variatur sonus; ita *laryngis* rimula dilatata, vel compressa per suos musculos, varia emititur vox, quæ sic formatur. Primò aer musculis thoracis, & pulmonis vehementer compressus spiratur; hic in *larynge*; & lingula, via nimis angusta, amplius comprimitur ad aërem ibidem contentum: oportet enim ad formandam vocem, quòd aer ex

ternus in laringe retineatur, & internus impellatur, ut ex eorum collisione majori, vel minori major, vel minor vox eformetur.

16. Hinc definitur vox ex *Aristot.* sic: *Est sonus ab anima educus per vocalem partem, cum imaginatione aliquid significandi.* Pro hujus explicatione notandum, quòd mittere vocem est commune homini, & eis brutis, quæ habent pulmonem, & asperam arteriam. Hinc pisces, & animalia exanguia, sunt muta, & non immittunt vocem; quòd si sonos quosdam efficiunt, non est vocalis arteria, sed alijs instrumentis, ut branchiis, aut fistulis, &c. Animalia ergo, quæ per proprium instrumentum vocem emittant, id faciunt cum imaginatione significandi mentem, aut affectum internam, aut saltem ob delectationem, ut in hominibus accidit, et etiam avibus canotis. Nec est necessaria significatio ad placitum, sed sufficit quælibet naturalis. Ob id *P. August.* lib. 2. de doctrina Christi. cap. 2. dicit: *Habent etiam bestia quædam inter se, signa, quibus prodant appetitum animæ sui; nam gallus gallinatus, reperto cibo dat signum vocis gallinæ, ut accurrat; & columbus gemitu columbam vocat, & ab ea vicium vocatur.*

Observe, quòd tussis excluditur à definitione vocis per illam particulam *Cum imaginatione aliquid significandi*, nam tussis non ordinatur ex se ad aliquid significandum, nec formatur voluntariè, sed est quæ-

quædam inordinata, & coacta aeris emissio. Quod si ex impositione a liquorum ordinetur ad aliquid significandam, tum analogicè participabit vocis officium.

Locutio humana supra vocem addit articulationem, & distinctionem, qua diversæ syllabæ, & dictiones componantur; unde ultra instrumenta vocis explicata concurrunt lingua, & labia, ut in eis lo-

cutio perficiatur. Philosophus 1. politicior. cap. 2. & 11. Problemat. docet Patetorum, & similiarum voces, immò, & hominum dormientium non esse perfectam locutionem, sed materialiter sumptas esse locutiones similes. Omittimus divisionem soni in gravem, & acutum, sicut omittimus divisiones colorum, quia sunt omnibus perviæ.



QVÆSTIO QVINTA.



De olfatu, gustu, & tactu.



§. I.

De olfatu, ejus objecto, & de odoribus.

1. **D**iffinitur olfatus: *Potentia sensitiva, apprehensiva odoris per nares mediante aere, vel aqua.* In hac diffinitione indicatur, quod objectum olfatus est odor; organum autem sunt nares; medium autem est aer, vel aqua. De aere constat, de aqua evidenter probatur, quia non sola animalia terrestria odorem percipiunt, mediante aere, sed etiã pisces odore moventur ad inquirendum alimentum, quod ab ipsis longè distat in aquis, ut docet B. Egidius cum Philos. text. 97.

Odor diffinitur à Philosopho: *Qualitas secunda ex certo temperamento primarum qualitatum, in quo sic cum comprehendit humidum, causata.*

Dicitur *qualitas* ad excludendam sententiam asserentium, odorem formaliter esse vaporem substantialem exhalatum: quod probant, quia nõ aliter corpora emittunt odorem, nisi per exhalationem, & evaporationem; nec odorant, nisi afficiantur calore, quia evaporatione calore fit, & frigore impeditur. Secundò, quia res odoriferæ, ut incensum, & alia aromata, emittunt odorem per fumosam exhalationem visibilem: ergo idem de alijs, licet eorum exhalatio debilior visibilis non sit. Tertiò, quia exhalatio non est puræ qualitatis, sed substantiæ, & patet, quia res odoriferæ, quo magis emittunt odorem, eò magis amittunt de propria

pria substantia. Et confirmatur, quia in aliquibus regionibus homines odoribus aluntur; & in nostris reficiuntur odore vini generosi, & eo ægri vitales spiritus resumunt.

Nihilominus dicendum, quod odor non est substantia exalata, sed qualitas; tum, quia substantia non est sensibilis per se, sed ratione accidentis; odor autem est sensibilis per se. Tum etiam, quia odor per se immediatè movet sensum odoratus; sed hoc non potest convenire substantiæ, quæ in veriori sententia non est immediatè activa, & operativa. Tum tandem, quia substantia exalata non semper pervenire potest ad olfactum, ut semper venit odor. Accedit, quod in Eucharistiæ Sacramento manet odor vini sine substantia, quam, fides docet, esse destructam: ergo quia ibi edocemur odorem non esse substantiam, sed qualitatem.

Nec oppositum benè probatur: nam admissio, quod in evaporatione, & exalatione, etiam evaporatur substantia subtilior rei odoriferæ; odor non consistit in ipsa substantia, sed in qualitate evaporata. Quod dicitur de hominibus odore nutritis, jam supra à nobis negatum est ex vera Philosophia. Odores enim recreant, & reficiunt spiritus vitales, & animales, ut minus indigeant de alio alimento. Hoc faciunt, quia habent vim conservandi humidum radicale in suo vigore, ut de illo minus deperdatur, & sic sit minor indigè-

tia alimenti. Vinum odore suo recreans spiritus vitales, id non facit per nutritionem, sed per virtutem confortativam, & per calorem similem valdè calori vitali, & naturali, vi cujus corroborat calorem naturalem, & propellit contrariam frigiditatem, quæ supprimebat calorem nativum. Hic effectus non probat, quod odor sit substantia, nam fat est, quod sit qualitas, & virtus substantiæ.

2. Dicitur *secunda* qualitas, quia odor non est aliqua ex primis qualitatibus; nam illæ sine odore reperiuntur, ut patet in calore, frigore, siccitate, & humiditate, quæ sunt primæ qualitates, sed nulla odorabilis. Est ergo odor qualitas secunda, *Causata ex certo temperamento primarum qualitatum*, quia odor causatur ex permixtione primarum qualitatum. Et quia non qualibet permixtio causat odorem, aliter omnia mixta essent odorabilia; idè sola mixtio certa, & determinata, in qua *siccum* comprehendit humidum, ipsum excedens, causat odorem. Quod ita sit, patet, quia res odoriferæ tum præcipuè odorem emittunt, quando calore solis, vel ignis exsiccantur. Tum etiam, quia res odoriferæ in eis regionibus generantur potissimè, quæ siccæ sunt, ut in Arabia, Ethiopia, & India. Nec sufficit siccitas, sed requiritur humiditas in inferiori gradu; nam summa siccitas impedit odorationem, ut patet in cineribus, in terra summè sicca, & alijs, quæ non emittunt odo-

odorem, nisi aspergantur aliquali aqua. Accedit, quòd emissio odoris resultat ex cõsione, qua calor decoquit humidum, unde evaporatur odor, calore digerente humiditatem.

Dices: primò odor juxta Philosophum est *formalis evaporatio*, sed vapor est substantia: nam vapor migrat de subjecto ad aerem, accidens autem non migrat de subjecto in subjectum: ergo odor non est qualitas, sed substantia. Secundò odor producit odorem sibi similem; aer enim ex Philosopho redolet odores; & corpora odorifera producant odorem in corporibus non odoriferis juxta positis; sed qualitas secunda non producit qualitatem sibi similem, ut patet in albedine: ergo odor non est qualitas secunda. Tertio, una, & eadem res potest esse sapida, & odorifera; sed in sapore humidum prævalet sicco: ergo in odore siccum non prævalet humidum; aliter in eodem subjecto idè prævaleret, & non prævaleret. Confirmatur: nam multa corpora, in quibus humidum prævalet sicco, sunt odorifera, ut aquæ stillatæ; ergo idem. Rursus, In re odorifera calor prævalet humido; sed calor est qualitas prima, & principalis: ergo odor potiùs causatur ex calore dominante, quàm ex siccitate.

Respondetur, quòd odor est *causaliter formalis evaporatio*, non formaliter; nam sæpè evanescit odor, & manet vapor. Ad 2. dic, odorem ratione vaporis producere o-

dorem, quatenus corpora odorifera emittunt vapores in corpora non odorifera. Ad 3. dic, quòd una, & eadem res secundum partes crassiores est sapida, & secundum subtiliores est odorifera: nec inconvenit, quòd eadem res secundum diversas partes suscipiat opposita. Ad 1. confirm. dic, quòd aqua stillata, cum non sit aqua pura elementaris, sed mixta, idèd habet annexam siccitatem, quæ prævalet humiditatè, & sufficit ad causandam odorem. Ad ultimum dic, quòd siccitas magis prævalet humido, quàm calor; prædominium autem sumi debet ab eo, quod magis prædominatur.

3. Si quæras, an odor sit in medio realiter, vel intentionaliter? Respondet Palanco debere esse realiter, probat, quia si solum esset intentionaliter, sicut colores sunt in aere, odor in instanti perciperetur, sicut in instanti fit visio; sed hoc est falsum, quia experientia docet quòd odor non venit in instanti; sed successivè, à re odorifera usque ad nares: ergo non percurrit medium aerem per species intentionales, sed per realem existentiam in medio, quæ successiva est. Advertit, quòd intra ipsum sensum non ingreditur odor realis, sed species ejus; quia sensus ab odore non alteratur realiter physicè, sed purè intentionaliter.

Dicendum cum B. Ægid. text. 100. dub. 1. & 2. odorem esse realiter usque ad illam distantiam, ad quam extenduntur vapores; ubi autem vapores desinunt esse, odor est in

in medio intentionaliter. Ita dictum est de sono quæst. præced. num. 12. Hæc sententia B. Ægidij communior est apud Philosophos contra Avic. quem sequuntur Hurtado, Arriaga, & alij negantes species intentionales.

Probatur prima pars. Eo usque odor habet esse realiter in medio, quo usque durat subjectum odoris; odor enim est qualitas, quæ sine subjecto esse non potest; sed vapores sunt subjectum odoris, vapores enim sunt subtiles substantiæ evaporatæ à corporibus odoriferis, secum deferentes qualitatem odoris: ergo odor habet esse realiter in medio, usque dum vapores extenduntur. Rursus. Eo modo defertur odor per vapores, sicut sonus defertur inter motum aeris resilientis; sed sonus est in aere realiter ad illam distantiam, ad quam pervenit motus aeris gicantis; ultra autem sonus est tantum intentionaliter: ergo odor existit realiter in omni spatio, ad quod perveniunt vapores; ultra autem existit intentionaliter. Secunda pars probatur contingit aliquando absque vento sentiri aliquod odorabile in partibus remotis, ad quas non possunt pervenire vapores: ergo ibi existit odor intentionaliter. Rursus. Implicat, accidens existere realiter sine subjecto; sed subjectum odoris non est aer, sed vapor: ergo ubi non perveniunt vapores, odor non est realiter, sed intentionaliter. Nec arguet ratio in contrariu, quæ soluta est ex dictis de sono. Odor non

sentitur in instanti, sed successivè, quia primò incipit existere realiter in vaporibus successivè percurrentibus.

4. Quæres tandem de organo odoratus. Respondemus, esse nares, quæ dividuntur in partem *osseam*, quæ est superior, & *cartilagineam*, quæ est inferior. Ascendunt narium foramina in duas vias, unam, quæ ducit ad *cerebrum*, & per istam expurgatur cerebrum, & deferuntur odores; aliam, quæ ducit *ad finem palatus*, & *ad guttur*, & per istam transit aer respiratus, usque ad cor.

In summitate nasi sunt duo parva tubercula, mammillis similia, & idèd dicuntur *Processus mammillares*, vel *papillares*. Ista tubercula vocantur etiam *Caruncula*, quæ sunt propinquæ cerebro, supra quas est quædam pellicula, seu tunica ex sanguis continuata cum tunica; quæ ducit ad palatum, & guttur. Subtus carunculas invenitur os quoddam, habens plura foramina, & duo ex illis sunt alijs majora, correspondentia foraminibus narium. Hoc os vocatur *Cribrum*, seu *os spongiosum*. Ad has carunculas descendunt duo nervi à cerebro, per sensum communem, deferentes spiritus animales, & transmittentes species odorù ad sensum communem.

Communior sententia paucis exceptis, asserit potentiam odorativam subjectari in his carunculis. Ita B. Ægidius hic text. 93. asserens, quòd cum istæ caruncule propter frigiditatem cerebri, vel propter alios

lios humores frigidus, ascendentes, vel descendentes, indurantur, ita ut in eas non possint imprimi species, tunc homo nequit percipere odorē: ergo quia potentia odorativa residet in his carunculis. Et confirmatur. Nam aliæ partes, ex quibus nasus componitur, sunt nimis terrestres, & solidæ, quare non sunt habiles ad recipiendas species: ergo sensorium immediatum odoratus, & organum potentie odorativæ sunt duæ carunculæ.

§. II.

De gustu, sapore, & medio ad sensationem gustativam.

3. **G**USTVS diffinitur: *Potentia sensitiva, apprehensiva saporis in lingua, mediante humido salivali.* In hac diffinitione tria explicantur, nempe objectum gustus, quod est *sapor*, organum, quod est *lingua*, & medium, quod est *humor salivalis*.

Sapor diffinitur: *Qualitas secunda, orta ex humido aquo, & sicco, & terrestri, per se immutativa sensus gustus.* Dicitur *qualitas secunda* modo quo dictum est de odore. Dicitur *ex humido aquo*, quia sapor non sentitur, nisi mediante humido, actuali, vel potenciali, quod scilicet mediante calore linguæ potest faciliter fluere. Ob id P. Augustinus lib. 3. de Genesi ad litt. cap. 4. dicit: *Gustum accipiunt isti fluxibilibus, & corpulentis humoribus; nam*

quocumque in ore sapiunt, ipsius oris humori commiscantur, ut sapiant, etiam si arida, cum acciperentur, fuisse videantur.

Dicitur *siccio terrestri*, non autem *siccio igneo*, quia siccitas terrestris durat, siccitas ignea facit spiritus exalare. Additur & *calore*, quia cum sapor oriatur ex permixtione primarum qualitatum, debet etiam calorem includere. Ob id P. August. ubi supra dicit: *ignis tamen omnia penetrat, tandem dicitur: immutativa sensus gustus*, ut innotescat, saporem esse objectum formale specificativum potentie gustativæ.

Species saporis extremae sunt *dulce, & amarum*, sicut species coloris sunt *album, & nigrum*. Species autem mediæ principales sunt quinque, scilicet, *Pinguè, salitum, acre, ponticum, & acutum*. Horum sufficientiam ostendit B. Ægid. tex. 105. Præter has differentias principales, dantur aliæ innumeræ, ut docet P. August. lib. de Quantit. animæ cap. 33. dicens: *Anima innumerabiles differentias saporum dijudicat per gustus; ceterum omnes ad quinque assignatas possunt reduci.*

6. Medium, quo fit sensatio gustativa, non est externum, sed internum ipsi linguæ, quæ est organum gustus; & in hoc gustus distinguitur à visu, auditu, & odoratu, qui requirunt medium externum, nempe aerem, & aquam, ut diximus, & convenit cum tactu, qui immediatè conjungitur cum objecto tangibili. Ita P. August. Epist.

3.

QUEST. V. §. II.

3. ubi ait: *De gustu, & tactu n. Ila controversia est, quod ea, quæ gustamus, & tangimus non alibi, quam in carne nostra sentimus.*

Probatum idem ex B. Ægidio hic text. 101. Gustus non sentit sine tactu; lingua enim non gustat cibum, nisi tangat, ut patet, idè dicitur, quod gustus est *quidam tactus*; sed tactus non indiget medio externo, sed interno, quia tangens, & tangibile debent immediatè uniti; quod si inter utrumque mediat corpus externum, non sequitur tactus. Ne autem sensibile immediatè positum supra sensum, impediat sensationem, debet dari medium internum, intrinsecum organo, in quo est tactus: ergo gustus requirit solum medium internum, non externum. Confirmatur. Sine humido salivali non fit sensatio gustus; constat enim, quod si arida sit lingua, nulla prorsus erit gustatio; sed humidum salivale est medium internum, & intrinsecum linguæ; & idè admittantur in radice linguæ duæ glæ. dulcæ carneæ, quæ vocantur *tonsillæ*, & inserviunt ad gignendam ex humoribus salivam, quæ gustui necessaria est: ergo &c.

Adverte, quod licet gustus dicatur quidam tactus, non tamen est idem, quod tactus. Probatum ex B. Ægidio ubi supra. Potentia distinguuntur per actus, & actus per objecta; sed objectum gustus est qualitas secunda; objectum autem tactus est qualitas prima: ergo gustus non est idem, quod tactus. Se-

cundò, gustus est tantum in lingua; tactus vero in qualibet parte corporis: gustus tantum percipit suam obiectum, mediante humido, tactus autem etiam objecta sicca. Rursus. Laeso, vel amisso gustu, remanet tactus illæsus, ut in infirmis: ergo.


Si dicas. Quidam homo, est idem ac homo: ergo gustus, qui est quidam tactus, est idem ac tactus. Respondet B. Ægidius, quod quidam homo comparatur ad hominem, sicut gradus particularis ad universalem, & isti non distinguuntur realiter. Gustus autem non comparatur ad tactum, tanquam gradus individualis ipsius; alioquin æquè extenderentur in subjecto, nec possent in vicem separari, quod patet esse falsum.

7. Organum gustus, est *os*, in quo sunt dentes ad conterendum cibum; lingua, quæ est pars carnea, rara, & laxa ad modum spongiæ, ut recipiat humores; habet linguæ novem musculos, & duos, quibus movetur in omnes partes. In radice habet duas glandulas, & tonsillas, ut dictum est. Est etiam in ore *palatum*, quod est pars concava superior ad modum fornicis: & est *gurgulio*, qui dicitur etiam *collumela*, à figura, quam habet columnæ, & *uvula*, quia ad instar uvæ inflatur humore.

Si quæras: subjectum immediatum potentie gustativæ; dicunt aliqui esse musculum diffusum per totam linguam; quare lingua gustat ratione illius nervi diffusæ, non-

auem ratione carnis suæ mollis, & aquosa. Ratio sumitur ex Aristot. lib. de sensu, & sensat. cap. 5. ubi D. Thom. lect. 9. dicit sic: *Sicut organum odoratus debet esse aqueum, ut sit in potentia ad siccum, sine quo non sit odoratus in actu; ita etiam organum gustus debet esse terreum, ut sit in potentia ad humidum, sine quo non sit gustus in actu*: at qui caro linguæ ex se non est terrea, nec sicca, sed solum ratione prædicti musculi: ergo in illo uti diffuso per linguam, residet formaliter gustus. Huic sententiæ aliquantulum refragatur noster Gavardi negans, gustum subjectari in nervo, à cerebro descendente. Sed quia id probat à paritate aliorum sensuum, inter quos dat D. Thom. manifestam disparitatem; ideo trahendus est in sententiam D. Thomæ.

Nota, quod gustus sensibilior est, ac vividior in cuspide linguæ, & post cuspidem in media lingua, quam in radice, faucibus proximior. Hoc patet, quia cibus non sapit in faucibus, sicut in medio linguæ, nec ita sapit hic, sicut in cuspide. Ratio esse potest, quia in cuspide de linguæ partes sunt magis molles, & sic magis aptæ ad recipiendum horem, sine quo non percipitur sapor, ut dictum est. Ea autem animalia, quibus deficit lingua, gustum habent in aliquo substituente locum linguæ, quod est nobis ignotum.



De tactu, & ejus objecto, ac de medio ad hujusmodi sensationem.

8. **T**ACTVS diffinitur. *Potentia sensitiva, apprehensiva qualitatis tangibilis in nervo extenso ad modum retis per totum corpus mediante carne.* Hic etiam insinuat objectum medium, & organum tactus. Objectum sunt omnes qualitates, tangibiles, & præcipue primæ qualitates. Medium est caro, qua cooperitur subjectum potentie tactivæ. Organum est nervus per totum corpus extensus.

Nomine qualitatis tangibilis, quæ est objectum formale adæquatum hujus potentie, significatur ratio communis quatuor primis qualitatibus, & alijs secundis, quæ oriuntur ex primarum permixtione. Hæc est differentia inter primas, & secundas qualitates relatè ad tactum, quod primæ, v.g. calor. vel frigus, immutant physice tactum, producendo in carne similes qualitates, ut calor calorem, frigus frigiditatem. Non sic de secundis qualitatibus, ut sunt durities, lenitas, &c. nam durities non causat in tactu duritiam, nec lenitas lenitatem.

9. Præcipua quæstio est circa medium, quo tactus percipit tangibile. Prima sententia asserit, carnem esse sensorium tactus, non autem medium inter potentiam, & objectum tangibile. Pro hac citatur Galenus, Fornelius, & Porcius à

Sua;

Suario eam defendente, quem sequuntur plures DD. Societatis, & ex Sco- tistis, Mastrius disp. 5. q. 6. art. 1.

Probatur hæc sententia, primo, quia experimur, carnem, & cutem sentire, si pungantur; & in ulcere patet aperte, quod sentiat caro. Secundo in quibusdam corporis partibus fit sensatio, cum tamen in eis nullus sit nervus, ut patet in hepate, corde, pulmone; rursus in alijs non potest distingui caro, quæ sit medium, & aliud, quod sit organum tactus, ut in stomacho, & venis: ergo sensorium tactus immediate residet in carne sine ullo medio distincto.

Tertio, organum cujuscumque sensus in ea parte residet, in qua existit temperamentum ei debitum; sed temperamentum optimum tangendi datur in cute, deinde in carne, tandem in alijs partibus: ergo in eis residet organum tactus. Probatur minor. Tactus versatur circa qualitates primas; unde temperamentum accomodatum erit, ubi tales qualitates magis redactæ sint ad qualitatem; sed magis redactæ sunt ad qualitatem in carne, & cute, quam in nervis: ergo sensorium tactus non sunt nervi, sed caro, & cutis. Quarto, tactus datus est animalibus, ut tueri possint vitam ab externis nocentibus: ergo oportuit diffusum esse per omnes corporis partes, præsertim carnem, & cutem, quæ noceri possunt ab externis agentibus.

10. Contraria sententia communior, & verior docet, sensorium tactus esse nervum per totum cor-

pus diffusum, qui subest carni, & cuti; quare caro non est sensorium tactus, sed medium, medians inter potentiam tactivam, & objectum tangibile. Ita Plus hic text. 116. & lib. 2. de partib. cap. 2. hanc sententiam expressè tenet D. Thom. hic lect. 23. dicens: *Manifestum est, quod caro non est organum tactus, sed medii; organum autem sensitivum in- tus est, nempe nervus ortus à cerebro, per cervicem ad medullam spinæ dorali deductus, & per illam quæ continetur in ossibus spinæ dorali conjunctis ad modum tenuissimæ retis ad omnia membra diffusus.* Hæc sententiam sequuntur omnes Philosophi communiter, præsertim Thomista cum D. Thom. & DD. nostri cum P. August. lib. 7. de Genes. ad litt. cap. 17. ubi illam insinuat, & cum B. Aegid. hic text. 113. usque ad 116.

Probatur 1. ex Aristot. lib. 4. de hist. animal. ubi ait, quod multa animalia habent tactum: quæ non habent carnem, ut exanguia: ergo in eis saltem caro non est sensorium tactus. Rursus, & præcipue, quia sensibile immediate positum supra sensum non causat sensationem, sed illam impedit; sed si caro, & cutis essent sensorium tactus, tangibile immediate poneretur supra sensum: ergo sensorium tactus non est caro. Et confirmatur à paritate aliorum sensuum, qui perunt aliquo medio inter potentiam, & objectum sensibile: ergo etiam tactus; sed si caro ponitur sensorium, nullum datur

me.

mediū inter ipsum, & objectum tangibile: ergo.

Ad fundamenta contraria respondentur, & ad primum dic, carnē, & cutem sentire, non ratione sui, sed quia unitur nervo subtilissimo, qui secundum Anatomicos diffunditur per totum corpus, & tenuissimis tibulis ad omnia membra defertur: ergo nervus ille est sensorium tactus, non caro. Ad 2. dic, partes illas habere nervos sensorios; quod si Anatomici asserunt in corde, hepate, &c. nullos esse nervos, loquuntur de nervis crassioribus non de nervis tenuissimis. Ad 3. nervos cardiacos esse in corde juxta sententiam Anatomicorum. In stomacho, & venis, si non apparet nervi, non idem negandi sunt, quia eos convincit ratio, sicut de alijs partibus viventis dicitur eas esse in vivente ob rationes convincentes, etsi non appareant Anatomicis. Ad 3. dic, temperamentum optimum tangendi non esse in carne, sed in nervis. Ratio sumitur ex D. Thom. lib. de sensu, & sensat. lect. 9. ubi docet, organum debere esse in potentia ad suum sensibile; unde odoratus debet esse aqueus, ut sit in potentia ad odorem siccum, gustus debet esse terreus, ut sit in potentia ad humidum saporis: ergo temperamentum tactus debet esse in potentia ad qualitates tangibiles. Sed caro non est in potentia ad eas qualitates, sed actu habet temperiem qualitativam; nervus autem sensorius est siccus, & sic in potentia ad temperiem qualitativam: ergo pro tactu est ma-

gis accommodatum temperamentum nervi, quam carnis. Ad ultimum dic, nihil probare nisi quod nervus sensorius est toto corpore diffusus, & hoc concedimus.

11. Quæres. An tactus possit immutari à qualitate in eodem gradu præhabita? Est quærendum, an organum tactus, calidum ut quatuor percipiat sensibile calidum ut quatuor? Videtur, quod sic, nam una manus, tangens aliam in eodem temperamento se sentiunt ad invicem: ergo datur sentatio ab omnino simili. Secundo calor in minimo gradu intentionis est sensibilis; sed non est sensibilis à tactu, quem excedat in gradu caloris, quia minimus calor objecti sensibilis nequit excedere calorem nativam potentie tactivæ: ergo est sensibilis à tactu æqualis, vel excedente in gradu caloris. Tertio licet sensus constitutus in gradu physico alicujus qualitatis, non sit in potentia ad ipsam secundum esse physicam, bene tamen ad ipsam secundum esse intentionalem; sed hoc sufficit, ut illam sentire possit, cum sensus non immutetur physice ab objecto sensibili, sed tantum intentionaliter: ergo.

Contraria sententia est communis, & verior, docens in eo casu tactum percipere duntaxat, aut molliem objecti sensibilis, non autem calorem. Ratio data est dubio præced. ex D. Thom. nempe quod in omnibus sensibus oportet, quod organum careat actualitate objecti sensibilis, ut sit in potentia ad illa.

Sic

Sic organum visus, ut percipiat colorem debet carere omni colore; organum auditus, ut percipiat sonum, debet esse expertus omni toni; organum olfactus debet esse omnis odoris expertus, ut percipiat odorem: & sic de gustu, & generaliter de omni sensu. Accedit ratio, quia omnis sensus est passibilis ab objecto sensibili, & sentatio est quaedam passio sentientis à qualitate sensibili; unde sensus ad sensibile comparatur, ut in potentia ad suum actum; sed tactus existens in eadem qualitate, & gradu cum objecto sensibili non est in potentia ad illam qualitatem, & gradum: ergo non potest illam percipere, & ab illa immutari.

Confirmatur. Agens nequit agere in sibi simile; sed si tangibile invenit tactum cum eadem qualitate, & gradu intentionis, invenit sibi simile: ergo nequit agere in sensum, nec illum immutare, & sic nec ab illo sentiri. Confirmatur 2. juxta Philosophum intus apparens prohibet exterius, id est, intus apparens in sensu, prohibet, ne percipiatur exterius ejusdem generis, v.g. si color physice appareret intra visum, obstaret, ne visus perciperet colorem exterius: ergo ut sensus percipiat exterius qualitatem debet carere illa, saltem in gradu. Hinc inferitur, quod si sensus habet qualitatem in gradu excellenti, non potest illam percipere in gradu inferiori; unde manus valde calida, si immergatur aquæ te-

pidæ, calorem non sentit, sed frigiditatem, & universaliter, ut qualitas actu immutat sensum, debet esse in gradu excedenti qualitatem internam sensus.

Ad objecta contraria dicimus, quod manus se tangentes, si sint omnino æquales temperamenti neutra sentiat qualitatem alterius, quare nulla sentiet alterius frigiditatem, si sint æquæ frigida, nec calorem, si sint æquæ calida. Caro tamen unius sentit duntaxat osium alterius, quia ossa unius sunt duntaxat carne alterius, & ratione hujus mutui excessus se mutuo excedunt. Ad 2. dic, quod calor in minimo gradu, est per se sensibilis, sed per accidens est insensibilis à tactu habente æqualem, vel majorem calorem. Ad 3. nego maj. quia ut sensus sit in potentia ad esse intentionale objecti sensibilis, debet carere ipso objecto, etiam secundum esse physicum. Tum etiā, quia esse physicum, & intentionale, sunt aliquo modo ejusdem speciei, & idem nequit physicum esse in potentia ad esse intentionale. Accedit, quod physicum continet intentionale, quare nequit esse in potentia ad illud.

12. Quæres tandem, an tactus sentiat, media specie intentionali? Qui docent sensorium tactus immediate residere in carne, videntur, negare consequenter, quod tactus sentiat, media specie intentionali. Ratio est, quia species datur ad suppleendam presentiam objecti, quod debet uniri potentie, ut sentiatur; sed

sed in potentia tactus residet in carne, quæ tangit immediatè objectum tangibile, jam objectum est præsens tantum, nec ulla est absentia, quàm suppleat species: ergo juxta hos DD. videtur dicendum, tactum non sentire, mediante specie, sic sentiunt Toletus, Hurtado, Ariaga, & alij.

Contraria sententia est communis, quàm docet P. August. 11. de Trinit. cap. 2. ubi dicit, quòd cera jungitur sigillo, sed cera non fit sigillam, sed imago, aut impressio sigilli: ergo quando tactus tangit saxum, non fit saxum, sed recipit similitudinem saxi, quæ est species saxi, ex qua gignitur sensatio tactiva. Rursus. Quilibet sensus est receptivus specierum sine materia: nam quilibet habet modum essendi, & operandi, elevatum supra materiam, ut de viventibus sensitivis supra dictum est. Tandem, quia sensibile positum supra sensum, non facit sensationem, sed illam impedit: ergo quod immediatè unitur sensui tactus, non est objectum secundum esse reale, sed secundum esse intentionale. Et urgetur. Nam sensus communis cognoscit sensationes tactus, & objecta tangibilia; sed illa cognoscit per species intentionales, receptas per sensum tactus: ergo sensus iste percipit objectum medijs speciebus intentionalibus.

Nota tandem ex P. Augustin. quòd sicut in elementis terra est infimum, sic in sensibus inferiorem locum tenet tactus, & ob id diffunditur per omne corpus, quòd maximè ex terra est, & terrenum quòdcumque tactu sentitur. Verba P. August. lib. 3. de Genes. ad litter. cap. 4. sunt hæc: *Tactus est quintus in sensibus, terreno, elemento magis congruit, proinde per totum corpus animalis, quòd maximè ex terra est, quòdcumque tactu sentiuntur.* Et Epist. 57. explicans quomodo in capite sunt omnes sensus, in reliquis autem membris solum tactus, ait: *In nostris membris, inest sensus singulis membris, sed non tantus quantus in capite, ubi profus. omnis est quinque partibus, ubi enim est visus, & auditus, & olfactus, & gustus: in ceteris autem tactus.* Objectum tactus expressit P. August. serm. 102. de diversis cap. 5. dicens: *Quid est tangere? Respondet: Dura, vel mollis, calida, vel frigida, aspera, vel lenia sentire.* Observa tandem, quòd sensus tactus vivacior est in homine, quam in brutis; id evenit ex perfectiori hominis completionem, & majori perfectione in sensibus internis, quibus cognoscit sensationem tactus externam.

scit sensationem tactus externam.

QVÆSTIO SEXTA.

An sit, quid sit, & quotuplex sensus internus?

§. I.

Probatur existentia, & necessitas sensus interni.

PRæter sensus externos dari etiã sensum aliquem internum, nullus negat Philosophus, quia rationes evidentè convincunt illius existentiam. Nam datur sensus, quo apprehenditur bonum absens; sed hic sensus non est aliquis ex externis: ergo est sensus interior. Minor patet, quia sensus externi solum percipiunt objecta præsentia, & hoc adhuc in visu, qui objecta, quantumcumque distantia videt intuitivè. Visio autem intuitiva est cognitio rei præsentis. Maior probatur. Animal movetur ad acquirendum aliquid absens; v. g. canis ad quærendum dominum, vel cibum, quem reliquit absconditum: Hirundo ad quærendas paleas pro nido ædificando; sed non moventur ad quærendam bonum absens, nisi prævia cognitione, qua illud apprehendunt: ergo bruta intus apprehendunt bonum absens. Sed non per intellectum, qui non est in brutis: ergo per sensum internum necessariò concedendum in brutis.

P. Augustinus inter alias rationes, quas pro eodem asserto allegat, efficacem putavit illam, quæ desumitur ex operatione, qua bruta distinguunt ciborum qualitates, & iudicant de objectis externorum

sensuum. Sic habet lib. 2. de liber. arb. cap. 3. *Quid igitur quod quemque sensum pertineat, & quid intersit, vel quidnam eorum communiter habeant, nùm possumus ulla externorum sensuum diiudicare? nullo modo: sed quodam interiore ista diiudicatur.* Plura habet ibid. cap. 2. & 5. ubi manera sensus interioris describit, & multipliciter convincit eius existentiam, etiã in brutis. Ad idem lib. 6. de Musica cap. 4. ait: *Aliud est sonare, aliud audire, aliud ista meminisse, aliud de his omnibus, vel annuendo, vel abhorrendo, quasi quodam naturali iure sentire sententiam. Age nunc, dic mihi, horum quod maximè excellat? D. Hoc vltimum puto. M. Rectè putas: non enim de illis possit, nisi excelleret, indicare.* Ecce ex quo sensus externi nõ possint indicare de objectis suis, nec de actibus, quibus percipiunt objecta: ergo quia tale iudicium, quod etiã in brutis est, pertinet ad sensum superiorè, qui est sensus internus.

2. Hic sensus internus varijs nominibus explicatur. 1. dicitur *sensus communis*, hic percipit objecta sensuum externorum præsentia. 2. est *imaginativa*, hæc conservat species præteritorum objectorum. 3. *assimativa*, hæc discernit inter



obiecta convenientia, ut ea amplectatur, & dissona, ut ea fugiat. 4. est *phantasia*, quæ habet coniungere species sensatas, hoc est, perceptas sensibus externis, & novum quasi obiectum efformare. Sic speciebus montis, & auri format montem autem, nunquam sensatum. 5. est *memoria*, & *reminiscentia*, harum est præteritorum recordari. Aliqui dicunt memoriam differre à reminiscencia, quoniam quædo recordatio fit per excitationem speciei obiecti præteriti, tunc est memoria; si vero fiat recordatio per excursum ab vno obiecto in aliud, tunc est reminiscencia.

Hos sensus, vel hæc munera eiusdem sensus interni dari in nobis, certissimū est; existere etiā in brutis, colligitur ex eorum operationibus. Primò, cum bruta habeant sensus externos, quibus colligunt species, de illis formant aliquale iudicium; sed non per sensus externos, ut ex P. August. probatum est: ergo per sensum internum, qui idè dicitur communis, quia percipit, & iudicat de omnibus obiectis externorum sensuum. Secundò, bruta conservant species obiectorum præteritorum. Recordantur enim loci, in quo catulos reliquerunt; equus etiā recordatur stabuli, canes latrant, videndo illum, à quo fuerunt percussi; sed conservatio speciei obiecti præteriti pertinet ad imaginativam: ergo in brutis est imaginativa. Tertio, ovis fugit lupum, & prosequitur

confortem; quare discernit inter convenientes, & dissonum. Sed hoc pertinet ad æstimatoriam: ergo illa in brutis est. De phantasia, quæ coniungit species sensatas, potest aliquatitèr comprobari ex cane latrante ad conspectum Lune; nam cum ibi nihil videat dissonum, forsitan movetur ex coniunctione variorum specierum, quibus sibi novum efformat obiectum, quod concipit nocivum. De memoria, & reminiscencia id patet, cum bruta reminiscantur præteritorum, & ad hoc deservit imaginativa conservans species, quibus fit memoratio, & reminiscencia. Hæc intellige iuxta dicenda n. 5.

3. Si quæras. Vbinam est organū huius sensus interni? Dicendum est, residere in cerebro. Hæc conclusio est cōmunis contra Aristoteli, qui sedem huius sensus posuit in corde, & idè quia putavit cognitionem sensitivam, & appetitum in eadem sede collocandum; sed potentia appetitiva est in corde: ergo etiā cognoscitiva. Contraria sententia est communis, & traditur à P. August. lib. 7. de Genesi ad literam cap. 17. sed præcipuè cap. 18. ubi dicit sic: *Ideo tres tanquam ventriculi cerebri demonstrantur. Vnus anterior ad faciem, à quo sensus omnium. Alter posterior ad cervicem, à quo motus omnis. Tertius inter retrorum, in quo memoriam rigere demonstrant, ne cum sensum motus sequitur, non contineat homo, quod faciendum est, si fuerit, quod facit, oblitus. Hæc Medici*

dici certis indicijs probata esse dicunt, quando ipsæ partes aliquo affectu morbo, vel vitio, cum deficiunt officia, vel sentiendi, vel movendi membra, vel motus corporis remittuntur, satis, quid valerent singula, declararunt, eisque adhibita curatio, cui rei reparanda profuerit, exploratum est. Hæc ad verbum transscriptum est. Hec ad verbum transscriptum est, quodiam deservit ad probandam distinctionem realem sensuum externorum, de qua postea.

Ratione probatur. Omnes sensus externi, pendent à sensu communi, qui diffunditur in externos, & externorum colligit species; sed sensus externi iuxta P. August. ubi sup. cap. 17. sunt in facie prope frontem, & ob id S. P. putat dictum à Sacra Scriptura, quod Deus inspiravit in faciem hominis spiraculum vitæ; & factus est homo in animā viventem: ergo in cerebro, quod est præcipua pars contenta à fronte, est organum sensus communis, & omnes interni sensus. Secundò, ex læsione cerebri læduntur sensus interni, ut constat: ergo sensus interni resident in cerebro. Explicatur experimentis Medicorum, quibus P. Augustinus multum defect. Ex nimia enim meditatione caput præcipuè fatigatur, non cor. In somnis perturbantur internæ cogitationes, quia fumosi vapores caput ascendunt. Perturbantur similiter, facta læsione in cerebro, & oriuntur frenesis, delirium, & oblitio, pro quibus curandis medicamenta capiti præcipuè adhibentur.

ergo in cerebro, & non in corde resident interni sensus.

4. At quia in cerebro sunt plures partes, dubium est, in qua illarum sensus resideat? Notandum, in cerebro esse duas membranas, cerebrum obvolventes, quæ dicuntur *Meninges*; altera est interior, & tendis, quæ dicitur *pia mater*: altera exterior, contingens cranium, & dicitur *dura mater*. Rursum. Est medulla cerebri, quæ est mollis substantia. Tandem sunt cellulae, seu cavitates, vna anterior, vergens ad frontem, altera media, alia postrema, cui cerebri nomen tribuitur. Has cavitates vocat P. Augustinus cerebri ventriculos. His notatis, communior sententia constituit organum sensus interni, in molli substantia, aut medulla. Probatur, quia reliquæ partes sunt præditæ nimia siccitate, & sic sunt inhabiles ad recipiendas species; medulla autem, quæ mollis est, aptissima est ad recipiendum. Tum etiā, quia ex læsione medullæ sequitur detrimentum in sensationibus internis, non autem ex læsione in membranis, nisi quatenus illis læsis medulla eo præsidio destituta, alteratur ab extrinseco.

Addimus ex P. August. ubi sup. sensus internos non residere in toto cerebro, sed in ea parte media secundi ventriculi. Ratio est, quia sensus externi oriuntur à cerebro in parte anteriori ad faciem. Motus omnis corporalis oritur à cerebro penes partem posteriorem, quæ

vergit ad cervicem! Sed sedes sensus interni est in loco medio iuxta P. Aug. & experientiam à Medi-
eis sui temporis demonstratam: et-
go organum sensuum interiorum
est pars cerebri media, existens in
secundo ventriculo.

§. II.

*Propugnatur distinctio realis sensuum
internorum.*

¶ Sententia est communis Tho-
mitarum, sensus internos
realiter distinguere, & quatuor esse,
nempe, sensum communem, ima-
ginativam, aestimativam, & memo-
riam. Sic docuit D. Thomas 1. p.
q. 78. art. 4. in corpor. ubi ait:
*Non est necesse ponere nisi quatuor vi-
res interiores sensitivæ partis, scilicet,
sensum communem, imaginativam,
aestimativam, & memoriam.* Eandem
sententiã docuit B. Ægidius quod-
lib. 4. q. 20. cum solo discrimine,
quod addit quintum sensum, nem-
pe, *phantasiam*, in quo sequitur
sententiã Avicenæ, quam etiã
tradidit Albertus Magnus 2. de
Anima tract. 4. cap. 7. Hanc sen-
tentiam sequuntur DD. nostri, cum
quibus Gavardi.

Ante probationem oportet ex-
plicare sententiã. Hæc consistit
in eo, quod ponit duas potentias
ad percipiendum species sensatas,
hoc est, per sensus acquisitas; &
alias duas pro insensatis. Ratio hu-
ius discriminis probatur. Nam ma-
ior abstractio à materia requiritur
pro cognoscendis insensatis, quàm
pro percipiendis sensatis; quare si

cût sensus interior est perfectior
externis, & ab illis distinctus; itã
inter sensus internos potentia, quæ
percipit obiectum non sensatum,
immaterialior est, & sic distincta
à potentia, quæ solum percipit sen-
sata: ergo optimè ponitur prima
distinctio inter potentiam perci-
pientem sensata, & potentiam per-
cipientem insensata.

Rursus. In quolibet ordine ex
assignatis debet dari duplex po-
tentia, vna apprehensiva, & alte-
ra retentiva. Quare sicut in mate-
rialibus, quæ humidiora sunt, faci-
lè recipiunt, quæ verò sicciora, ma-
gis retinent; quare ad recipien-
dum, & retinendum requiritur di-
versum temperamentum. Itã iuxta
hanc sententiã pro speciebus sen-
satis requiritur vna potentia ad re-
cipiendum, & hæc est sensus com-
munis, qui apprehendit species sen-
satas in præsentia obiectorum; al-
tera est ad conservandas illas spe-
cies, & cognoscendas illas, etiã
in absentia obiectorum, hæc est
imaginativa.

Pro speciebus insensatis, hoc
est, non perceptibiles per sensus,
vt sunt amicitia, inimicitia, con-
venientia, disconvenientia &c. sunt
etiã duæ potentiæ, vna appren-
hensiva, quæ præsentia obiecto appre-
hendit species illas, vt ovis præ-
sente lupo, cognoscit disconve-
nientiam, & inimicitiam. Hoc fa-
cit per aestimativam, quæ est ap-
prehensiva illarum specierum, per
senti obiecto, Ultra istam datur
memo;

memoria sensitiva, quæ est potentia
ad conservandas illas species, & cog-
noscendas etiã in absentia obiecti.

6. Probatur hæc sententiã.

Quoties datur diversa ratio forma-
lis ex parte obiecti, & distinctum
organum ex parte materiæ, debent
realiter distinguere potentia sensitiva
materiales; sed sic se habent po-
tentia relatæ: ergo realiter distin-
guuntur. Maior patet ex dictis q.
7. libri 1. & minor probatur quo-
ad primam partem. Potentia illæ
respiciunt diversam abstractionem
à materia; nam quæ percipiunt
species insensatas, sunt magis re-
motæ à materia, quàm quæ perci-
piunt species sensatas, quæ fetè
conveniunt in gradu materialitatis
cum sensibus externis; sed diversa
abstractio à materia distinguit for-
maliter cognitiones, vt patet, &
à diversis formaliter cognitionibus
sumitur distinctio formalis poten-
tiarum: ergo potentia attingentes
obiecta sensata formaliter distin-
guuntur à potentijs attingentibus spe-
cies insensatas, & respiciunt, va ob-
iecta, sub diversa ratione formali.

Probatur idem de singulis qua-
bus, qualibet comparata cum sua
consorte. Nam vna tendit in ob-
iectum ad illud apprehendendam,
altera ad illud retinendam; sed ob-
iectum quatenus apprehendendum
distinguitur à se ipso, vt retinen-
do; & istæ sunt rationes formales,
distinctæ etiã ex parte obiecti:
ergo potentia illæ in suo ordine
comparatæ, differunt formaliter

ex parte obiecti. Confirmatur à
paritate potentiarum inferiorum
purè materialium, nam nimis hu-
mida bene recipit, sed male reti-
net; nimis sicca male recipit, sed
bene retinet; sed hæc diversitas in
potentijs materialibus arguit diver-
sitate in temperamentis, & ipsi
potentijs: ergo etiã in sensibus
internis arguit realem diversita-
tem. Confirmat. 2. Aliquando la-
ditur potentia retentiva, sed non
apprehensiva, vt patet in ingeniosis
vivaciter apprehendentibus, sed
non retinentibus: ergo ratio vnius,
& non alterius arguit potentiarum
diversitatem.

Quoad secundam partem pro-
batur minor principalis, nempe
sensus internos realiter distinguere ex
parte subiecti materialis, in quo
subiectatur. Potentia materiales,
quarum organa sunt diversa, & in
diversa parte subiecti collocata,
sunt realiter diverse, nisi animã ma-
tura multiplicaret organa, & col-
locaret in diversis partibus, nisi po-
tentia essent realiter distincta; sed
sensus interni habent diversa or-
gana & in diversis partibus cere-
bri collocata: ergo sensus interni
realiter distinguuntur. Probatur
minor ex D. Th. 1. p. q. 78. art. 4.
& Opusc. 43. cap. 4. ubi approbat
sententiã anatomicorum, & distri-
buentem sensus internos modo se-
quenti. Sensus communis est in pi-
ma parte frontis; eidem est propè
coniunctum organum imaginativæ.
Aestimativa autem sedem habet
post

post mediā partem cerebri, & tandem memorativa sedet in parte declinante versus occipitiū. De mente P. Aug. verbis datis n. 3. aliter distribuitur sedes sensuum, nam, cum in cerebro sint tres ventriculi, in primo anteriori ad frontem collocandus est sensus communis, ut radicans externos sensus, qui sunt in facie; in 2. ventriculo ponitur memoria sensitiva; in 3. qui vergit ad cervicem, est potentia motiva, à qua omnis motus. Quidquid sit de distributione, hoc certissimum est, tam apud P. Aug. sequentem Medicos sui temporis, quam apud S. Th. & B. Aegid. deferentes novioribus anatomicis, sensus habere distinctas sedes in cerebro; & quod extra controversiam est, natura ipsa ventriculos in cerebro distinxit, ex quorum læsione læduntur sensus interni, ita ut ille specialitèr lædatur, qui specialem sedem habet in parte læsa: ergo à posteriori colligitur distinctio sensuum inter se.

7 An autem ponendus sit quintus sensus cum B. Alberto, & B. Aegidio, est levis controversia, quæ pendet ex duobus, nempe, an cogitativa, quæ retinet species sensatas, sit etiā unicitiva illarum? Si est unicitiva: ergo habet munus phantasiae iuxta dicta n. 2. Si non est unicitiva, sed tantum perceptiva specierum sensatarum in absentia obiecti: ergo ponenda est phantasia, quæ sit unicitiva talium specierum, & sic datur quintus sensus. Rursus

dubium est, an phantasia compositiva specierum detur in brutis? Dari autem in hominibus, certum est.

Dicendum cenleo, esse quintum sensum, distinctum à reliquis. Probatur. Dum anima fingit montem aureum, format speciem novam, illum representantem; unde phantasia est factiva sui obiecti; sed nec sensus communis, nec cogitativa formant suum obiectum, nec producant speciem: ergo cum potentia factiva sui obiecti distinguatur à potentia non factiva, sicut practicum distinguitur à speculativo; phantasia est potentia distincta à sensu communi, & cogitativa. Minor patet, quia sensus communis cognoscit obiecta sensibilia per species acceptas à sensibus externis; cogitativa autem similiter, cum sola differentia retinendi illas species ad eas cognoscendas, etiā in absentia obiecti; quare neuter sensus iste format speciem, sed intelligit per species immixtas à sensibus. Maior probatur. Phantasia fingens motem aureū, & illū cognoscens, non cognoscit illū per speciem montis, nec per speciem auri, quas per sensus accipit: ergo per speciem distinctam ab ipsa formatā. Probatur antecedens. Illæ species seorsum sumptæ nō representant, nisi montem, & aurū seorsim: idem species illæ simul sumptæ nō representant, nisi montem, & aurum simul; sed mons aureus fictus à phantasia, non est tantum mons, & aurum simul, sed est quid tertium fictum, quod non

non est in te: ergo mons aureus representatur per novam speciem formatam à sensu distincto, & sic ponendi sunt quinque sensus interni. Accedit, quod sensus externi sunt quinque, & subordinantur sensui communi interno: ergo sensus interni sunt etiā quinque, & subordinantur vni intellectui.

8 Contraria sententia est P. Suarezij, qui vnicū sensum internum propugnat, habentem tamen muneribus diversa. Hanc sententiam I. tradidit Avenis 2. p. q. 7. Philopon. & Themistius, quos citat Suarez lib. 3. de Anim. c. 30. ipsum sequuntur ferè omnes DD. Societatis. Fonseca, & Conimbr. putant, duos tantum esse sensus internos, nempe, sensum communē, & phantasiā. Bañez, & aliqui concedunt tres, nempe, phantasiā, indicativā, & memoriā. Sunt etiā, qui & septē propugnant sensus internos. Quidquid sit de tāta varietate opinionum, argumenta proponemus tantum contra nostram, & Thomistarum sententiam.

Argues ad probandum vnicum tantum sensum internū. Tota distinctio à nobis propugnata in sensibus internis, sumitur penes absens, & presens; penes apprehendere, & retinere: sed capita ista non sufficiunt ad distinctionem realem potentiarum: ergo non sunt sensus interni realitèr distincti, sed vnicus eum diversis muneribus. Probatur minor. 1. quia istæ differentie non diversificant potentias in-

tellectivas, cum idem intellectus cognoscat absentia, & presentia, idem apprehendat, & retineat: ergo istæ differentie non diversificant sensus internos. 2. probatur minor, nam eisdem speciebus cognoscitur absens, & presens: ergo per eundem sensum cognoscitur utrumque. 3. in appetitu sensitivo non variatur potentia penes absens, & presens: ergo nec in potentia cognoscitiva debet variari sensus penes absens, & presens. 4. nam etiā sensus communis apprehendit res absentes, ut patet, quando in somno apprehendit obiecta, quæ non sunt, v.g. dum apprehendit somnians, se videre, gustare &c. Quod docet D. Th. 1. p. q. 84. art. 8. ad 2. ergo ratio absentis non distinguit sensum communem ab imaginativa.

Confirm. ex P. Suarezio vbi supra. Potentia, quæ cognoscit abstractivè, & in absentia obiecti, potest etiā cognoscere in presentia; nam impossibile est, quod cognoscat abstractivè, nisi per species receptas ab obiectis, prout à sensibus externis percipiuntur, dum obiecta presentia sunt sensibus externis: ergo si tunc memoria, aut cogitativa attendat ad cognoscendum illud, cuius recipit species, cognoscat rem, ut presentem; quare non est necessarium ponere diversas potentias, pro cognoscendo obiecto, presente, & absente. Vigetur. Si obiectum absens esset specificativum potentie distincte, nunquam illa

potentia posset cognoscere obiectum præsens, cum nulla potentia possit exire extra suam specificativum; sed cogitativa, & memoria, quas non ponimus pro obiecto absente, possunt illud cognoscere in præsentia, ut patet in casu posito: ergo &c. Tandem, si ovis in absentia lupi potest per memoriam sensitivam cognoscere inimicitiam, & disconvenientiam, quid prohibet, quod cognoscat id ipsum in præsentia lupi? ergo sine necessitate ponitur duplex potentia pro præsentem obiecto, & absente.

9 Respondemus, neg. min. ad 1. prob. concessio antecedenti de intellectu, neg. consequentiam cum D. Th. 1. p. q. 79. art. 7. ad 2. ubi ait, quod ratio præteriti, & præsentis ex parte obiecti potest distinguere potentias apprehensivas materiales; non autem potentiam intellectivam. Ratio est, quia præteritio, & præsentia sunt modi singularitatis, & conditiones materiales, à quibus abstrahit intellectus, qui respicit res in universalibus: quare ab illis conditionibus non potest variari intellectus. E contra autem sensus interni sunt materiales, & cognoscunt dependentem à conditionibus materialibus, unde distinguuntur penes diversas conditiones materiales. Accedit, quod ea, que in inferioribus sunt dispersa, in superioribus colliguntur: ergo sicut non est bona argumentatio, quod unus sensus communis percipit omnia obiecta sensibilia: ergo etiam

unicus sensus externus sufficit ad omnia sensibilia; ita non valet ab unico intellectu, potest cognoscere absentia, & præsentia, ad unicum sensum pro absentibus, & præsentibus.

Ad 2. probationem. concedimus, quod per eandem speciem repræsentatur obiectum præsens sensui communi, & absens cogitativæ; ceterum licet materialiter sit eadem species, formaliter tamen est diversa, nam modo immaterialiori repræsentat speciem illam potentiam cogitativam. Probat. hoc. Nam species illa coloris v.g. repræsentat sensui communi colorem, ut præsentem, & dependentem à conditione materiali præsentia, quæ dicitur *hic, & nunc*. At cogitativa, cum possit percipere speciem coloris etiam in absentia, cognoscit in illa specie colorem, ut deparatum à conditione materiali *ibi, & nunc*: ergo cognoscit modo immaterialiori, & cum maiori independentia à materia: ergo cum ad sic cognoscendum debeat species sic representare, sequitur, quod species illa, quæ in sensu communi posita repræsentat modo materiali, translata ad cogitativam, repræsentat modo immaterialiori, & sic est formaliter diversa, distinctione sufficienti ad diversificandas potentias.

Ad 3. concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas sumitur ex diverso modo, quo tædunt potentia cognoscitiva, & appetitiva. Cognoscitiva autem trahit res ad se, & si est materialis, immutatur ab obiecto; atqui aliter immutatur ab obiecto præsen-

præsenti, ac ab absente; nam per obiectum præsens immutatur modo materiali, dependenti à conditionibus materiæ, ab obiecto autem absente immutatur modo immateriali, & independenti: ergo præsentia, & absentia sufficiunt diversificare potentias cognoscitivas materiales. Appetitus autem non trahit res ad se, nec immutatur intentionaliter à rebus; sed fertur ad res, apprehensas; quo fit, ut eadem potentia sine distinctione debeat ferri in absentem, & præsentem, in absentem querendo, & in præsentem quiescendo; & licet tendere, & quiescere sint actus diversi, sunt tamen actus eadem potentiam appetitivam.

Ad 4. dic. sensum communem semper cognoscere obiectum præsens, vel realiter præsens, vel apparenter tale. Contingit autem in dormientibus, quod per sensum communem cognoscunt obiecta, quæ in re sunt absentia; ceterum illa sunt præsentia apparenter, quoniam mediantibus spiritibus animalibus, & calore sanguinis descendunt species quæ erant in cogitativa, & veniunt ad sensus externos, inde autem revertuntur ad sensum communem, quasi ejaculate à sensibus externis; quo fit, ut sensus communis cognoscat obiectum præsens, ut præsens, licet hallucinetur sic putans obiectum præsens. Imaginativa autem, & memoria apprehendunt res etiam si non appareant ut præsentem, sed sub ratione præteriti, aut imaginabilis. Hæc solutio est D. Thomæ

ubi supra.

Ex qua doctrina dissolves magnam difficultatem, quam multi sentiunt ignorantes, quomodo fiat, quod interdum accidit, nempe aliquos in obscuro existentes clare videre quidquid habent in cubiculo, quod sine luce fieri videtur impossibile. Fertur etiam de quodam P. Dominicano, qui pro libito in obscuro positus, & clausis oculis videret nemora, palatia, agitationes taurorum, comædias, & quidquid à se aliquando visum fuit. Hoc videtur præstigiolum ignorantibus causam, quæ vera, & physica datur. Illa est talis. Quidquid per visum percipimus mittit suam speciem, quæ percepta per oculum, apprehenditur per sensum communem, & inde reponitur in cogitativa, quæ est thesaurus specierum sensatarum. Sicut autem istæ species appensæ in organo cogitativa, sicut picturæ appendantur intra cubiculum. Contingit autem ob nimium calorem capitis, quod humor existens in organo cogitativa liquatur, & ejus partes calidiores descendunt ad organum visus. Cum illo humore descendente, descendunt pariter species illæ, acquiruntur per visum; quæ semel posite in organo visuali repræsentant obiectum præsens, æquè bene, ac si revera de novo reciperentur ab obiecto præsentem.

10. Ad confirm. respondetur concedendo, quod memoria, & cogitativa possunt cognoscere præsentem obiecto id, quod in ejus absentia

tia possunt cognoscere; ceterum non cognoscunt objectum præsens sistendo ibi, nec dependenter ab e-
jus præsentia, sed modo nobiliori, & immaterialiori. Nec idèd superfluit sensus communis, determinatus ad cognoscendum objectum, ut præsens; nam oportet ponere potentiam, quæ sit iudicativa, non solùm objectorum sensibilium, sed etiam iudicativa, & discretiva actuum, seu suum externorum. Talis est sensus communis, qui non solùm iudicat de speciebus receptis per sensus, sed etiam fert iudicium de actibus sensuum externorum, quod non competit cogitativæ, quæ jam supponit species sensatas, & iudicium factum à sensu communi de sensationibus externis.

Ad urgentiam dic, quòd potentia specificata ab objecto absente, non potest percipere objectum præsens, sistendo ibi, & cum dependentia à conditionibus materialibus præsentia; benè tamen non sistendo in præsentia, nec dependendo ab illa: nam semper ac potentia servat suam independentiam à conditionibus materiæ, attingit objectum cum sua propria immaterialitate, & sic non exit extra suum specificativum. Per quod patet ad exemplum ovis videntis lupum, & cognoscentiæ disconvenientiam. Nam hæc disconvenientia, si cognoscitur per æstimatoriam, cognoscitur dependenter à præsentia lupi, si autem cognoscitur per memoriam, cognoscitur independenter à præsentia lupi, & sic

modo immaterialiori.

11. Argues. Ad probandum non dari æstimatoriam, & consequenter, nec memoriam sensitivam. Nã species insensatæ, quas dicimus deservire his potentijs, ut odium, amicitia, filiatio, convenientia, &c. excedunt omnem cognitionem sensitivam: ergo non possunt cognosci à sensibus nominatis. Probatur antecedens. Talia sunt relationes, quas nec sunt sensibile proprium, nec commune; sed quod non est sensibile, excedit omnem cognitionem sensitivam: ergo &c. Confirmatur. Non potest cognosci, quòd hoc sit conveniens, vel nocivum isti, aut illi, nisi per comparisonem huius ad illud; sed nullus sensus est ita comparativus; comparare enim, & conferre, solùm convenit potentiæ discursivæ, quæ collativa est: ergo convenientia, vel disconvenientia, & idem de alijs insensatis, excedunt omnem cognitionem sensitivam. Confirmatur 2. Species istę insensatæ non possunt advenire per sensus externos; nam ab illis non percipiuntur, & nihil venit ad internos sensus, nisi per externos percipiuntur. Rursus. Sensus externus non potest generare species ita perfectas, & supra se excedentes, ut sunt species insensatæ: ergo idem.

Ad argumentum respondetur neg. antecedens, ad prob. dic, tales species insensatas non esse relationes formaliter, sed fundamentaliter. Convenientia enim unius respectu alterius, fundatur in ipsis rebus:

natura enim lupi ex se ipsa disconveniens est naturæ ovis. Supra hanc disconvenientiam fundamentalem, quæ nihil aliud est, quàm res ipsæ disconvenientes, fundatur relatio, quæ est formalis disconvenientia. *Æstimatoria non cognoscit disconvenientiam formalem, quia formalis relatio non est sensibile proprium, aut commune. Cognoscit tamen disconvenientiam fundamentalem, quia hæc est sensibilis, cum non sit aliud, quàm ipsæ naturæ disconvenientes, quæ sensibiles sunt, ut patet.*

Ad confirm. dic, quòd in homine æstimatoria apprehendit convenientiam, vel disconvenientiam cum comparatione collativa, & quasi discurrendo; ceterum hoc non habet ex se, sed ex conjunctione ad intellectum in homine, ut docet D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. ad 5. & idèd in homine vocatur etiam cogitativa, quia cogitando, seu comparando, aut conferendo cognoscit. In brutis autem æstimatoria cognoscit sine comparatione, quia non cognoscit cum indifferentia, qua externa comparatur, dum ab homine cognoscuntur; sed cognoscit naturalis instinctu, dicente determinationem naturæ, & necessariam tendentiam ad cognoscendum nocivum, vel conveniens ex ipsa determinatione naturæ, & non ex comparatione extremorum, ut etiam docuit D. Thom. quæst. de Anim. art. 13. Ad 2. confirm. dic, species illas insensatas accipi per sensus, non ut

formaliter cognitas ab eis, sed ut virtualiter contentas in rebus sensibilibus cognitis per sensus externos. Sic quidquid cognoscitur ab intellectu nostro, fit per speciem acceptam à sensibus; cognoscit autem universalialia quæ continentur in rebus perceptis per sensus, sed non cognoscuntur universalialia per sensus.

12. Tandem argues contra memoriam sensitivam, quæ non differt ab æstimatoria. Nam solùm potest differre, quia una cognoscit in præsentia objecti, altera in absentia; sed hoc discrimen non tenet, quia supra probatum est, quòd ovis etiam in præsentia lupi potest cognoscere disconvenientiam per ipsam potentiam, qua potest eam cognoscere in absentia lupi. Et confirmatur ex D. Thom. opusc. 14. ubi ait, *Quòd memoria non habet aliquem actum, sed loco actus solùm tenet, quòd sit parata capienti à se: ergo memoria non est cognoscitiva objecti in absentia, nec in præsentia, & sic non constituit potentiam distinctam ab æstimatoria. Confirm. 2. quia si potentia memorativæ essent cognoscitivæ, semper actu cognoscerent; nã semper habent species sibi inherentes, & informantes, quod sufficit ad actualem cognitionem; sed falsum est, quòd potentie memorativæ semper actu cognoscant: ergo quia non sunt cognoscitivæ.*

Respondetur ad 1. ex jam dictis, nempe quòd memoria cognoscit illam disconvenientiam, etiam in præsentia lupi, sed modo aptiori, quam

quam æstimatoria, quia cognitio memoriz est plenè independens à præsentia objecti; à qua præcisè dependet æstimatoria. Ad confirm. dic. D. Thom. ibi locutum non de memoria sensitiva, sed de memoria intellectiva, quæ non est potentia realiter distincta ab intellecta, nec habet actum distinctum à cognitione intellectiva. Memoria autem sensitiva, cognoscitiva est, & realiter distinguitur ab æstimatoria, ut probatum est. Ad 2. confirm. dic. potentias memorativas sensitivas esse cognoscitivas, nec tamen semper actu cognoscere, quia licet semper habeant species inherentes, quoad entitatem, non semper in hærent quoad representationem ex defectu excitationis, & usus talium specierum, ut patet, quando dormimus. Sic etiam species sensibilia sunt in ære quoad entitatem, sed non quoad representationem.

§. III.

Explicatur quid sit sensus communis, & quædam dissolvuntur.

13. **U**LTRA dicta de sensibus internis in generali, restat dicere de illis in particulari, & incipiendo à sensu, qui dicitur communis hic potest diffiniri de mente P. August. lib. 2. de liber. arbit. sic: *Est sensus interior distinctus, ab externis, ad quem ab istis quinque notissimis sensibus cuncta referuntur.* Et primò probatur distinctio; nam sensus

communis discernit objecta sensuum externorum, & eorum sensationes; sed solum unicus sensus distinctus ab externis, & illis superior potest sic discernere: ergo sensus communis superior est, & distinctus ab externis. Probatur min. Nequit discernere inter colorem, & saporem, nisi sensus ille, qui utrumque percipiat; sed nullus sensus externus percipit illa duo objecta; cum neque visus saporem, neque gustus colorem percipiat: ergo &c. Hinc colligitur, quod ad sensum istum, tanquam ad iudicem referunt externi sensus, quidquid intra suam spheram cognoscunt, ut ex P. N. August. dictum est.

Confirm. Nullus externus sensus potest percipere reflexè sui sensationem, nec sensationem alterius sensus; atqui in sentiente debet dari sensus reflexè percipiens sensationem aliorum sensuum: ergo præter sensus externos debet dari sensus internus, iudicans sensationes. Minor probatur ex P. Aug. lib. 2. de lib. arb. cap. 4. dicente: *Arbitror etiam illud esse manifestum, sensum illum interiorum, non ea tantum sentire, quæ acciperit à quinque sensibus corporis, sed etiam ipsos sensus ab eo sentiri; non enim aliter bestia moveret se, appetendo aliquid, vel fugiendo, nisi se sentiret, non ad sciendum, nam hoc rationis est; sed ad movendum tantum, quod non utique aliquo illorum quinque sentit.*

14. Quæres 2. An sensus communis internus conveniat omnibus ani-

animalibus? Respondemus convenire omnibus animalibus perfectis, nã ista pertimescunt transire per viam, ubi percussa sunt, & appetunt viam, qua cibum invenerunt: ergo memorantur doloris, & sensationis habitæ in percussione, & delectationis gustus inventæ in cibo; sed memoria non est, nisi de speciebus externis jam sensatis, & iudicatis à sensu communi: ergo in eis bratis perfectis inest internus sensus communis.

Dubium est de animantibus imperfectis, præsertim habentibus solum sensum tactus, de his aliqui negant, quia in illis esset superfluous. Alij autem affirmant, dummodo in annullatis spectetur illa pars, quæ caput retinet, facta divisione. Ratio est, quia à tactu doloroso retrocedunt, & sentiendo, aut tangendo aliquod obstaculum, alibi tendunt, aut se restringunt, quæ sine sensu interno fieri non possunt. Verùm illorum sensus internus est valde imperfectus, cum tantum extendatur ad sensum tactus.

15. Quæres 3. Quodnam sit proprium officium sensus communis? Respondemus ex dictis de mente P. August. esse discernere inter sensibilia externa, & inter sensationes sensuum externorum. Si dicas: quid asserendum in casu, quo non esset sensitio, nisi unius sensus externi? Respondemus, tunc fore; ut discerneret tantum negativè. Ratio est, quia ad discernendum positivè colorem à sono necessarium est utrumque per-

cipere positivè; sed in casu dicto non perciperet utrumque, sed nihil sensibile: ergo non discerneret positivè, sed negativè. Haberet tamen in actu primo vim discernendi positivè, nam hæc est ejus natura, nisi ob imperfectionem subjecti hoc non habeat, ut in talpa, cujus sensus communis non potest discernere colorem, & in animalibus imperfectis, non habentibus, nisi unum, aut duos sensus externos.

Dices. Sensus communis nequit discernere duo objecta sensibilia, nec duas sensationes, nisi illas cognoscendo; sed nequit illas cognoscere: ergo nequit inter illas discernere. Probatur min. nequit ea cognoscere duplici sensatione internas; quia unicus sensus unica sensatione cognoscit. Nec potest unica sensatione cognoscere, quia ad unicam sensationem datur unica species; nequit autem unica species repræsentare diversa sensibilia, ut sunt color, sonus, sapor, visio, auditio, &c. ergo nequit sensus communis illa percipere unica sensatione. Respond. Sensem communem illa omnia percipere unica sensatione: ceterum cum intelligat per species immixtas à sensibus externis, qui juxta P. August. cuncta referunt ad sensum communem, idè illam cognoscit per plures species. Nec inconvenit, quod species sint plures, & sensitio unica; nam illæ species sunt inadæquatæ, & partiales relatè ad sensationem internam, quæ universalior est, & unica comprehendens sensitio

tiones externas. Quare ex multis speciebus sensuum externorum integratur species adæquata sensui interni.

16. Quæres 4. An sensus communis efficiat sibi novam speciem, distinctam à speciebus sensuum externorum, an verò utatur speciebus acceptis? Suarez cum aliquibus asserit, primum, docens, sensum communem esse agentem, & passibilem: agentem, ad productionem speciei, passibilem, ad sentiendum per illam; eo modo, quo communis sententia ponit duplicem intellectum agentem, & passibilem. Contrariam sententiam tenet Magist. Palanco, negans dari sensum communem agentem, sed tantum esse passibilem, & uti speciebus sensuum externorum. Hæc sententia est Ægidiana, de qua infra erit quæstio specialis, ostendens de mente P. August. & B. Ægidij non dari sensum agentem, nec sensationem, præcipue externam, esse actionem, sed meram passionem. Interim ex principiis communibus accipe sequentes probationes.

Prima ab inconvenienti, nam opus esset ponere duos sensus communes realiter distinctos, unum agentem ad formandam speciem, alterum passibilem ad sentiendum per illam, sicut eadem ratione ponitur duplex intellectus agens, & passibilis; sed hoc est contra communem Philosophiam, quæ unicum sensum communem agnoscit: ergo sensus communis non format sibi speciem. Secunda, sensus externi juxta P. Aug.

cuncta referunt ad sensum internum, ut dictum est, quare immittunt omnes species, quas accipiunt à sensibilibus; sed eis speciebus positis in sensu communi, superfluit nova species ad representanda objecta sensibilia: ergo non est necessitas in sensu communi ad formandam novam speciem. Conf. Nam objecta sensibilia, quæ immittunt speciem usque ad sensum externum, potest etiam illam immittere usque ad sensum internum: ergo non est necessitas alterius speciei pro sensu interno. Probatur antecedens. Via inter objectum sensibile, & sensum externum est materialior, & minus apta ad recipiendam speciem intentionalem, quàm est via inter sensum externum, & sensum internum, nam hæc est immaterialior, cum sit instituta ad trajiciendas species, & spiritus animales: ergo objectum habens vim transmittendi speciem usque ad sensum externum per viam materialiore[m] potest eadem vi transmittere speciem usque ad sensum internum. Ob id dicit D. Thom. lib. de Memoria lect. 2. *Sensatio objecti externi incipit à sensibilibus proprijs, & terminatur ad sensum communem.*

17. Dices: Species sensus communis sunt eleviores, & immaterialiores, quàm species sensuum externorum: ergo indigent causa altiori; quare si species sensuum externorum fiunt ab objectis externis, non sic species sensus communis. Secundò etiam si objecta externa

na possint efficere sui speciem in sensu communi, non tamen speciem sensationis externæ; sed in sensu communi requiritur species sensationis externæ; cum illam reflexè cognoscat: ergo saltem ad istam requiritur sensus communis agens.

Ad primum concessio antecedenti nego consequentiam; nam quòd species objecti sensibilis non sit amplius immaterialis, non provenit ex defectu causæ, sed ex defectu subjecti, cui proportionatur species. Causa enim effectiva speciei objecti sensibilis, non est solum objectum sensibile, sed est virtus cœlestis adjuvans objectum, & deputans à materia ejus similitudinem. Hæc causa proportionatur cum sensu externo, & idè illi immitit speciem non plenè puram. Ceterum, dum hæc species jam sensata deferretur ad sensum communem immaterialiore[m], tum species illa amplius depuratur ab eadem virtute cœlesti, nec opus est, hoc fieri à sensu agente. Ad 2. dic, non esse necessariam speciem distinctam representantem sensationem; nam per hoc præcisè, quòd in sensu communi recipiatur species coloris v.g. jam sensata per visum, recipitur, ut modificata per visionem; ergo sine nova specie cognoscitur color, & visio. Sicut dum albedo videtur per vitrum rubrum, visus non solum videt album, sed videt albedinem, ut modificatam per rubredinem.

5. IV.

De alijs sensibus intervis in particulari.

18. **E**X dictis colligitur quid sit imaginativa, est enim *Potentia sensitiva, per se ordinata ad conservandas species rerum sensibilium, & illas cognoscendas in absentia objectorum.* Hæc definitio patet ex dictis §. 2. ubi pro speciebus sensatis diximus, dari duos sensus realiter distinctos, unum, qui percipiat in præsentia objecti, alterum, qui retineat species, ut in absentia objecti possit illas cognoscere. Totum hoc habetur in D. Thom. 1. p. q. 78. art. 4. dicente: *Recipere, & retinere reducuntur in corporalibus ad diversa principia, nam humida bene recipiunt, & male retinent, e contrariò autem est de siccis: unde cum potentia sensitiva sit actus organi corporalis, oportet esse aliam potentiam, quæ recipit species sensibilium, & quæ conservet.*

Hinc patet discrimen imaginativæ à sensu communi. Differunt primò, quia sensus communis recipit species sensatas, sed illas non retinet, nec conservat, quia ab illis solum denotatur in præsentia objecti, ut loco laudato docet D. Thom. in lib. de Somno, & vigilia lect. 2. At verò imaginativa recipit species, & eas conservat, & quando species excitantur in absentia objecti, eas cognoscit. Differt secundò

ddo, quia sensus communis solum percipit sensibilia presentia, imaginativa autem etiam absentia. Differt tertio, quia sensus communis apprehendit sensibilia per modum simplicis intentionis; imaginativa autem juxta Thomistas non distinguit illam a phantasia, cognoscit species modo compositivo, formando ex diversis speciebus acceptis, tertiam speciem v.g. speciebus montis, & auri format tertiam speciem montis auri. Sic Thomista.

Ceterum in sententia B. Egidij phantasia est quintus sensus distinctus ab imaginativa. Quod non leviter probatur ex dictis num. 16, quae hic reponit. Ideo juxta Thomistas non datur sensus communis agens, qui sit formativus novae speciei distinctae a speciebus sensatis, quia tunc sensus communis esset duplex potentia realiter distincta, nempe agens speciem propriam, & passibilis cognoscens per illam; sed juxta ipsos imaginativa, & phantasia non solum recipit species sensatas, sed format sibi speciem propriam modo compositivo: ergo est duplex potentia realiter distincta, una activa speciei, & haec est phantasia, altera passibilis pure receptiva, & cognoscitiva, & haec est imaginativa.

19. Existencia imaginativae in animalibus saltem perfectis supra factis probata est, quare ad aestimativam, & memoriam explicandam accedamus. Patet, quod in brutis non solum datur cognitio rerum sen-

sibilia, sed etiam eorum, quae nullo sensu externo possunt percipi. Vt ovis cognoscit lapum esse sibi disconvenientem, canem autem, & pastorem esse sibi profiquos. Signum hujus cognitionis sunt diversi motus appetitus ovis, quae fugit a lupo disconvenienti, venit autem ad pastorem; & canem. Ad convenientiam illam, vel disconvenientiam non est color, sonus, sapor, odor, aut calor, nec aliquid sensibile per sensus externos: ergo non potest cognosci per species sensatas, nec per sensum communem, imaginativam, aut phantasia, quae sunt potentiae ad species sensatas. Restat ergo pro his objectis insensatis ponere in vivente sensitivo potentiam cognoscitivam altioris ordinis ab enumeratis. Patet haec consequentia quoad secundam partem, quia species insensatae minus dependet a materia, quam species sensatae: ergo pro insensatis requiritur potentia altioris ordinis.

Haec est duplex, una ad recipiendum, altera ad retinendum. Juxta praescriptam regulam D. Thomae num. praeced. quae valet etiam pro potentijs ad species insensatas, nam istae etiam subjiciuntur in organo corporali: ergo sapiunt naturam corporalem; sed in corporalibus potentia recipiens realiter differt a potentia retinente, & petit diversum temperamentum: ergo in potentijs circa insensata, potentia recipiens realiter distinguitur a potentia retinente.

Potentia recipiens dicitur aestimativa

timativa, seu cogitativa, & diffinitiva potest. *Potentia sensitiva per se ordinata ad recipiendas species insensatas, & illas cognoscendas in praesentia objecti.* Omnia patent ex dictis, & solum oportet notare, quod aestimativa in homine est perfectior, quam in bruto, & major perfectio colligitur ex dictis num. 11. quia videlicet in homine aestimativa operatur cum aequali discursu, comparatione, & collatione. Secus in brutis, ubi operatur sine collatione, & comparatione per puram determinationem ad unum, & instinctum naturae ad unum determinatum. Hinc aestimativa in homine vocatur cogitativa, secus in brutis, qui nullam habent indifferentiam ad deliberandum, pro qua sit necessarium cogitare, sed a natura ipsa determinantur ad cognoscendum conveniens, vel nocivum, quod in re conveniens, vel nocivum est.

Memoria, seu reminiscencia est *Potentia sensitiva per se ordinata ad retinendas species insensatas, & eas cognoscendas in absentia objecti.* Istam datur etiam in brutis, constat ex eorum operibus, ut notavit P. August. lib. 10. Conf. cap. 17. dicens: *Habent memoriam, & pecora, & aves. Alioquin nunquam cubilia, nidosque repeterent, neque alia multa facerent, quibus assuescunt.*

20. Observa, quod circa species sensibiles non est unica memoria, sed duplex, una retentiva specierum sensatarum, & haec vocatur imaginativa, ut dictum est; al-

tera retentiva specierum insensatarum, & haec vocatur memoria, quae est nomen genericum. Quod autem sit duplex potentia realiter distincta, probatur ex dictis. Nam potentiae memorativae sensitivae juxta D. Thom. sunt etiam cognoscitivae in absentia objecti, & ad hoc datae a natura; sed potentia cognoscitiva speciei insensatae est juxta D. Thom. realiter distincta a potentia cognoscitiva speciei sensatae, ut patet ex dictis §. 2. ergo potentia memorativa, & retentiva speciei sensatae est distincta realiter a memoria rei insensatae.

Cum species sint in memoria sensitiva, quae est etiam cognoscitiva, quares. Cur memoria illa non semper actu cognoscit, si semper speciem habet? Respondetur ex dictis num. 12. species illas esse semper in memoria quoad entitatem, sed non semper quoad representationem, nisi quando excitantur, ut actualiter representent. Iterum quares, quomodo excitantur? Respondemus, excitari species a commotione spirituum animalium, aut a novo aliquo sensato, excitante speciem aliorum. Sic avis percepta nocte, & sensata, recordatur nidi, fame sensata recordatur cibi, & hoc sine ullo discursu, per solum instinctum naturalem, & naturalem commotionem spirituum. In homine memoria sensitiva participat altioris modum memorandi ex aliqua, si discursu, nam ex uno memorato deducit aliud, & ex uno sensibili singulari venit in memoriam alterius

A ratione probatur hæc sententia, quia posita vitali receptione speciei, optimè intelligitur perceptio objecti, & cognitio ejus sensitiva, sine ulla entitate nova: ergo cum respectu speciei potentia sensitiva se habeat purè passivè, & solum objectum se habeat activè, immittendo speciem, solum objectum est causa activa sensationis, potentia autem est causa purè passiva. Et confirm. Nam si potentia sensitiva ultra recipere speciem, haberet concursum activum in sensationem, nõ diceretur à Philosopho Potentia simpliciter passiva, ut eam vocat 2. de Anim. text. 51. sed deberet dici potentia simpliciter activa: ergo quia potentia sensitiva, dum actu sentit, purè patitur, & tota activitas est ab objecto. Probatur antecedens. Nam tunc potentia sensitiva se haberet, sicut voluntas, quæ actuatur ab extrinseco objecto, & sic actuata activè influit in suas operationes; sed voluntas licèt passivè actuatur ab objecto, non dicitur potentia simpliciter passiva, sed simpliciter activa ratione influxus, què habet in suos actus: ergo &c.

Confirm. 2. de mente eorum DD. qui docent actum cognoscendi fieri à potentia specie informata, ita tamen, ut potentia ex se nullam habeat activitatem, sed tota ratio efficiendi sit species; sicut in aqua calida tota ratio calefaciendi est calor. Sed sic sentientes dant objecto totalem activitatem, & potentia se habet merè passivè ad sensationem;

ergo in hac sententia potentia sensitiva sunt purè passiva. Pro hac sententia Scotus citat D. Thom. & eam indicat 1. p. q. 56. art. 1. & q. 79. art. 3. ad 1. & q. 85. art. 2. ad 3. & fuit sententia Alberti Magni, & Thienensis, pro qua citatur etiam Cayetanus 1. p. q. 14. art. 1. & q. 79. art. 2. & q. 87. art. 1.

4. Tertia sententia media asserit, potentiam habere veram activitatem circa actum suum; non tamen eam solam, sed etiam objectum influere in actum cognoscendi. Ita communissimè omnes Philosophi, & ferè tota Schola Thomistica, & Scotica, quibus subscribunt cum Eximio Suarez DD. Societatis. Probatur 1. eis autoritatibus P. Augusti & D. Thom. quæ allegatæ sunt n. 1. Deinde ex Philos. 2. de Anima cap. 2. ubi ait, animam esse principium intelligendi, & sentiendi, sicut & vegetandi, non immediatè, sed per potentias suas; sed anima apud omnes est principium activum vegetandi: ergo etiam est principium activum intelligendi, & sentiendi. Et confirm. Nam si potentia cognoscens non concurrat activè: ergo nequæ anima concurrat, quia non nisi cum potentijs operatur: ergo anima non est principium cognoscendi, quod est evidentè falsum, & contra Aristot. lib. 2. de Anim. cap. 2.

Probatur 2. Potentia sensitiva actuata specie, verè, & propriè operatur; sed hæc operatio activè procedit à potentia, & à specie: ergo principium adæquatam sensationis

non

nõ est sola potentia, aut sola species, sed utrumque simul. Maj. probatur. Cognitio sensitiva est actio vitalis; per illam enim cognoscens actu vivit, quando actu cognoscit, sicut vivens vita vegetativa, actu vivit, quando actu nutritur: ergo potentia actuata specie verè operatur. Patet conseq. quia vivere est se movere, & operari; unde vita est operatio procedens à vivente, & in illo recepta.

Jam verò, quòd hæc operatio sensitiva non solum sit activè à potentia, sed etiam ab objecto media specie probatur autoritate D. Thomæ 1. p. q. 56. art. 1. ubi ait: *In actione, qua manet in agente, oportet ad hoc, ut procedat actio, quòd objectum uniatur agenti, sicut oportet, quòd insibile uniatur sensui, ad hoc, ut sentiat actu: & ita se habet objectum unitum potentia ad hujusmodi actionem, sicut forma, quæ est principium actionis in alijs agentibus; sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei v se est principium formale visionis in oculo.* Idem docet q. 8. de verit. art. 6. Sed calor est principium effectivum calefactionis, ut patet: ergo species rei visibilis est etiam principium effectivum visionis.

5. Pro hac sententia adducit N. Gavardi alia argumenta ex Matrio ad suadendum, quòd sensus communis est activus. Primum sumitur ex P. Augusti. lib. 11. de Trin. cap. 2. ubi ait, quòd *Visio fit in corpore, & per corpus in anima; fit enim*

*in sensu, qui nec sine corpore est, neque sine anima; sed ex eo, quòd intellectio fiat in intellectu, intellectus est potentia activa: ergo quia sensitio fit in sensu, sensus est activus. Secundò ex Philosopho 2. de Anim. text. 36. ubi ait, animam esse causam effectivam motus localis, augmentationis, & alterationis; sensitio autem alteratio est. Ad idem lib. de sensu, & sensato cap. 2. ait: *Sensibile facit agere sensum.* Et 9. Metaphys. text. 16. ait: *Visionem esse actionem immanentem ab ipso causatam.**

Tertiò juxta Philosophum 3. de Anim. text. 17. ubi ait, quòd *Vbi est dare unum, quòd est omnia fieri, est dare aliud, quòd est omnia facere.* Sed in natura sensitiva est dare sensum, qui est omnia fieri, quia potest omnem actum sentiendi recipere, sicut intellectus potens recipere omnem intellectionem, est omnia fieri: ergo est dare sensum activum, qui sit omnia facere. Hoc enim medio probat Philos. dari intellectum agentem.

Quartò major attentio, & connatus potentia efficit actum perfectiorem, receptio enim omnium actuum eadem est; sed attentio, & connatus dicunt concursum activum potentia: ergo sensus concurrunt activè. 5. Datur receptio speciei in potentia, quæ non est visio, sicut cum species recipitur in oculis dormientis, vel in medio: ergo ultra receptionem speciei in sensu, visio importat actionem ipsius sensus.

6. Sensatio est actus vitalis: ergo debet esse à principio vitali nedam receptivè, sed etiam effectivè. Sed hoc principium vitale non est species, nec ipsum sensibile, quia hæc non sunt vitalia, ut constat: ergo actus vitalis debet esse à potentia vitali effectivè. Et urgetur, quia si species, & non potentia efficeret sensationem, tunc species magis sentiret, quàm potentia, quia sensatio plus debet tribui principio efficienti, quàm purè recipienti. Rursus nec potentia, nec species sentiret in eo casu: Non potentia, quia non efficeret sensationem. Non species, aut objectam, quia illam non reciperet; sentire autem est efficere, & recipere sensationem, Tandem si sola species esset effectiva sensationis, posset illam causare separatim à sensu, sicut calor etiam separatus ab igne calefacit: ergo sicut calor separatus ab igne calefacit, ita species separata à sensu sentiret, quod est falsissimum.

6. Pro eadem sententia sunt alia argumenta, vel præcedentia aliter posita, quæ adducit N. Villanova in M. S. cum eo argues sic. Sentiens, secundum quod sentit, dicitur aliquomodo agere; sed potentia sensitivæ verè sentiunt: ergo non sunt purè passivæ respectu sensationis. Major probatur. Sensatio est aliquo modo actio; nam actio adæquatè dividitur in transeuntem, & immanentem, sensatio autem est actio immanens: ergo &c. Secundò sensatio est actio vitalis; sed recep-

tio speciei, quæ convenit sensibus, ut sunt potentia passivæ, non est actus vitalis: ergo sensus non sentiunt purè patiando, & recipiendo speciem. Minor probatur. Ad receptionem speciei non movetur animal à se, & in se, cum receptio speciei, & ipsa species non orientur à potentia, sed ab objecto; sed actus vitalis est motus à se, & in se: ergo &c. Tertio, si sensatio nihil est aliud, quàm receptio speciei sensibilis, etiam intellectio nihil aliud erit, quàm receptio speciei intelligibilis, causata à phantasmate in intellectu possibili virtute intellectus agentis; sed consequens est falsum, nam Angeli habent species congenitas, sed non habent congenitas intellectiones: ergo &c.

§. II.

Præfertur sententia affirmans, & multipliciter probatur.

7. **S**ententia affirmans, quæ ad defendendum difficilior est, expressè traditur à P. August. & à B. Aegid. nec leviter insinuat à D. Thom. ubi supra, sicut & à Philosopho. Quare in gratiam P. August. eam defendendam suscipimus cum B. Aegid. de cognitione Angel. quæst. 1. & in 2. Sentent. dist. 17. q. 1. art. 2. quem sequuntur N. Villanova, Gavardi, & omnes ejus Discipuli, necnon DD. citati num. 3. à quibus excipit Cayetanum, qui mutavit sententiam, teste Suarior.

Pro

Probatur autoritate P. August. lib. II. de Trinit. cap. 2. ubi ait, quòd quando videmus aliquod corpus, tria consideranda sunt nempe rem, quam videmus; visionem, quam videmus; & animi intentionem, quæ detinet sensum oculorum. Deinde subdit: *Ipsaque visio, quid aliud quàm sensus ex ea re, quæ sentitur, informatus apparet?* Deinde, *ipsa forma, quæ à corpore imprimitur sensui, quæ visio appellatur.* Et infra: *Formari in sensu nostro imaginem rei visibilis, cum eam videmus, & eandem formam esse visionem.* Magis infra: *Species corporis, quæ videtur, & impressa ejus imago sensui, quod est visio, sensus formatus.*

Hic S. P. expressè docet, visionem esse ipsam speciem receptam; sed relatè ad speciem receptam potentia sensitiva se habet purè passivè: ergo de mente P. August. potentia sensitiva est purè passiva. Rursus visio juxta P. August. nihil est aliud in oculo, quàm sensus informatus ea re, quæ sentitur, & videtur; sed potentia visiva relatè ad objectum, vel speciem informantem, se habet purè passivè, sicut materia prima relatè ad formam substantialem, qua informatur: ergo sensus omnis est potentia passiva pura ad sensationem.

Confirm. ex eodem P. August. lib. de Quantit. anim. à cap. 23. usque ad 25. ubi fuse probat sensationem esse puram passionem corporis: ergo potentia sensitiva est purè passiva ad sensationem. Ibidè

cap. 23. in fine dicit: *Ipsam videre sentire est, sentire autem pati*: ergo potentia sensitiva est purè passiva, alioquin si esset activa, & ageret sentiendo; ageret per purum pati, & hoc est impossibile. Tandem capit. 25. diffiniens sensationem dicit, quòd est *Passio corporis non latens animam.* Sed si sensatio est passio, potentia sensitiva debet esse purè passiva; tum quia talis est potentia, qualis actus ejus; tum, quia si esset activa per sensationem, quæ est passio, esset activa per passionem, quod est implicitorium: ergo dicendum est cù P. August. quòd potentia sensitiva est purè passiva.

8. Secundò probatur eadem sententia ex Philosopho locis datis num. 3. & insuper 2. de Anim. text. 138. ubi docet, eundem actum esse objecti sensibilis, & sensus, & recipi in eodem sensu, esseque simul actionem, & passionem: passionem, quatenus in sensu recipitur, actionem, quatenus ab objecto dimanat. Verba Philosophi sunt hæc, *Sensibilis autem actus, & sensus, idem est, & unus. Esse autem ipsorum, non idem.* Sed potentia sensitiva respectu actionis objecti, est purè passiva: ergo est etià passiva respectu propriæ sensationis. Minor patet. Nam actus objecti, est actio, qua immittit speciem, & illam imprimit potentia; & cum actio illa non differat à termino producto, ut dictum est lib. 3. Physic. idè actio objecti sensibilis circa potentiam est ipsa species impressa ab objecto. Sed hæc est actio,

& actualitas potentia sensitivæ juxta Philosophum: ergo cum potentia sensitiva se habeat purè passivè relatè ad speciem objecti, sequitur, quòd sit purè passiva relatè ad sensationem.

De mente D. Thomæ constat locis datis num. 3. ubi teste Suariorum sententiam nostram satis insinuat. Vide verba D. Thomæ posita num. 4. in fine, quæ non tantum probant, quòd actio immanens sit ab objecto, sed quòd sit totaliter ab objecto. Ibi dicit, actionem immanentem esse ab objecto, sicut calefactio in igne est à calore: calefactio est à calore, tanquam à principio adæquato, & proximo: ergo visio in oculo est adæquatè effectivè ab objecto visibili. Rursus 1. p. q. 79. art. 3. ad 1. ita ait: *Ad 1. dicendum, quòd sensibilia inveniuntur actu extrà animam, & idèd non oportuit ponere sensum gentem. in parte nutritiva omnes potentia sunt active: in parte autem sensitiva omnes passive. In parte vero intellectiva est aliquid activum, & aliquid passivum.* En sententia nostra, & disparitas ad potentias vegetativas, & racionales, quæ vel plenè activæ sunt, vel simul activæ, & passivæ, ut voluntas, & intellectus. potentia autem sensitivæ sunt adæquatè passivæ.

Confirm. ex eodem D. Thom. 1. p. q. 85. art. 2. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quòd in parte sensitiva invenitur duplex operatio. Una secundum solam immutationem: & sic perficitur operatio sensus, per hoc, quòd immu-*

tatur à sensibili. Alia operatio est formatio, secundum quod vis imaginativa format sibi aliquod idolum rei absentis, vel etiam nunquam visæ. Ecce operatio sensus juxta D. Thom. plenè perficitur per hoc, quòd immutatur sensus ab objecto sensibili; sed sensus, dum immutatur objecto, se habet purè passivè: ergo passio potentia sensitivæ est operatio, & sensatio illius. Urgetur. Nam ibi D. Thom. solùm concedit veram actionem potentia imaginativæ, quando format idolum, & similitudinem objecti absentis, aut nunquam visæ; sed nullus sensus externus format idolum, ut supra diximus ex communi sententia q. 2. num. 4. immò nullus sensus internus, excepta imaginativa, ac phantasia, format idolum: ergo nullus sensus internus, aut externus, habet sensationem, quæ sit actio, & non sit mera passio.

9. Probatur à ratione hæc sententia ex B. Aegidio. Non est de essentia sensationis, quòd sit actio, sed quòd sit passio: ergo non est de essentia potentia sensitivæ, quòd sit activa, sed quòd sit passiva. Patet consequentia, quia tota perfectio potentia, sive activa sit, sive passiva, explicatur in suo exercitio: ergo si exercitium potentia sensitivæ est merè passivum; potentia ipsa erit merè passiva. Antecedens probatur. Non est de essentia sensationis, quòd sit expressiva, aut productiva sui objecti, sed tantum quòd sit perceptiva illius; sed in actione

cognoscitiva, solùm petitur, quòd sit actio, quando est productiva non tamen quando est perceptiva objecti tantum: ergo non est de essentia sensationis, quòd sit activa, sed quòd sit passiva. Major patet, quia cum nullus sensus formet idolum objecti sensibilis, ut dictum est, nulla sensatio est formativa, & productiva similitudinis sui objecti. Habet tamen omnis sensatio, quòd sit perceptiva objecti, & hoc est taliter ipsi essentialè, ut si non sit perceptio objecti, non sit sensatio.

Min. probatur ex D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. ubi ait: *Dicere, & intelligere, differunt; nam intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solùm informatio quedam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo est omninò idem intellectus, & intellectum.*

Prosequitur S. Doct. *sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil enim est aliud dicere, quàm proferre verbum. Et sic sola Persona, quæ profert Verbum, est dicens in Divinis, cum tamen singula Personarum sit intelligens, & intellecta.* Ecce intellectio, & est perceptio objecti, & aliquando, ut in æterno Patre, est dictio, & productio verbi, aut similitudinis objecti cogniti. Quando est dictio, & productio verbi, tunc est actio: quando autem est tantum perceptio obje-

cti, tunc non est actio, sed passio juxta D. Thom. Primò, quia tunc solùm importat meram informationem objecti in intellectu; sed relatè ad informationem objecti, intellectus se habet merè passivè, ut patet: ergo intellectio, ut est mera perceptio objecti, dicit solam passionem. Tum etiam, quia intellectio, ut est mera perceptio objecti, non importat, teste D. Thom. aliquam rationem originis; sed actio propria importat egressum, qui est origo actionis à principio: ergo intellectio, ut est mera perceptio objecti, non habet, quòd sit actio, sed est pura passio intellectus ab objecto informante, & actuante. Totum hoc convenit etiam sensationi, quæ suo modo est actio cognoscitiva: ergo cum non sit actio dictiva, eò, quòd non producit idolum; restat, quòd sit purè perceptiva objecti, *In quo nulla ratio originis importatur, sed solùm informatio quedam in sensu nostro, prout sensus noster fit in actu per similitudinem rei sensatæ:* quæ sunt verba D. Thom. applicata sensationi.

Ex hac ratione non solùm probatur nostra sententia, sed colligitur disparitas pro importuna paritate intellectus, & voluntatis, ne concedantur potentia purè passivæ. Eam insinuat N. Gerardus in 1. Sentent. dist. 27. q. 1. art. 2. Disparitas consistit in differentia, quæ versatur inter intellectum, & potentias sensitivas; nam sensus non concipiunt res, ut illas possint parere, & dice-

re; intellectus verò ita concipit res, ut illas possit parere, & dicere juxta illud vulgatum P. N. August. *Ab objecto, & potentia paritur notitia.* Dicitio autem est partus quidam, & editio verbi mentalis. Sic habent parere intellectus, & voluntas, ut notat N. S. Thom. de Villan. *serm.* 5. in die natalis Domini, observans duplex tantum esse in nobis verbum, nempe cordis, & oris, quæ doctrina passim habetur in P. Aug. Hinc sequitur, quòd intellectus, & voluntas sunt ex se potentia activa, quia non solum habent posse percipere objectum, sed illud parere, & dicere per verbum mentis, & in voluntate per impulsum, qui dicitur verbum cordis. At sensus non habet parere, aut dicere, sed pure percipere objectum, quare solum habet esse potentiam passivam.

10. Huic rationi, quæ à prio-ri est, & fundatur in autoritate D. Thom. quæ non solum habetur hic, sed quæst. 4. de Verit. art. 2. ad 5. & 1. p. q. 27. art. 5. ubi specialiter loquens de sensu dicit: *Ejus operationem perfici per mutationem à sensibili.* Respondet Mag. à S. Thom. q. 4. de Anim. art. 1. D. Thomam loqui de informatione vitali, quæ sine operatione stare non potest. Quare juxta ipsum sensus D. Thom. est, quòd intelligere importat informationem vitalem, quæ non stat sine operatione propria, quia vita operatio est. At hæc expositio expressè repugnat textui; nam in illo D. Thom. loquitur de informatione,

In qua nulla ratio originis importatur; sed informatio vitalis, quæ non stat sine operatione viventis, importat egressum, & rationem originis, ut patet: ergo informatio, de qua loquitur D. Thom. non est informatio vitalis, importans operationem.

Quòd si cum eodem Mag. recurras ad informationem verbi mentalis, & speciei expressæ, quæ præsupponit veram actionem intellectus; quare est informatio vitalis. Recursus iste impertinens est, & relinquit rationem nostram intactam. Primum, quia informatio verbi mentalis supponens operationem in intellectu, non supponit illam in intellectu, ut intelligente, sed ut dicente: ergo intellectus, ut intelligens non petit informationem vitalem media operatione, sed informationem non vitalem, vel quæ sit vitalis pure passivè. Rursus. Quòd in intellectu informetur verbo, à se producto, non infert, quòd potentia sensitiva informetur per speciem objecti, à se productam; sed tota ratio, cur in cognitione intellectiva intervenit vera operatio vitalis, est, quia objectum informat potentiam, media specie expressa, producta ab intellectu: ergo cum sensus non cognoscat objectum per speciem à sensu productam, sequitur, quòd in tali cognitione nulla intervenit operatio, sed mera informatio, in qua nulla ratio originis importatur.

11. Secundò probatur nostra sententia, & confirmatur præcedens ratio. Potentia cognoscitiva, si pe-
tit

sit operationem, illam petit, ut reducatur de actu primo ad actum secundum, vel ut aliquid per illam operationem operetur; non enim ad aliud videtur ponenda operatio; sed in potentia sensitiva non est necessaria operatio propria potentia, ut aliquid operetur, nec ut reducatur de actu primo ad actum secundum: ergo potentia sensitiva, non est activa, sed passiva. Min. quoad 1. p. patet, quia sensus non formatur idolum, & sic nihil producit. Quoad 2. p. probatur. Potentia sensitiva reducitur de actu primo ad actum secundum per actualem sensationem, & perceptionem objecti sensibilis; sed hæc actualis perceptio non est operatio egrediens à potentia sensitiva: ergo &c. Probatur min. Per hoc præcisè, quòd speciei objecti sensibilis informat potentiam sensitivam, ista actu percipit objectum; sed in hac informatione nulla est operatio potentia sensitiva, sed mera passio, ut patet; ergo. Probatur maj. Speciei objecti sensibilis informans potentiam, illam immutat intentionaliter; quare intentionaliter se habet potentia, aliter ac erat ante informationem; sed ante informationem erat in potentia ad percipiendum objectum, & sic erat in actu primo: ergo post informationem transit de actu primo ad actum secundum, & actu percipit objectum.

Si dicas: quòd informatio objecti solum constituit potentiam sensitivam in actu primo completo; si-

cut species impressa unita intellectui, constituit intellectum in actu primo completo, non autem in actu secundo; quare per informationem speciei non transit intellectus de actu primo ad actum secundum, sed de actu primo incompleto ad actum primum completum. Si hoc dicas. Contra 1. Nam hic confundis in intellectu munus dicendi, & munus intelligendi; quare informatio speciei, quæ complet actum primum intellectus ad dicendum, ponitur à te complementum etiam intellectus ad intelligendum; & hoc est confundere munera intellectus, quæ distinguuntur à D. Thom. & communi Philosophia.

Secundò, & explicatur. Species impressa complet actum primum intellectus, illum fecundando, ut omnes dicunt communiter; sed intellectus solum ut potentia dicta, & pariens, indiget tali fecunditate; nam fecundatur, ut pariat; nec fecundaretur, si sterilis esset: ergo intellectus, solum ut potentia dicta, completur in actu primo per speciem objecti: ergo non completur, ut potentia pure cognoscitiva: ergo independenter ab objecto habet intellectus, quòd sit potentia complete cognoscitiva: ergo dum per informationem objecti mutatur intentionaliter, verè transit, ut potentia cognoscitiva, de actu primo completo ad actum secundum percipiendi objectum.

Et confirm. Intellectus, ut po-

tentia dictiva ; supponit objectum perceptum : ergo unio objecti cum potentia, quæ est actus primus completus ad dicendum, est verus actus secundus percipiendi ; & cognoscendi objectum. Probatur antecedens. Nemo potest dicere, nisi quod cognovit ; quare nec intellectus potest dicere objectum à se non cognitum : ergo sicut potentia locutiva nostra, si est completa, supponit cognitionem objecti dicibilis ; ita etiã potentia locutiva, & dictiva intellectus, si est completa, supponit, aut includit cognitionem objecti dicibilis. Sed per te, & juxta omnes, potentia dictiva intellectus completur per informationem objecti dicibilis : ergo informatio ipsa est actualis perceptio, & cognitio objecti, aut illam includit ante actuale exercitium dicendi, & producendi verbum. In sensibus, ubi non est potentia dictiva, sed purè perceptiva, clariùs patet, quòd immutatio potentia ab objecto informante est transitus potentia de actu primo ad actum secundum.

12. Tertio probatur assertio nostra à ratione sic. Illud, quod est simul activum, & passivum, potest agere in se ipsum ; sed potentia sensitiva nequeunt agere in se ipsas, nec pati à se ipsis : ergo sunt purè passiva, & non simul activa, & passiva. Minor constat ex communi sententia negante, potentias sensitivas reflectere supra se ipsas, & supra suos actus. Accedit ratio, nam idè intellectus potest se ipsum intellige-

re, & voluntas se ipsam amare, quia sunt potentia spirituales, potentes reflectere, & se convertere supra se ipsas. Potentia autem sensitiva sunt materiales, unde non possunt agere in se ipsas, ut patet in oculo, qui nec se ipsum, nec suam visionem videre potest. Maj. probatur. Primum à paritate intellectus, nam quia est simul activus, & passivus, activè intelligit se ipsum, & à se ipso intelligitur. Ne autem putes, causam esse hujus reflexionis unicam immaterialitatem, ecce exemplum in re materiali : Si combustibile esset simul combustivum, combureret se ipsum ; nam ad combustionem nihil aliud requiritur, nisi quòd combustibile applicetur proprio activo, quod est combustivum : ergo si illud, quod est simul activum, & proprium passivum, potest agere in se ipsum, & pati à se ipso.

Confirmatur autoritate Philosoph. lib. 2. de Anim. text. 52. ubi non solum docet nostram sententiã, sed illam probat ratione à nobis proposita. Postquam enim proposuit dubium, *Cur sensuum ipsorum non sit sensus ?* Id est quare sensus non sentiunt se ipsos ? Quod patet in oculo, qui non videt se ipsum : Respondet : *Manifestum igitur est, quòd sensitivum non est actu, sed potentia tantum ; unde non sentiunt. Sicut combustibile non comburitur ipsum à se ipso sine combustivo ; combureret enim se ipsum, & nihil indigeret actu ignem esse.* Supple, ut hic notant D. Thom. & B. Egid. *Si combustivum simul*

simul cum hoc, quòd est in potentia passiva, ut comburatur ; esset in potentia activa, ut combureret ; Et quia simile est de sensu, oportet sensum secundum quod hujusmodi esse in potentia passiva tantum.

13. Quarto probatur conclusio à ratione. Idè contraria sententia ponit sensus esse potentias activas, quia sunt potentia vitales, quæ debent vivere in actu secundo, nec possunt nisi per operationem, quæ sola est vita in actu secundo : sed hæc ratio, quæ est unicum fundamentum sententia contraria nihil probat de sensibus : ergo &c. Probatur minor. Per hoc præcisè, quòd species objecti sensibilis informet potentiam sensitivam, vivit ista in actu secundo : ergo ut sic vivat, non requirit operationem, sed meram receptionem objecti. Antecedens probatur. Per hoc præcisè, quòd species objecti sensibilis informet potentiam, datur vera passio vitalis, sed passio vitalis est vita in actu secundo : ergo per hoc præcisè, quòd species informat potentiam, ista vivit in actu secundo. Patet consequentia, quia pro omni signo, quo datur vita in actu secundo, potentia vitalis in actu secundo vivit. Hinc tota difficultas stat in probandis præmissis.

Probatur primò major. Potentia sensitiva, ut potentia vitalis est, verè patitur, recipiendo specie objecti sensibilis ; recipere enim, est pati, unde actualis receptio est passio ; sed non est passio potentia non

vitalis, & mortua, sed potentia vitalis, quæ ut vitalis, & sensitiva recipit speciem, & patitur ab objecto sensibili : ergo per hoc præcisè, quòd species objecti sensibilis informat potentiam sensitivam, datur vera passio vitalis.

Nunc probatur minor principalis : Passio vitalis est exercitium actuale potentia passiva vitalis ; sed potentia passiva vitalis est vita, aut vivens in actu primo : ergo passio vitalis est vita in actu secundo. Rursus. Actio vitalis juxta omnes est vita in actu secundo : ergo passio vitalis est etiam vita in actu secundo. Patet consequentia primò, quia utraque est actus secundus & exercitium potentia : ergo utraque est vita in actu secundo, vel neutra. Secundo, ideo actio vitalis est vita in actu secundo, quia est exercitium potentia vitalis, quæ est vitalis in actu primo : sed etiam passio vitalis est exercitium potentia passiva vitalis, quæ est vitalis in actu primo : ergo passio vitalis est vita in actu secundo.

Confirmatur : datur duplex vita in actu secundo, nempe activa, & passiva : sed vita activa est actio vitalis, passiva autem est vitalis passio : ergo ut sensus vivant in actu secundo non est necessaria actio vitalis, sed sufficit vitalis passio. Probatur major. Datur duplex vita in actu primo, nempe activa, & passiva : ergo & duplex in actu secundo. Patet consequentia, quia vita in actu primo, est propter vitam in actu secundo. Probatur antecedens. Datur

duplex potentia vitalis completa, nempe activa, & passiva: sed potentia vitalis completa est actus primus vitalis completus, & sic est vita in actu primo: ergo &c. Major patet quoad potentiam activam, unde solum debet probari de potentia passiva, quod sit potentia vitalis completa. Probatum sic. Potentia passiva vitalis tunc est completa in ratione potentiae passivae, quando nihil illi deficit, ut sit potentia passiva vitalis: sed potentiae sensitivae ita sunt potentiae passivae vitales, ut nihil illis deficiat, ut sint potentiae passivae vitales; nec objectum, aut species actuans sensum, dat illis esse potentiam passivam, sed solum dat illis actualitatem, & actualem passionem vitalem: ergo in sensibus datur vera potentia vitalis passiva completa.

Hæc ratio fundatur in autoritate D. Thomae allegata num. 9. Vbi S. Doct. dicit, quod intelligere non importat rationem originis, sed solum informationem intellectus, qua fit in actu per formam rei intellectæ. *En intelligere*, quod est vita in actu secundo, immo perfectissima ex tribus vitæ gradibus; Et tamen non importat actionem, alioquin non stare sine origine, & egressu à potentia intelligente. Est tamen vita in actu secundo, quæ importat actualem passionem vitalem, quia importat informationem intellectus, qua fit in actu per formam rei intellectæ: sed fit in actu per formam illam recipiendo, & patiando actualiter: ergo intelligere juxta D. Tho.

& veritatem est vita in actu secundo, constituta per solam passionem vitalem. Talem vitam concedimus cum D. Thom. potentijs sensitivis, quæ vivunt in actu secundo per solam passionem vitalem, ab objecto sensibili causatam. Quare sicut dicitur, *quod intelligere est quoddam pati*, ita dicendum de mente P. August. D. Thom. B. Aegidij, & Arist. *Quod sentire est quoddam pati*.

Confirm. sensus actualiter vivere in actu secundo, est actualiter sentire, & actualiter percipere objectum sensibile: sed per hoc præcisè, quod species sensibilis informet potentiam, potentia sentit, & percipit objectum: ergo per hoc præcisè potentia vivit in actu secundo. Probatum. min. Per hoc præcisè, quod intellectus informetur à specie impressa objecti cognoscibilis, percipit, & intelligit illud: ergo pariter de sensu. Patet consequentia, quia sensus, & intellectus conveniunt in cognoscendo, & solum differunt in spiritualitate. Prob. antecedens. Primo ex verbis D. Thom. datis num. 9. Secundo. Per hoc præcisè, quod intellectus informetur ab specie objecti cognoscibilis, per illam fecundatur, ut possit dicere, & parere objectum; sed non potest dicere objectum non cognitum, sed tantum objectum à se cognitum: ergo per hoc præcisè, quod intellectus informetur à specie objecti cognoscibilis, percipit, & intelligit illud.

Explicatur, & iterum confirmatur sicut voluntas non potest amare in cog.

cognitam; ita intellectus non potest dicere incognitum; sicut enim nemo amat, quod non cognoscit, sit nemo dicit, quod plenè ignorat: sed propter primum non potest voluntas completè amare, nec est completè potens, nisi ex parte actus primi ad amandum supponatur cognitio objecti: ergo ob eandem rationem non potest intellectus, nec est completè potens dicere objectum, nisi ex parte actus primi, ad dicendum, supponatur cognitio objecti dicibilis. Sed in signo, quo species objecti intelligibilis informat intellectum, hic per speciem fecundatus, est completè potens parere, & dicere objectum: ergo in signo illo informationis datur cognitio objecti. At in illo signo non datur, nisi informatio objecti, & passio intellectus ab objecto informante: ergo intellectio objecti, ut contradistincta à dictione, est pura passio potentiae, & informatio objecti: quæ est ipsissima propositio D. Thomae ubi supra, & ejusdem terminis probat de sensatione.

§. III.

Solvuntur argumenta contraria.

15. **C**ONTRA nostram sententiam sunt plura argumenta, quæ posita sunt pro fundandis alijs sententijs. Ad autoritates P. August. positas num. 1. quibus Svarius, & alij probant in sensibus circum activum ad sensationes, dicimus, mentem S. P. satis constare

pro nostra sententia, nec adversari in textibus num. 1. allegatis. In primo dicit, quod visio non fit ex sola re visibili; & hoc est verissimum, nam res visibilis in se, nec species ejus in aëre existens, non sufficit ad visionem, requiritur enim, quod adsit visus. Ex utroque fit visio, nempe ex vidente, & visibili; cæterum ex vidente fit materialiter, ex specie formaliter, & ex virtute Cœlesti, & objecto colorato fit efficienter. Quare cum visio sit ex parte potentiae passivae, ex parte speciei informatio; unica causa efficiens est objectum cum virtute Cœlesti efficiens speciem, & illam immittens; terminus autem, & effectus hujus causæ efficientis est hoc complexum *visum videre*, quia terminus, & effectus agentis est hoc complexum, *visum informari specie objecti visibilis*; In hoc complexo continetur aliud, ut probatum est.

Secunda autoritas P. August. non est ad rem, quia in ea loquitur S. P. de intellectu pariente, & dicente. Intellectus, ut dicens, est activus, ut ex D. Thom. ostensum est. Ceterum inde nihil contra nos, quia sensus non est dictivus, nec cognoscit, ut pariat.

16. Ad fundamenta Henrici posita num. 2. quatenus contendunt, quod cognitio non potest activè procedere à specie, ferè non sunt contra nos, quia supponunt cognitionem in intellectu, & sensu, esse actionem; & non meram informationem objecti, & passionem potentiae. At quia actus cognoscendi vocatur

catur actus; & actio, idè sub hac acceptione sumptis argumentis Hentici, ea dissolvemus. Ad 1. nego antecedens, nam adhuc in sensibus externis est falsum, quòd actus sentiendi sint immaterialiores, quàm species sensibiles. Ratio est, quia species objecti sensibilis non fit à solo objecto materiali sed etiam à virtute cœlesti, quæ suppetat in immaterialitate omnes potentias sensitivas externas, immò & internas; & ob id diximus quæst. 6. num. 17. quòd species deservientes sensibus externis, intrant ad sensum communem internum, & illi deserviunt: ergo cum sensus internus excedat perfectionem sensuum externorum, sequitur, quòd etiam species objecti sensibilis excedat perfectionem sensus, & actus externi; unde ex hoc capite non repugnat, quòd sensatio externa, immò & interna, causetur à specie objecti sensibilis.

Ad 1. confirm. dic, speciem esse ejusdem perfectionis cum objecto in esse intelligibili, & in esse entitativo, quando objectum est spirituale; & idè à D. Thom. probatur repugnantia speciei creatæ representativæ Dei, quia repugnat entitas creata, quæ sit æqualis perfectionis cum Deo. At quando objectum est materiale, species est inferioris perfectionis in esse entitativo, sed majoris in esse intelligibili. Hoc patet in substantia materiali, & corporea, quæ cognoscitur ab intellectu per speciem spiritualem, vel spiritualizantem, idèst denudatam à

conditionibus materiæ. Hæc species in esse entitativo est inferioris perfectionis, quia est accidens, & objectum representatum est substantia. Ceterum in esse intelligibili species excedit objectum, quia objectum est materiale, species autem spiritualis: objectum est intelligibile in potentia, species autem est intelligibilis in actu, & sic perfectior in esse intelligibili. Hinc fit, quòd visio, licet sit entitativè perfectior colore, attamen in esse cognoscibili, & sensibili non est perfectior, sed imperfectior. Tum quia in hoc genere visus est potentia perfectibilis, species autem est actus perficiens, tum quia species habet suam perfectionem derivatam non à solo objecto, sed à virtute cœlesti, excedente perfectionem omnis sensus. Tum tandem, quia species habet majorem immaterialitatem, quàm visus, & visio, & ab immaterialitate sumitur perfectio.

Ad 2. confirm. dic, actum cognoscendi esse vitalem vitalitate passiva: ad istam vitalitatem sufficit principium vitale passivum; talis est potentia, quæ convenit viventi ab intrinseco. Dato tamen, quòd actus cognoscendi sit activè vitalis, petit principium activum vitale. Talis est species, quæ licet non sit vitalis ut quod, quia species non vivit, nec cognoscit, nec sentit; est tamen vitalis ut quo, quia est principium deserviens potentia vitali ad actum vitalem. Vt ita sit principium vitale sufficit, quòd sit ab intrinse-

co *inhabere*, hoc est, quòd inhereat intrinsecè principio vitali, licet sit ab extrinseco *dimanativè*. Species autem dimanat ab objecto extrinseco, sed inhereat intrinsecè principio vitali. Sic lumen gloriæ causatur à Deo, & infunditur beatis ab extrinseco: est tamen principium vitale influens in actus vitales, quia inhereat intrinsecè beatis, & est ab intrinseco *inhabere*.

Ad 3. confirm. concesso antecedenti nego conseq. cum D. Tho. 1. p. q. 79. art. 3. ad 1. ubi ait: *in parte nutritiva omnes potentie sunt activæ: in parte autem sensitiva omnes sunt passive*. Nec obitat, quòd ex genere potentia activa est perfectior, quàm passiva, nam hic excessus ex genere, compensatur per speciem; etenim potentia sensitiva sunt spiritualiores, & magis immateriales, quàm vegetativa: ab immaterialitate sumitur perfectio: ergo potentia sensitiva, licet sint passiva, sunt tamen perfectiores, quàm activæ vegetantes.

17. Ad illa, quæ dicuntur in favorem secundæ sententiæ dic, ea esse plene pro nobis, sicut & AA. citati num. 3. debemus tamen aliqua notare. Et 1. sententiam illam nobis probari quoad actum cognoscitivum cognitione sensus; non tamen quoad actus omnes intellectus, & multo minus quoad actus voluntatis. Suprà probatum est, quòd actus intellectus, ut est *dictio*, est vera operatio, quæ efficienter procedit ab objecto, & potentia, à

quibus paritur notitia: ergo intellectus, ut potentia *distinctiva*, est potentia verè activa. Sed in intellectu identificantur ratio potentia cognoscitiva, & ratio potentia *distinctiva*: ergo potentia intellectiva non est purè passiva, sed ut ait D. Thom. 1. p. q. 79. art. 3. ad 1. *in parte intellectiva est aliquid activum, & aliquid passivum*. Quia tamen intellectus non est *distinctivus* in omni sua intellectione, ut patet in Beatis, qui non producant verbum, & in Angelis se ipsos cognoscentibus per suam substantiam, quia tunc non formant verbum: in his cognitio est purum intelligere, quod juxta dicta ex D. Thom. subsistit sine operatione, per solam informationem objecti, & speciei impressæ. De hoc actu cognoscitivo forsan est vera secunda sententia adhuc relatè ad intellectum: & in his principiis forsan est vera sententia asserens, Christum D. intellectu humano potuisse intelligere per intellectionem increatam; quia cum intelligere non petat egressum à potentia, sed meram unionem objecti, quæ sicut non repugnat essentiæ Divinæ relatè ad intellectum creatum sub munere speciei, sic nec sub munere intellectionis, si ista non petit egressum.

At quia sententia negans intellectui humano Christi Domini posse intelligere per intellectionem increatam, est communis in schola D. Tho. & B. Egidij, ideo ne teneamur ex vi presentis quæstionis incidere in sententiam oppositam, tenendum est,

quòd intellectus adhuc ut cognoscitivus, est potentia etiam activa, & petit influere in operationem. Hoc suadet, quia natura intellectus est essentialiter cognoscitiva, ut pariat; & cognoscit, ut dicat: quòd si aliquando non dicit, ut in beatis, & Angelis se ipsos cognoscentibus, hoc est per accidens, & quia objectum per se ipsum est præsens, tam in actu primo, quam in actu secundo. Si tamen objectum non esset præsens per se ipsum, intellectus produceret verbum, & ad hoc haberet virtutem: ergo intellectus absolute, & ratione sui habet virtutem non solum cognoscitivam, sed etiam dictivam; Et sic non solum est potentia passiva, sed activa, etiam quando non producit verbum. Vide dicta num. 9. infine.

De voluntate est specialis ratio ad defendendum, eam esse potentiam activam; nam est potentia libera de cujus ratione non solum est agere, sed agere cum Dominio suarum operationum. Ob id Concilium Tridentinum damnat hereticos cum Lutero, & Calvino, asserentes, voluntatem se habere merè passivè ad suos actus, quando movetur à Deo ad actus supernaturales. Nam hoc asserere, est tollere libertatem, & ista ablata, tollitur meritum, & demeritum: Error capitalis, unde plures in fide sublequantur errores. Propter hæc tenendum est, voluntatem esse potentiam passivam simul, & activam. Nec paritas de sensibus nostris, quidquam probat, non solum in voluntate,

quæ est appetitus rationalis; sed nec in appetitu sensitivo brutorum, qui est potentia non solum passiva immutabilis ab objecto apprehenso, sed etiam est potentia activa, ut infra dicemus. Interim ratio est, quia sicut intellectus est essentialiter dictivus, ita voluntas, & appetitus etiam sensitivus, sunt potentie affectivæ, quæ feruntur ad res; feruntur autem, producendo impulsus, & per amorem objecti apprehensi, qui est pondus, quo feruntur in objectum apprehensum juxta illud P. August. *Amor meus, pondus meum, eo feror quocumque feror.*

Advertunt bene DD. secundæ essentialitatis, non sufficere pro visione, quòd species recipiatur in oculo, sed ultra requiritur etiam attentio anime. Id probatur non solum ratione adducta num. 3. sed etiam auctoritate. P. August. lib. 11. de Trinitate. cap. 2. ubi dicit, tria concurrere ad visionem, nempe objectum, quod videtur, sensus, quo videtur, Tertio, quod in ea re, quæ videtur, quando videtur, sensum detinet oculorum, id est animi intentio. Si quaeras, quid sit hæc animæ intentio? Respondet P. August. ibidem sic. *Tertium verò solius animæ est, quia voluntas est.* Deinde dicit: *Voluntas autem tantam vim habet copulandi hæc duo, ut & sensum formandum admoveat ei rei, quæ cernitur, & in ea formatum teneat.* Hinc docent AA. nostræ sententiæ intentionem animæ esse appetitum quemdam, vel actum voluntatis, aut appetitus sensitivi, qui præcedit

ope:

operationem intellectus, & sensus, & movet intellectum, & sensum, ad hoc potius objectum, quam aliud percipiendum. In homine est appetitus rationalis; In brutis est appetitus sensitivus.

Hunc appetitum determinantem potentiam ad aliquod objectum, & illam copulantem cum objecto, ut illud sentiat, intelligat, & percipiat, & tenentem potentiam in ea re, quæ percipitur, quandiu percipitur, esse necessarium, & præcedere actum cujuscumque potentie, docet P. N. August. 9. de Trinitate. cap. 12. Inde probans vestigium Trinitatis Desiccæ; quia tria concurrunt ad cognitionem, nempe intellectus, res intellecta, & voluntas, seu amor copulans utrumque. Eam sententiam latè propugnant B. Ægid. in 1. dist. 35. q. 2. N. Gerard. in 1. dist. 2. quest. 3. art. 3. N. Greg. in 2. dist. 7. q. 2. art. 1. concl. 1: ubi citat P. August. lib. 14. de Trinitate. cap. 8. & 9. Et ratio id suadet, quia nec sensus, nec intellectus determinantur ab objecto quoad exercitiū, sed solum quoad specificationem: ergo ut moveantur quoad exercitiū, debent determinari ab appetitu rationali in homine, & sensitivo in brutis. Hujusmodi determinatio est animæ intentio.

19. Ad fundamenta 3. sententiæ posita n. 4. quæ sunt contra nos directè respondemus. Et ad primam fatemur sententiam contrariam esse probabilissimam, & communissimam in Scholis; nostra au-

tem non est ita communis, sed stando auctoritati, videtur probabilior, quia expressè traditur à P. August. à D. Thom. & B. Ægid. & Philos. non ita expressè sententia contraria. Rationes autem pro nostra sententia non sunt levioris ponderis, sed quidquid sit, dicimus, auctoritates P. August. & D. Thom. nobis objectas, pro nobis esse, ut vidimus num. 15. Ad auctoritatem Philos. 2. de Anima. dicimus, animam esse principium intelligendi, sentiendi, & vegetandi, sed non æqualiter, sed juxta proportionem vitæ vegetativæ, sensitivæ, & intellectivæ. Sed juxta D. Thom. 1. p. q. 79. art. 3. ad 1. *In parte nutritiva omnes potentia sunt activa; in parte sensitiva omnes passiva; in parte intellectiva est aliquid activum, & aliquid passivum:* ergo anima non est æqualiter principium, sed ut vegetativa est principium purè activum, ut sensitiva est principium purè passivum, ut intellectiva est principium activum, & passivum. Addimus ex P. August. quòd anima, ut sensitiva est principium activum, & passivum, quia licet potentie sensitivæ sint purè passivæ; eas applicat quoad exercitiū anima, ut sensitiva per suam intentionem, quæ est actus potentie appetitivæ; unde anima sentiens patitur per sensus, & agit per intentionem appetitus. Hinc cessat confirmatio. Nam licet potentia cognoscens, non concurrat activè; anima tamen concurrat activè, quia non solum concurrat passivè

per sensus, sed activè per intentionè appetitus. Ad 2. probat. ibidè positā neg. maj. nempè, quòd sensus actualatus specie, verè operetur. Ad probat. majoris distinguo maj. cognitio sensitiva est actio vitalis, actio ex modo significandi concedo maj. ex parte rei significatæ neg. major. Nam suprà probatum est, cognitionem sensitivam esse passionem vitalem; & per illam actu vivit, & exercet vitam potentia sensitiva vitalis, quæ cum sit vitalis passiva, se exercet per passionem vitalem, immò implicat, quòd potentia vitalis passiva, ut talis, se exercent per actionem vitalem. Quare concesso, quòd vivens sensibile vivat per sensationè, nego, quòd per illà operetur, nã potius patitur, quia vita sensitiva est purè passiva, sicut potentie sensitivæ juxta D. Tho. passivæ sunt. Auctoritas D. Thom. potius est pro nobis, ut suprà dictum est.

20. Ad fundam. posita num. 5. dicimus, auctoritatem P. August. ibi positam esse pro nobis, nam ibi dicit: quòd visio fit in corpore, & per corpus in anima; hoc denotat, quòd anima, & corpus patiuntur videndo, nam eis inhaeret visio: hoc docet nostra sententia. Quod ibi summar de intellectu, quæ fit in nostro intellectu, nihil probat, nisi quòd intellectus sit potentia passiva. Est autem etiam potentia activa, sed non quia visio fit in intellectu, sed quia fit ab intellectu. Ad auctoritatem Philos. dicentis, animam esse causam effectivam quam alterationis;

sensatio autem est quædam alteratio: dicimus, animam esse causam passivam sensationis, & simul activam illius, quatenus concurrat per intentionem appetitus. Quòd sensatio sit alteratio, probat, sensum esse potentiam purè passivam, nam est id, quod alteratur à qualitate sensibili objecti. Ad alias auctoritates Philosophi dic, sensationem esse actionem ex modo significandi; visionem autem esse actionem immanentem ex modo etiam significandi, & grammaticaliter, nò prædicamentaliter.

Ad 3. ex Philosopho responderet B. Ægid. quòd ubi est omnia fieri, ibi est omnia facere, sed non semper in eodem subjecto. Patet: nã ars, quæ habet facere omnia artificialia, est in mente artificis; materia autem artificialis, quæ nata est omnia fieri, est extra mentem in re artefacta. Dictum illud benè probat de intellectu, qui spiritualis est, & conversivus supra se, non probat autem de sensu materiali, nec de alijs, quæ dependent à materia. Ad 4. dic, quòd major attentio facit visionem perfectiorem, quia attentio illa firmius unit potentiam cum objecto; ceterum hæc major attentio, non est actus potentie visivæ, & sensitivæ, sed potentie appetitivæ, ut dictum est. Ad 5. patet ex dictis num. 3. dum enim species recipitur in oculis dormientis, deficit attentio animæ, & sic non sequitur visio, quia ad illam juxta P. August, tria requiruntur, nempè vi-

sus, visibile, & intentio animæ. Hoc tertium deficit in dormiente.

Ad 6. dic, quòd sensatio est actus vitalis respectu animæ, & respectu potentie; sed aliter, & aliter, nam respectu potentie est vera passio vitalis, quæ ex modo significandi dicitur actio, sicut sentire explicatur verbo activo, cum tamen sit purum pati. Nec potentia passiva vitalis petit aliud exercitiū, quàm purum passivum, ut probatum est. Relatè ad animam sensatio non est pura passio, sed terminus actionis vitalis, siquidem anima concurrat ad sensationem, non solum sentiendo per sensus, sed attendendo, vel intendendo per intentionem appetitus. Hic concursus animæ est activus, & habet pro termino sensationem, quæ cum recipiatur in anima simul cum intentione appetitus, integratur ratio vitæ actualis ex activo, & passivo. Id, quod additur de specie, quæ non est vitalis, unde ab illa non potest oriri sensatio vitalis, jam solum est num. 16.

Ad ultimum dic, quòd species nò efficit sensationem in genere causæ efficientis, sed in genere causæ formalis, nam sensatio est passio, passio autem est receptio formæ, & forma est causa formalis hujus receptionis. Nec objectum causans speciem potest dici causa efficiens sensationis, nisi in eo sensu, quo generans formam receptam in materia, est causa receptionis; sed generans ita est causa receptionis formæ genite,

ut non possit dici recipiens formant: ergo objectum causans speciem receptam in sensu, ita est causa receptionis, & sensationis, ut non possit dici sentiens, nec recipiens. Sensatio autem non recipitur in sensu, quia sensatio est receptio speciei cum attentione animæ; sed receptio nò recipitur: ergo sensatio non recipitur in sensu, nec comparatur sensui, ut subjecto recipienti, qualiter cõtendit arguens. Est ergo sensatio receptio; sed receptio potius convenit recipienti, quàm principio efficienti: ergo cum sentire sit recipere, & pati, non potest dici sentiens, nisi principium recipientis & patiens. Ratio autem arguentis videtur urgens, quia de sensatione loquitur, quasi esset actio, cum tamen sit pura passio. Per hoc patet ad ultimum de calore, & calefactione, quod non est ad rem, quia calefactio est actio.

21. Ad fundamenta posita num. 6. patet ex dictis. Respondemus, quòd sentiens dicitur agere, & sensatio dicitur actio, grammaticaliter, & ex modo significandi; prædicamentaliter autem, & ex parte rei significatæ, est passio, & sentiens est patiens; anima autem est simul patiens, & agens, quia non solum patitur per sensus, sed agit per intentionem appetitus. Actio autem, quæ dividitur in transiuntem, & immanentem, dividitur divisiõne analogã, nam transiens est propriè motus agentis; immanens autem est impropiè motus, quatenus per illam tendit operans in suum

objectum, ceterum sine ulla ratione originis, sed cum sola informatione, ut vidimus ex D. Thom. num. 9.

Ad 2. patet ex dictis, quomodo sensatio sit actus vitalis, aut vita pure passiva. Et licet sensus ad receptionem speciei non se moveat; anima autem per intentionem appetitus verè se movet ad recipiendam speciem, & uniendam sensui: & cum motus iste sit vitalis, terminatus ad vitam passivam; sit ut anima sentiens vivat activè, & passivè, sensus autem pure passivè. Ad 3. patet ex dictis num. 9. in fine, & num. 17. ubi data est disparitas inter sensum, & intellectum, ne ponamus intellectum pure passivum. Nec contra dicta de intellectione, ut distincta à dictione, obstat quod in argumento adducitur de Angelis, quibus congenitæ sunt species, sed non congenitæ intellectiones.

Nam hoc solvitur paritate de speciebus nostris acquisitis, quæ semper sunt in memoria entitativè, sed non representativè, nisi dum excitantur. Sic species congenitæ Angelis sunt in eis entitativè, sed non representativè. Si tamen quæras de intellectione Angeli, qua cognoscit se ipsum per suam substantiam, hoc est per speciem impressam sui, quæ est substantia propria, quomodo intelligere ejus non est etiã substantia Angeli. Si hoc quæras vide B. Ægid. quæst. 1. de cognitione Angelorû, ubi plura. Breviter dic, quod ad intellectionem concurrunt species, intellectus, & attentio appetitus; sed horum sola species Angeli est substantia: ergo intellectio sequens debiliorem partem, est accidens, & non substantia. Parce prolixitati, quam putavi necessariam pro vindicanda probabilitate sententiæ Augustinianæ.

QVÆSTIO OCTAVA.

An detur sensus agens? Vbi de speciebus sensibilibus.

§. I.

Præfertur sententia negans sensum agentem:

RATIO dubitandi sumitur ex parte intellectus, qui est verè, & propriè potentia cognoscitiva, ad cujus instar sensus exter-

ni, & interni vocantur potentiæ cognoscitivæ; unde sicut intellectus intelligit ad præsentiam phantasmatum, ita etiam sensus cognoscunt

ad

ad præsentiam sensibilibus. Rursus. Sicut phantasmata ratione suæ materialitatis non sunt actu cognoscibilia, sed sunt actu talia, si spiritualizentur: ita objecta sensibilia sunt cognoscibilia in potentia, & sunt actu cognoscibilia, quando aliquomodo spiritualizantur media specie ab objecto immissa; sed propter primum datur intellectus agens, qui spiritualizat species, eas denuans à conditionibus materiæ, ut latè dicemus lib. sequente: ergo propter eandem rationem videtur ponendus sensus agens, pro cognitione sensitiva.

2. Propter hæc prima sententia asserit, dari sensum agentem pro sensibus externis, & ejus munus esse formare species objectorum sensibilibus, & eas unire sensibus, ut suas eliciant sensationes. Tribuitur hæc sententia Commentatori, & Jabello quæst. 51. & Nipho, aliisque antiquis, quos novissimè sequitur N. Toletanus. 2. de Anima quæst. 6. art. 2. ubi defendit sensum agentem, præscindendo ab eo, quod distinguitur à sensu passivo; nec determinat, an sit potentia, vel habitus, an sit unus tantum, vel multiplex juxta multiplicatè sensuum externorum? Rursus, an sit in organo sensuum externorum, an in diverso? Nihil horum determinat, sed unice curat adstruere necessitatem sensus agentis ad sensibiles actiones.

Probatur hæc sententia ex P. August. lib. 12. de Trinitate cap. ult. ubi ait: *Nulla visio fit sine luce inte-*

riori sui generis: ergo in oculo datur sensus agens; & consequenter in reliquis sensibus, quia eadem est omnium ratio. Probatur conseq. Nam munus intellectus agentis est irradiare phantasmata, & illuminare intellectum passibilem, & quoad munus illuminandi intellectum passibilem, datur in Angelis intellectus agens, & manet etiam in anima separata; sed juxta P. August. oculus debet illuminari à luce interiori, sicut intellectus illuminatur ab intellectu agente: ergo sicut datur intellectus agens, qui est lux interior intellectus passibilis; ita debet dari lux interior oculi, & aliorum sensuum, & hæc est sensus agens.

Secundò probatur à ratione. Actio immanens debet esse à principio intrinseco effectivo; sed sensatio externa est actio immanens, & vitalis; sensus autem externi non sunt principium activum, sed passivum, ut probatum est quæst. præcedenti: ergo ponendus est sensus agens, qui sit principium activum sensationis. Confir. In quacumque actione æquivoca datur agens commune, & agens particulare; sed sensatio est actio æquivoca, nam per ipsam producitur species, quæ est forma intentionalis, & idè diversæ rationis, ac forma realis objecti, à qua producitur: ergo præter objectum, quod est agens particulare, admittendus est sensus agens, qui est agens universale.

Confir. 2. Forma intentionalis, qualis

qualis est species immissa ab objecto sensibili, habet minus de materialitate, quam objectum, à quo producit: ergo non potest produci à solo objecto. Patet consequentia, quia nullus effectus est perfectior sua causa. Confirmatur. Tertio nullum sensibile in potentia, potest movere sensum actum, nisi in virtute alterius agentis; sicut intelligibile in potentia non potest movere intellectum, nisi in virtute intellectus agentis; sed objectum materiale extrinsecum est sensibile in potentia, & non in actu: ergo ut moveat, debet esse in virtute sensus agentis.

Tertio probatur à ratione. Potentia passiva debet correspondere potentia activa adæquata; sed sensus externi sunt potentia passiva, & illi non adæquatur agens superius, quale est intelligentia Cœlestis, aut alia causa incognita, cui tribuitur formatio specierum; aliter illa causa non posset producere, nisi sensationem: ergo dandus est sensus agens, qui sensui passivo sit adæquatus. Confir. Forma intentionalis non specificatur ab agente superiori, quia specificatum, & specificativum debent esse ejusdem speciei; nec etiam à re materiali, ut patet: ergo datur sensus agens, à quo sumitur specificatio speciei intentionalis.

3. Secunda sententia, negans sensum externum agentem, propugnat sensum internum agentem. Ita P. Suarius, quem sequuntur aliqui. Pro cujus sententia supponit tria esse specierum genera, nempe species sen-

sata, species ex sensatis compositæ, & species insensata. Species sensatae sunt illæ, quæ sensibus externis percipiuntur, & in imaginationem imprimuntur. v.g. species coloris, sonitus &c. Species compositæ dicuntur, quæ coalescunt ex simplicibus speciebus sensatis; v.g. eum imaginatio fingit montem aureum, talis enim species nunquam præcessit in visu, sed montis, & auri, scilicet; Phantasia autem componit speciem montis auri. Species insensatae dicuntur, quæ representant rem sensibus externis cognitam, sed tamen sub alia ratione eis ignota. Sic dum ovis apprehendit lapum, ut inimicum, species representans inimicitiam, vel lapum sub rationem inimicitiam, dicitur insensata.

His notatis à P. Suario, triplicem statuit conclusionem Prima est, quod species sensatae deservientes imaginativæ, & alijs sensibus internis, fiunt ab objecto exteriori mediante speciebus externis, immixtis sensibus. Hoc probat, quia objectum exterius est sufficiens causa ad immittendam speciem sensibus externis, & media illa ad producendam speciem pro sensibus internis: ergo pro speciebus sensatis non est necessarius sensus agens. Ita habet lib. 3. de anima cap. 9. num. 6. Sed propter tres difficultes, quas ibi versat, ponit num. 7. aliam conclusionem sic.

4. Species sensatae interioris sensus non fiunt ab objecto extrinseco, mediante specie, sed fiunt à sensu

sensu exteriori medio actu cognitionis. Hoc probat difficultatibus antea versatis, & Primo sic. Species imaginativæ est perfectior, quam species exterioris sensus: ergo non potest effici ab objecto externo media specie sensus externi. Patet consequentia, quia perfectius non potest causari ab imperfectiori; ut à causa adæquata. Antecedens prob. quia imaginativa est potentia perfectior quam sensus externus; quare petit speciem perfectiorem. Tum etiam, quia actus imaginativæ, ad quem ordinatur species interna, est perfectior, quam actus sensitivus externus, ad quem ordinatur, species externa: ergo tunc ex subjecto, in quo recipitur species, tunc ex fine, ad quem ordinatur, species imaginativæ est perfectior, quam species sensus externi.

Secundo probat, supponendo sensum interiore esse in cerebro, & urget sic. Si species oculis impressa ab objecto, aliam speciem producit in cerebrum distans; hoc erit vel omnino immediate, vel per media interiacentia inter papillam, & cerebrum; Sed totum repugnat: ergo objectum media specie externa non producit internam pro sensibus internis. Probat. min. quoad 1. partem: nam distantia oculi à cerebro tollit immediationem, ne species oculi possit immediate producere speciem in cerebro, ubi sedet imaginativa. Quoad 2. prob. Quia media interiacentia inter oculum, & cerebrum, non sunt diaphana, nec illustrata, ut oportebat; ad diffusionem speciei, qualis in papilla fuit impressa.

Et explicatur in tactu, nam cum manus calefit, si species caloris transiret per partes intermedias usque ad cerebrum, omnes illæ calorem perciperent; cum omnes tactu polleant; quod constat esse falsum.

Tertio probat. Nam si species sensus exterioris causaret speciem interioris sensus, sequeretur, sensum internum recipere speciem interiore, quoties exterior sensus speciem recipit; patet hoc, nam actio illa naturalis est, & ideo posito principio agendi, & passo, statim sequetur; sed sequela est falsa: ergo & antecedens. Probat. minor. Si sensus exterior, recipiendo species, illis non utatur, tunc sensus interior non mutatur, ut patet in eo, qui patitur deliquissimum animæ, vel exta; iste enim licet recipiat speciem in oculis apertis, nihil tamen se vidisse postea recordatur; quod signum est, nullam revera elicuisse visionem, licet speciem haberet. Ex quo appertè constat, tum interiore sensum speciem non recipere, nisi exterior sensus cognoscat: tum etiam speciem interiore non effici à solo objecto, media specie exteriori.

Jam verò, quod fiat species interior à sensu externo, actu cognoscente probatur. Primo, quia non apparet commodior causa productiva talium specierum. Secundo, quia sensus interior non recipit species, nisi exteriori sensu actu cognoscente, ut supra probatum est; Immo eò recipit meliores, quo exterior sensus melius, & exactius operatur:

ergo signum est, quod species interior causatur à sensu exteriori media sua cognitione.

5. Tertiam conclusionem proponit Suarius sic. Probabile est, species interiores fieri ab ipso sensu interiori. Hanc sententiam, quam putat probabiliorē num. 10. probat. 1. Quia sic major est similitudo sensus interni cum intellectu, qui proprias sibi eformat species: ergo ponendus est sensus internus, factivus internarum specierum. Secundò, quia cum cognitio non sit productiva alterius qualitatis, à se realiter distincta, gratis consistum videtur, si id attribuat exteriori sensationi; sed species interior juxta Suarium num. 8. est qualitas realiter distincta à sensatione externa; ergo non fit à sensu externo, actu cognoscente, sed ab ipso interiori sensu. Tertio, quia non rediit sufficiens ratio, cur species interior non pendeat à sensatione externa in conservari, si ab illa pendet in produci. De speciebus sensatis compositis, & de insensatis, nihil adducit Suarius præter communem sententiam, de qua postea.

6. Communis sententia negat, sensum agentem tam pro externis sensibus, quam pro internis. Ita Aristot. 2. de Anima text. 121. Vbi ait, sensum pati à sensibili. Eandem sententiam docuit P. August. 10. de Trinit. cap. 2. dum scribit, objectum à dextra movere sensum. Idem docuit D. Thom. 1. p. q. 11. art. 4. & 1. Contrag. cap. 65. & in quest. de Anima art. 4. ad 5. Docetur etiam à B. Egidio loco citato de Anima, &

quodlibet. 3. q. 13. Quam sententiam tenent omnes Thomistæ, & Scotistæ, de quo vide Mairium disp. 4. q. 5. art. 2. ex nostris omnes, quos citat Gavardi, excepto nostro Toletano. Est tamen aliquod discrimen inter DD. nostræ sententiæ, nam aliqui volunt, objecta sensibilia esse actu cognoscibilia, & propria virtute immittere speciem, & movere sensum. Alij verò docent, res materiales esse tantum sensibiles in potentia; quia constant ex materia, & conditionibus materiæ; quare, ut immittant speciem sensibilem sine materia, oportet, dari agens externum, quod est motor Cœli, aut virtus Cœlestis. Ita B. Egidius & D. Thom. locis citatis. Quam sententiam reprobat Suarius, quia sine necessitate recurrit ad incognita. Fallitur tamen, quia est necessitas talis recursus, cum ratio suadeat, sensus omnes esse passivos, & assignanda sit causa activa specierum; sed hæc causa non est objectum exterius, quod est materiale, nec potest producere speciem sine materia, quia nemo potest producere effectum perfectiorē: ergo necessariò recurrendum est ad causam altiorē incognitam. Nec melior designari potest, quam intelligentia movens Cœlos.

Nostra sententia sit cum communi negante sensum agentem, tum pro sensibus externis, tum pro internis. Probatur 1. ex P. August. lib. 11. de Trinit. cap. 2. ubi ait: *Ipsa forma, quæ à corpore imprimitur, sensui, quæ visio appellatur.* Deinde loquens de specie dicit, quod fit in sen-

sensu ex visibili corpore. Ibi semper insinuat, quod causa activa specierum est objectum sensibile. Ne autem putares, hoc solum esse verum de sensibus externis, & eorum speciebus, idem asserit de sensibus internis, docens, quod eadem species immittit ab objecto externo, deseruit etiam pro sensibus internis. Ibi cap. 8. *Sensus accipit speciem ab eo corpore, quod sentimus, & à sensu memoria; à memoria verò acies cogitantis.* Ecce cogitativa utitur specie accepta à memoria; Memoria illam accepit à sensu externo; sensus externus illam accepit à corpore exteriori: ergo juxta P. August. duo afferenda sunt, nempe, quod species interior non est distincta à specie exteriori, & sic non est effectus ejus, ut contendit Suarius. Rursus, species interior, & exterior, quæ est eadem, & unica, causatur unicè ab objecto sensibili; sed hoc ipso non est necessarius sensus agens: ergo de mente P. August. tenendum est, non dari sensum agentem, nec pro speciebus externis, nec pro internis.

Probatur à ratione. Nam pro sensibus externis, & eorum speciebus, non datur sensus agens juxta Suarium, & alios; sed juxta P. August. species memoriæ, & cogitativæ nõ est distincta à specie externorū sensuum: ergo pro sensibus internis, & eorum speciebus, non est ponendus sensus agens.

7. Eandem doctrinam de unitate speciei sensuum externorum, & internorum, tradidit D. Thom. 4. Contrag. cap. 11. dicens. *Sensibile*

exterior formam suam. Ad interioribus sensibus ingerit, à quibus, procedit in imaginationem, & ulterius in memoria thesaurum. Accedit ratio pro hæc unitate. Nara si objecta materialia possunt immutare speciem se ipsa nobiliorem, & immaterialiorem in sensus externos, cur etiam non poterunt illam diffundere in sensus interiores, qui perfectiores sunt? Maxime, cum eadem ratio sit negans esse perfectiorem, in quocumque gradu perfectioris excedat, posse produci à causa imperfectiori. Sed de hoc infra.

Iam verò, quod nullus sensus, etiam internus, sit formativus specierum, probatur à D. Thom. 3. de anima lect. 3. ubi ait; *non oportet, quod per aliquam actionem sensus communis speciem recepta in organo fiat in ipso, quia omnes potentie partis sensitive sunt passive, nec est possibile, quod una potentia sit activa, & passiva.* Ecce communis sententia contra Suarium, traditur à D. Thom. & simul ratio ad negandum, quod sensus aliquis sive externus, sive internus formet speciem impressam. Nam in parte sensitiva omnes potentie sunt passive, & nulla est activa; quod latissimè à nobis probatum est quest. præcedenti; sed si sensus externus, aut internus formaret speciem impressam pro se, vel pro alio sensu jam datur in parte sensitiva aliqua potentia activa, nempe speciei: ergo cum hoc neget D. Thom. & abundè supra probatum sit, tenendum est, non dari sensum agentem pro formatione

specierum, sed fieri unice ab objectis.

Id ipsum docuit D. Tho. 1. p. q. 79. art. 3. ad Primum ubi ait: *In parte sensitiva omnes potentie sunt passive; in parte vero intellectiva est aliquid activum, & aliquid passivum.* Sed in parte intellectiva activum, quod datur juxta D. Thom. est intellectus agens: ergo in parte sensitiva, ubi omnes potentie sunt passive, non datur sensus agens. Vbi nota, quod unum ex fundamentis Suarezij pro sensu agente, est paritas de cognitione intellectiva, pro qua datur intellectus agens, ad cognitionem sensitivam, pro qua debet dari sensus agens, ut sic utraque linea cognoscendi evadat similis. Hanc similitudinem, & paritatem negat D. Thom. ubi proxime, & neganda est eum P. August. & B. Egidio, juxta dicta quaest. precedente.

8. Si quaeras, quomodo objectum materiale, immersum in materia, potest causare speciem denudatam à materia, sed eum conditionibus materiae, pro sensibus externis? Et quomodo potest eandem speciem producere immaterialiorem pro sensibus internis, qui cognoscunt objectum sensibile absens, & sic per speciem denudatam à conditionibus materiae, quae sunt hic, & nunc? Respondemus cum B. Egidio, ubi supra, & cum D. Thom. quaest. 5. de potentia art. 8. quod objecta sensibilia non ratione sui, sed ratione virtutis Coelestis superioris, producant speciem se ipsius immaterialiorem. Hoc ultra au-

thoritatē nostrorum DD. probatur à ratione. Nam effectus debet habere causam saltem æqualem in perfectione, alioquin produceretur à causa, in qua non præcontinetur; sed species intentionalis non producitur à sensibus externis, aut internis, cum omnes sint potentie purè passive: ergo debent produci ab objecto, vel solo, vel elevato, & associato altero principio extrinseco; sed non producantur à solo objecto, quia hoc ratione materialitatis est imperfectius sua specie intentionali: ergo producitur ab objecto in virtute alij ejus agentis extrinseci. Hoc agens extrinsecum dicitur Intelligentia motrix Cælorum: Et bene dicitur, tum, quia illa est causa æquivoca omnium effectuum sublunarium. Tū etiā, quia agens extrinsecum harum specierum debet esse æqualis, aut majoris perfectionis, ac sunt species; sed præter Intelligentiam Cælorum motricem, non datur agens, quod sit majoris immaterialitatis, quam sunt species: ergo &c.

Notandum cum D. Tho. quod subordinatio objectorum sensibilibus Intelligentie motrici Cælorum, non est dependens à motu Cæli, sicut dependens generatio, & corruptio sublunarium, sed est dependens ab alia influentia, quae stare potest, cessante motu Cæli. Ratio est, nam in fine Mundi cessabit motus Cælorum, quare cessabunt generationes sublunarium; at non cessabunt objecta sensibilia immittere suas species, quibus fiat sensatio in his sub-

lu-

lunaribus. Et in Cælo Empyreo, ubi non est motus, fiet visio ocularis per species immixtas ab objectis: quare licet immixtio specierum pendeat ab Intelligentia motrice, non præcise per motum, sed media alia influentia, nobis ignota. Hoc prævidit D. Tho. loco laudato de potentia ubi ait: *Cessante motu Cæli, erit quidem actio in istis inferioribus illuminationis, & immutationis mediæ à sensibus; non autem erit actio, per quam transmutatur materia, quam sequitur generatio, & corruptio.*

9. A ratione probatur Conclusio præsertim de sensibus externis, quibus sensus agens videtur implicatorius. Virtus, quæ dicitur sensus agens, debet existere in ipso animali; alioquin si existeret in ipsis objectis, non esset sensus, & sic neque esset sensus agens; sed in ipso animali non existit virtus illa: ergo non datur. Probatur minor. Si existeret in animali, haberet peculiarem sedem, & speciale organum, cum sit peculiari potentia; item cum potentia illa agat in exteriora objecta, haberet exteriorem sedem; sed in toto corpore non apparet organum, aut sedes hujus virtutis, quæ dicitur sensus agens; nec est designabilis locus in toto corpore, ubi resideat sensus iste, cum tanta amplitudine, ut possit pro omnibus sensibus tam diversas species ab objectis extrahere: ergo &c.

Hæc ratio supponit sensum agentem esse unum pro sensibus externis, & pro illo uno quaerit sedem,

& organum. Si tamen dicatur, tot esse sensus agentes, quot sunt sensus cognoscentes, & in unoquoque organo v.g. in oculo esse sensum agentem pro speciebus illius generis; in aure autem pro speciebus soni, & sic de alijs. Hoc dicitur sine ullo fundamento, aut experientia, cui res naturales maximè innituntur.

Confir. talis sensus agens sive sit unus, sive plures, oportet, quod ad producendas species ex objectis, illis appropinquet, vel virtutem suam ad objecta diffundat; sed primum repugnat experientie, nam constat, nos plura sentire à longe manendo, & eorum species in nobis habere sine hoc, quod sensus noster rebus ipsis appropinquet. Secundum majorem habet difficultatē, nempe, quomodo possit sensus agens virtutem suam emittere ad objecta distantia, v.g. quomodo unico instanti usque ad Cælum virtutem emittit, ut inde emittat species stellarum, easque ad oculos attrahat? Quomodo etiam virtus tam exigua corporis, ut est pupilla, totum Cælum discurret, & ex toto species haurit? Ergo cum hæc plenè repugnent, tenendum est, non dari sensum agentem pro sensibus externis: sed species horum sensuum effectivè causari ab ipsis objectis, non quidem præcise ratione sui, sed ex participatione Cælesti, qua habent virtutem intrinsecam, ut possint imaginem sui diffundere usque ad sensus animalium, ut sic percipiantur.

10. Hinc probatur, quod non datur sensus

sen-

sensus agens etiam respectu sensuum internorum. Nam ideo ponitur necessarius sensus agens pro sensibus internis, quia objecta exteriora non possunt immittere speciem tantæ elevationis, quantam petit sensus internus; sed hæc ratio est inefficax, semel, quod objecta sensibilia causent speciem pro sensibus externis: ergo negato sensu agente externo, debet negari sensus agens internus. Probatür minor, objectum sensibile, vel consideratur secundum se, vel ut elevatum à virtute Cœlesti. Si primum: ergo non potest causare speciem pro sensibus externis. Patet consequentia, quia species illa est immaterialior, & majoris perfectionis, quàm objectum sensibile. Si secundum: ergo non solum potest immittere speciem sensibus externis sed etiã internis. Patet consequentia, quia virtus Cœlestis est perfectior, & immaterialior, quàm sunt species sensuum internorum: ergo objectum sensibile elevatum à virtute Cœlesti, est causa effectiva specierum deservientium sensibus internis.

Et confir. Nam juxta P. Aug. & D. Tho. laudatos num. 6. & 7. eadem est species deserviens sensibus internis, nepe memoriæ, & cogitativæ ac species, quæ fuit in sensibus externis; sed in sensibus externis fuit species immediate causata ab objecto sine sensu agente, at concedit Suarez: ergo sine sensu agente interno datur species deserviens sensibus internis.

Tandem confir. Nam idè po-

nitur pro sensibus internis sensus agens, quia interni petunt species nobiliores speciebus externis, & sic petunt nobiliorem causam: sed hæc ratio, quam adducit Suarez, & alij ejuldem sententiæ, est contra ipsos: ergo potius evenit eorum sententiam, quàm nostram. Probatür. minor. Ipsi ponunt pro causa specierum internarum sensationem externam; sed sensatio externa non est æqualis perfectionis cum speciebus internis, sicut sensus externus non est æqualis perfectionis, ac sensus internus: ergo pro speciebus internis non ponunt causam æque perfectam.

Contrarium accidit in nostra sententia, quæ ponit pro causa specierum internarum, & externarum objecta sensibilia, elevata virtute Cœlesti; sed virtus Cœlestis elevas est perfectior omni sensu nostro externo, & interno, & sic perfectior omnibus speciebus internis, & externis: ergo &c. Vbi nota, quod objectum sensibile sic elevatum à virtute Cœlesti, statim poterat producere speciem elevatissimam, sed non producit sic, sed proportionatur cum medio, & organo; Quare objectum visibile producit in aëre medio speciem sui intentionalem, sed materialissimam, quia aër illam petit sic. Species per aërem venit ad pupillam, quæ perfectior est aëre medio, & sic ibi species melioratur. Species sic percepta, & sensata intrat ad sensum communem, qui immaterialior est, quàm potentia visiva; Et ideo species ibi recepta denuò perficitur,

quia

quia quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur. Tandem illa species intrat in imaginativam, quæ est potentia percipiens objectum absens, quare petit speciem denudatam à conditionibus materiæ, quæ sunt hic, & nunc, vnde petit speciem perfectiorem, quàm sensus communis, cognoscens sola præsentia; cæterum ex vi, quod species à sensu communi transferatur ad imaginativam, denudatur à conditionibus materiæ sine novo agente, per solam ablationem impediendi, quod fuit ab initio productionis speciei in medio, à quo retardata fuit virtus cœlestis elevans, ne statim produceret speciem perfectissimam. De speciebus compositis, & de insensata dicemus §. sequente.

§. II:

Solvuntur argumenta, & explicatur, quid sint species compositæ, & insensatæ?

C. DIXIMVS suprâ explicando sensus internos, quod phantasia ex præconceptis speciebus montis, & auri format speciem montis aurei, qua concipit montem aureum. De hac cognitione montis aurei dubium est, An fiat per duas species montis, & auri, An verò per unicam, quæ sit composita? D. Thom. teste Saario ubi suprâ, docet fieri per speciem compositam, in qua sententia explicandum est, quid sit illa species, & à quo producat? Dicendum est, quod ante primam cognitionem montis aurei solum præce-

dunt species simplices montis, & auri, quæ uniantur, & concurrunt per modum unius ad cognitionem montis aurei. Per hanc cognitionem phantasia producit idolum, hoc est speciem expressam representantem in actu secundo montem aureum. Species expressa aservatur in memoria, & pro reliquis subsequentibus cognitionibus deservit; in quo sensu intelligendus est D. Thom. de eo, quod cognitio montis aurei fit per unicam speciem, intellige de cognitionibus sequentibus ad primam.

Ratio hoc suadet. Nam, qui numquam cognovit montem aureum, ut illum fingat, prius concipit singulas partes cum quadam successione: ergo signum est, quod pro illa fictione montis aurei usus fuit speciebus utriusque partis; at semel ficta specie montis aurei, sine nova compositione, & transcursu imaginatur montem aureum: ergo quia post primam fictionem montis aurei, non utitur speciebus partialibus montis, & auri, sed utitur specie jam ficta, & producta per primam fictionem montis aurei.

Dices, ergo jam in parte sensitiva datur potentia activa, nempe phantasia, quæ est productiva hujus speciei compositæ; cujus contrarium diximus num. 7. de mente D. Thom. Resp. quod Phantasia sic fingens species compositas, non datur in brutis, sed solum in hominibus; quare non est potentia pertinetens ad partem sensitivam, com-

mu-

manem belluis, & hominibus, in qua omnes potentia sunt passiva, ut diximus cum D. Thom. Pertinet autem phantasia ad partem intellectivam, quatenus in homine tantum datur, & quatenus ex conjunctione ad intellectum habet fingere, & producere idolum. Unde omnia consonant, nam quatenus phantasia est sensus internus, & pertinet ad partem sensitivam, sic est potentia pure passiva, nec fingit speciem, sed utitur speciebus simplicibus ab objecto immixtis. Quatenus autem format idolum, sic non pertinet ad partem sensitivam, sed ad intellectivam, quapropter in solo homine datur.

12. Quantum autem ad species insensatas aliqui docent, illas distingui à speciebus sensatis; quod probant, nam ovis, & lupus videntes alium lupum venientem habent eandem speciem sensatam lupi venientis, cum uterque videat lupum venientem; at non habent eandem speciem insensatam, quia lupus cognoscit in lupo veniente amicitiam, sed ovis cognoscit in lupo veniente inimicitiam: ergo species insensata representans inimicitiam, est distincta à specie sensata representante lupum. Patet consequentia, quia si esset eadem species, sicut lupus, & ovis conveniunt in videndo lupum venientem, convenirent in videndo inimicitiam. Qui sic ponunt species distinctas, tenentur designare causam pro speciebus insensatis, & forsan propugnare sensum agentem pro illis. In sui favorem

adducunt D. Thom. opusculi 43. cap. 4. dicentem: *Affirmativa est virtus apprehendens de sensato, quod non est sensatum sicut ovis inimicitias lupi.*

Dicendum tamen, species insensatas non distingui à sensatis, sed per eandem speciem representantem lupum cognoscit ovis illum sub ratione inimici. Hæc sententia est communis, & illam Suarius reputat probabiliores. Probatur primo, quia nulla est necessitas distinguendi, cum statim ac sentit ovis lupum, cum sentiat, esse inimicum: ergo per eandem speciem potest utrumque cognoscere. Nec obstat, quod illa inimicitia ab alio lupo non cognoscatur: Nam primo certum non est, eam non cognosci, cum videamus lupos se invicem adjuvare ad prædam, & cognoscere ovem ab eis fugere ob inimicitiam. Sed dato, inimicitiam cognitam ab ove, non cognosci à lupo; hoc non arguit diversitatem specierum, sed diversitatem instinctus naturæ lupi, & ovis, per quam media eadem specie sensata cognoscunt diversa insensata.

Confir. Avis verno tempore nata, non dum experta pluviam, ventum sentiens ad tutum locum recipit; sed avis ista per eandem speciem, qua cognovit ventum, naturali instinctu judicat illum esse fugiendum, nec talis fugæ rationem quaerit, aut pluviam cognoscit, quam nullam viderat: ergo per eandem speciem, qua cognoscit ventum, cognoscit sibi nocere, & præparare ad aliquid

quid sibi nocivum, nempe pluviam, non dum sensatam.

Rursus. Inimicitia lupi non potest representari per speciem sensibilem modo abstracto, sed modo concreto, nempe representando lupum sub hac figura, hoc colore, odore &c. ergo impossibile est, quod species representans sub ratione insensata, sit distincta à specie representante sub ratione sensata. Quare ratio insensata est veluti modus quidam fundatus supra rationem sensatam. Hoc & nihil aliud docet D. Thom. loco laudato. Quare cum species insensatae sint indistinctæ à speciebus sensatis, eandem habent causam, nempe objectum sensibile, elevatum à virtute Cœlesti.

13. Restat solvere argumenta contraria. Ad ea, quæ posita sunt num. 2. respondemus. Et ad primum dicimus, P. August. agnoscere lucem interiorem in oculo, quæ sit illuminativa oculi, non autem, quæ sit activa visionis simul cum oculo. Ratio est clara, quia oculus videndo non agit, sed pure patitur ab objecto, ut diximus quæst. præcedente de mente P. August. ergo lux in oculo non est activa visionis, sed pure illuminativa oculi. Hinc negamus consequentiam, nempe, quod lux illa sit sensus agens. Nec paritas de intellectu agente valet, quia intellectus agens non solum illuminat passibilem, sed etiam cum illo influit in intellectionem, & productionem verbi: ergo cum lux interior oculi solum habeat illuminare, non

habet esse sensum agentem.

Ad secundum dic, quod sensitio externa non est actio, sed passio vitalis, ut dictum est quæst. præced. Quare non petit principium activum vitale, sed passivum. Ad primam confir. nego consequentiam, quia agens universale specierum sensibilium, non est sensus agens, nec potest esse, ut probatum est, sed est virtus Cœlestis. Hinc ad secundam confir. dic, quod species objecti sensibilis producitur ab objecto non secundum se; sed ut elevato à virtute Cœlesti. Ad 3. confir. dic, quod objectum sensibile est tale in potentia; sit autem actu sensibile in virtute alterius agentis. Hoc agens est virtus Cœlestis, non autem sensus agens, ut efficaciter probatum est. Paritas de intellectu agente expressè negatur à D. Thom. ab supra.

Ad tertiam rationem dic; quod omnis potentia passiva debet habere sibi correspondentem potentiam adæquatam, vel excedentem, sed non præcisè adæquatam; alioquin Deus, qui est potentia excedens materiam, non posset se solo producere effectum ex materia. Potentia autem passiva sensuum respicit potentiam activam intelligentiæ Cœlestis, quæ est virtus superexcedens. Ad confir. dic, quod forma intentionalis non specificatur, quia ipsa est specificativum potentia, & unius specificativi, non datur alterum; ne sit processus in infinitum.

14. Ad fundamenta Suarij posita num. 3. pro sensu interno agente respondemus. Et 1. dicimus, speciem deservientem sensibus internis, non esse distinctam à specie deserviente sensibus externis. Contrarium insinuat Suarius in 1. conclusionem; sed illud non probat. Secunda conclusio. Suarij est nobis falsa, nempe, quod species interiores fiunt à sensu externo, media sensatione externa. Ad probationes positas num. 4. respondemus, & ad 1. dicimus, argumentum retorqueri; nam quia species interiores sunt perfectiores speciebus externis, ideo juxta Suarium non possunt fieri à speciebus externis; sed species imaginativæ, & aliæ interiores, sunt perfectiores, quam sensatio externa: ergo non fiunt à sensibus externis, media sensatione externa. Directè dicimus, species interiores esse indistinctas ab exterioribus, & habere eandem causam, nempe objectum elevatum à virtute Cœlesti, quæ causa superans in perfectione species, & sensus etiam internos immittit usque ad illos speciem, quæ ob impedimentum medij, & subiecti, non explicat suam perfectionem, usque dum recipitur in ultimo sensu interno perfectiori.

Ad 2. probat. dic, quod objectum visibile imprimens oculis suam speciem, non imprimit distinctam sensui communi, in cerebro existenti; sed illa unica accepta per sensus, intrat ad sensum com-

munem, & inde ad alios sensus internos. Pro hoc non requiritur, quod medium interjacens ab oculo in cerebrum, sit medium diaphanum, aut luce illustratum; sed requiritur, quod à natura datum est, nempe nervus opticus delativus specierum visibilium. Sic etià pro reliquis sensibus sunt nervi delativi specierum ad sensum communem. Nec contra hoc facit, quod obijcit Suarius in sensu tactus, quâdo manus calefit. Tunc enim transit species caloris per partes intermedias usque ad cerebrum. Ceterum partes illæ intermediæ non calefiunt, immò nec cerebrum recipiens speciem caloris, calefit. Ratio hujus est, quia species sensibilis afficit subjectum juxta qualitatem illius. Atqui nervi delativi speciei caloris, & cerebrum recipiens speciem, non recipiunt illam in esse physico, requisito ad calefactionem, sed in esse intentionali, sufficiente ad cognitionem effectus physici, qui fit in manu: ergo licet cerebrum, & partes intermediæ non calefiant, non sequitur, quod non recipiant speciem caloris.

Per hoc solvitur similis replicata, quæ fit in qualitate dolorifica, quæ afficiens manum v. g. transit usque ad cerebrum, ubi residet sensus communis; nec tamen nervi intermedij dolent, etiam si recipiant qualitatem illam dolorificam. Hujus ratio est, quod qualitas illa aliter afficit manum, cui primò imprimatur, aliter nervos interjacentes,

tes, delativos speciei usque ad cerebrum, & sensum communem. Manum afficit immediatè, & physicè, discontinuando partes dolentes, vel alterando debitam temperiem manus, & sic causat dolorem. At dum afficit qualitas illa nervos delativos illius usque ad sensum communem, non afficit discontinuando partes, nec alterando debitum temperamentum; sed purè intentionaliter representando passionem manus ab illa qualitate, ne lateat animam. Et licet nervi delativi speciei, & ipsam cerebrum, habeant sensum tactus, & possint dolere, at pro isto effectum debent affici à qualitate dolorifica, non solum intentionaliter, & representativè; sed physicè, cum discontinuatione, vel alteratione debiti temperamenti; quod non accidit in casu argumèti.

Ad 3. probationem Suarij dic, contingere aliquando, sensum externum recipere speciem, & sensum internum ab illa non immutari, ut patet in dormientibus, oculis apertis, qui recipiant species visibilium, nec tamen vident, nec postea se vidisse memorantur. Inde non sequitur, quod Suarius contendit; sed juxta dicta, questione precedente, asserendum est, oculum dormientis non videre, quia licet recipiat speciem, non est cum attentione animæ, requisita ad videndum; & cum species illa, quantumvis recepta non sit sensata, ideo non intrat ad sensum communem, quo tantum deferantur species sensatae.

Ad ultimum, quod ponit Suarius pro 2. conclusione sua, dic, speciem internam non fieri à sensu externo, actu cognoscente; sed ab objecto sensibili elevato, ut dictum est. Nec urget, quod sensus internus ed meliores species recipit, quò exterior sensus melius operatur. Nam hoc non est signum, quod species interiores caulantur à sensu externo; sed quod deferantur usque ad sensum internum medio sensu externo, qui dum melius operatur, minus impedit virtutem Cœlestem, elevantem objectum sensibile, ut immittat speciem perfectiorem.

15. Ad ea, quæ num. 5. dicta sunt pro 3. conclusione Suarij respondemus, illam similitudinem sensus interni cum intellectu, quam contendit Suarius, expressè negari à D. Thom. 1. p. q. 79. art. 3. ad 1. ubi ait: *In parte sensitiva omnes potentie sunt passiva; in parte vero intellectiva est aliquid activum, & aliquid passivum.* Ad aliud de cognitione fatemur, quod cognitio non est productiva alterius qualitatis, nisi quando est productiva verbi, ut dictum est questione precedente. Sensatio autem non est actio productiva, ut ibidem dictum est: quare species interior non potest produci à sensatione externa; ceterum inde de perperam inferitur, speciem internam produci à sensu interno. Produci quidem; sed ab agente extrinseco, nempe ab objecto sensibili, elevato per virtutem Cœlestem. Ad ultimum dic, speciem internam

non pendere à sensatione externa in conservari, quia licet pendeat à sensatione externa in produci, non pendet in absolutè produci, sed secundùm quid; quatenus species interior producta ab objecto, non potest recipi in sensu interiori, quin transeat per sensum externum, &

sic per illum sensata. Hinc species illa non pendet à sensu externo, ut à causa suæ productionis, sed ut à medio sui transitus ab objecto ad interiorem sensum. Ob id non pendet species illa à sensu externo, ut à causa suæ conservationis.

¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶ ¶

¶ ¶ QVÆSTIO NONA. ¶ ¶

¶ ¶ An sensibile commune moveat sensum per se? ¶ ¶

¶ ¶ §. I. ¶ ¶

¶ ¶ Quibusdam notatis, proponitur sententia negans. ¶ ¶

¶ ¶ **S**ENSIBILE aliud est per se, aliud per accidens. Sensibile per se est illud, quod sensum immutat per rationem formalem in se existentem? Ut color, qui movet potentiam visivam, per rationem visibilis, quam habet. Sensibile per accidens est illud, quod non movet sensum ratione sui, sed ratione alterius, cui conjungitur. Sic substantia ratione sui non est visibilis, sed ratione coloris, quem habet in se, & ideo est visibilis per accidens. De hoc visibili nulla est quaestio, quia eo modo movet sensum, quo videtur; sed videtur ratione alterius: ergo movet sensum non per se, sed ratione alterius.

Sensibile per se subdividitur in commune, & proprium. Sensibile proprium est, quod sentitur ab

unico sensu, v.g. color à visu, sonus ab auditu. Sensibile commune est illud, quod percipitur à duobus sensibus, vel tribus, aut omnibus, v.g. magnitudo, quæ à visu percipitur, & etiam à tactu. Hic observa, quod sensibile proprium dicitur per se formaliter primò sensibile; sensibile autem commune dicitur sensibile per se secundò, & materialiter. Ratio huius est, quia sensibile commune est quasi ratio generica ad plures sensus; Sensibile proprium est ratio specifica ad unicum sensum; sed ratio generica se habet, ut materialis, ratio specifica, ut formalis; Rursus, cum sensus sit singularium, per se primò tendit in rationem magis singularem, & minus universalem: ergo per se primò, & formaliter tendit in sensibile proprium; per se

se secundò, & materialiter, tendit in sensibile commune. Aristoteles alsignat in presenti quinque sensibilia communia.

Ista sunt. Magnitudo, figura, quies, motus, & numerus; Ad quæ revocatur unitas, quæ est principium numeri. Alia sunt sensibilia communia; sed revocantur ad enumerata. Sic distantia corporum, quæ est sensibile commune, reducitur ad magnitudinem, quia distantia est quædam magnitudo intercepta inter ea, quæ distant. Asperitas, & lenitas, quæ sunt communia sensibilia visui, tactui, & gustui, ad figuram reducuntur.

2. Hæc doctrina de duplici sensibili traditur à P. Aug. lib. de duabus animabus, cap. 6. ubi ait. *Quererem, quid ad sensum propriè pertineret colorum? Invenirem colores, quorum principatum lux ista obtinet. Hæc enim sunt, quæ nullus alius sensus attingit. Nam motus corporum, & magnitudines, & intervalla, & figuras, quamvis, & oculis, non tamen propriè; sed tactu etiam posse sentiri.*

Et lib. 2. de libero Arbitrio, cap. 3. dicit: *Quid corporum formas, magnas, breves, quadras, rotundas, & si quid hujusmodi est, nonnè, & tangendo, & videndo sentimus? Ideo nec visui propriè, nec tactui tribui possunt; sed utrique. Intelligit ergo & quædam singulos sensus habere propria, de quibus denuntiant, & quædam quosdam habere communia. Quomodo autem sentiamus tenebras, & silentium, ac alias privationes,*

ibi explicat, & in expositione Epistolæ ad Romanos quæst. 43. dicens: *Tenebræ non videntur; sed lucis comparatione sentiuntur; hoc est autem sentire tenebras, non videre.*

3. His notatis dubium est; an sensibile commune imprimat propriam speciem, dum sentitur, ut sic imprimens moveat sensum per se? Negativa sententia tenetur à Suariorum de mente D. Thom. asserens sensibilia communia cognosci à sensu per speciem propriam sensibilibus, ut modificatam diversimodè juxta diversitatem sensuum. Id insinuat D. Thom. 1. p. q. 78. art. 3. ad 2. dicens: *Sensibilia communia non movent sensum primò, & per se; sed ratione sensibilis qualitatis, ut superficies ratione coloris.* Ob id hanc sententiam tenent communiter Thomistæ, quibus subscribunt Conimbricenses, & alij etiam ex Scotistis, attestante Arriaga Scotum in hac re problematicum esse.

A ratione probatur. Numerus v.g. nequit percipi à visu, nisi quatenus aliquomodo subinduit rationem formalem specificativam visus, & ad illam spectat; sed numerus non potest hoc habere, nisi quatenus representabilis per speciem laicid colorati, quod est sensibile proprium, & specificativum visus: ergo numerus, & quodlibet sensibile commune non cognoscitur à sensu particulari per propriam speciem; sed per speciem sensibilis propriam, ut modificatam juxta diversitatem sensuum particularium. Hæc ratio dicitur à prio

ri à cursu complatensi S. Thomæ.

4. Secundò probatur à ratione sic. Vel sensibile commune imprimit eandem speciem in omnes sensus, quos immutat, vel diversam? Non primum; quia eadem species nequit sensus specificè diversos immutare: Cùm quilibet sensus habeat diversum modum operandi, sicut habet diversum modum essendi. Nec secundum; quia sensibile commune habet determinatam entitatem; & ideo determinatam speciem producit.

Rursus. Sensibile commune, & proprium uno actu sentiuntur: ergo per unam speciem; quæ cùm sit à sensibili proprio impressa, restat, quòd non sit impressa à sensibili còmuni. Antecedens probatur. Cùm videmus hominam deambulantem, non videmus uno actu hominem, & altero deambulatione, superflua enim esset hæc actuum multiplicatio. Prima consequentia probatur: nam cùm species sit principium actionis, una sufficit ad unum actum. Et confir. Nam nulla est necessitas asserendi, quòd sensibile commune immittit speciem, semel, quòd possit cognosci per speciem sensibilis proprii; sed per hoc præcisè, quòd sensibile proprium immittat speciem, modificatam, & affectam rationibus còmunibus comitantibus sensibile proprium, potest cognosci sensibile còmune: ergo sic cognoscitur sine specie distincta.

Confirmatur. 2. Sensibile còmune, separatum à sensibili pro-

prio, non potest causare speciem, quæ sensum immutat; aliter oculis videret magnitudinem sine colore, & sic tenderet extra suum specificativum formale, quod repugnat: ergo nec conjunctum cùm sensibili proprio potest speciem causare. Patet consequentia, quia si talem activitatem haberet, illam retineret, sive conjunctum, sive separatum, cùm sit agens naturale.

Tertio sensibile proprium imprimit in sensum non solum rationem talis sensibilis, v. g. rationem coloris, quæ soli visui convenit, sed etiam rationem genericam sensibilem, communem omnibus sensibus, nam color illam essentialiter involvit: ergo sensibile commune non habet quid imprimat. Patet consequentia, quia sensibile commune non habet, quid imprimat, nisi rationem communem sensibilem, quæ cùm supponatur impressa à sensibili proprio, bis imprimeretur.

Tandem. Intellectus non immutatur per speciem objecti singularis: ergo neque sensus per speciem objecti communis. Patet consequentia, quia sicut sensus est proprius singularium; ita intellectus est propriè universalium; sed intellectus ita immutatur à specie universalium, ut non habeat speciem singularium: ergo &c.

5. Patet Suarius. lib. 3. de Anima. cap. 8. num. 4. citat B. Ægid. 2. de Anima. text. 65. dub. 2. docentem, sensibilia communia imprimere sua species sensibus externis,

non

§. II.

Præfertur sententia affirmans juxta sensum Ægidianum.

6. **C**ONTRARIA sententia affirmans sensibilia còmunia imprimere propriam speciem, & per se agere in sensum, est B. Ægidij hic text. 64. dub. 1. & 2. & text. 66. dub. 2. & seqq. Hæc eadem sententia traditur ab alijs; sed cum hoc discrimine, quòd aliqui volunt imprimere speciem realiter distinctam à specie sensibilis proprii, & ita independentem, ut adhuc sentiretur sensibile commune, etiam si non esset sensibile proprium. Alij negant hujusmodi independentiam; sed propugnant speciem propriam distinctam. Pro hoc asserto quidam ex nostris allegant B. Ægidium. Cæterum ut benè exponit noster Gvardi in præsentì, sententia B. Ægidij non ponit pro sensibili còmuni speciem distinctam à specie sensibilis proprii; sed sicut genus, & differetia constituunt eandem essentiam; sic sensibile commune, & proprium immittunt sensui eandem speciem, quæ sub ratione generica produciuntur à sensibili còmuni, & sub ratione specifica à sensibili proprio. Immo sicut agens genericum non agit sine specifico, nec e contra; ita sensibile commune non agit sine sensibili proprio, nec proprium immittat sensum sine sensibili còmuni.

Confir. 2. ex eodem. Sensibile proprium, & commune, v. g. lux, & quantitas, non conveniunt in eadè ratione sensibilis: ergo non potest utrumque immutare eandem sensum per propriam sibi speciem. Antecedens patet, nam ratio sensibilis ita convenit luci respectu visus, ut non conveniat respectu tactus. Ratio autem sensibilis convenit quætitati, etiam respectu tactus. Consequentia probatur, quia unus sensus, & universaliter una potentia solum potest immutari ab una ratione objecti, à qua specificatur, & cui coaptatur; alias quodlibet à quovis posset immutari.

Quo-

Quomodo autem hæc ratio generica debeat intelligi, infra dicetur, dum Suarium expendamus.

Probatur sententia B. Ægidij sic. In hoc distinguitur sensibile per se à sensibili per accidens, quòd sensibile per se agit in sensum; sensibile autem per accidens nullo modo agit in sensum; sed sensibile commune est sensibile per se, & non per accidens, ut omnes fatentur; non enim attingitur sensibile commune ratione alterius, sed ratione sui, nec differt à sensibili proprio, nisi quia pertinet ad plures sentas: ergo sensibile commune verè agit in sensum, immittendo speciem, cum solo discrimine, quòd non agit in unicam sensum, sed in plures.

Confirm. ex P. August. verbis datis. num. 2. ubi cum communi sententia unicè distinguit sensibile commune à proprio, per hoc, quòd proprium sentitur ab uno sensu tantum; commune autem à multis; sed si sensibile commune à multis atactum non immitteret ipsis speciem, non differret unicè penes percipi à multis sensibus; immò nec ab eis perciperetur verè: ergo de mente S. P. tenendum est, sensibile commune immittere speciem sensibus. Probatur minor. Quidquid verè percipitur à sensu, debet informare sensum per sui speciem, & similitudinem: ergo si sensibile commune non immitteret speciem sui, non informaret, nec immutaret sensum, ut verè à sensu perciperetur.

Confirm. ex principijs perspective,

ubi habetur, quòd visibile ita imprimat suam speciem in visu; ut dextra pars visibilis imprimat partem dextram speciei, qua videtur dextra pars visibilis? Et sic de sinistra, media, & alijs; sed itæ partes importat magnitudinè, & figuram, quæ sunt sensibilia communia: ergo non solum sensibile proprium imprimat speciem, sed etiam sensibile commune.

Rursus. Dum color immittit speciem repræsentativam talis magnitudinis, figuræ, & numeri, vel hoc facit color ratione sui præcisè, vel quia conjungitur cum tali magnitudine, figuræ, & numero? Non primum; quia color ratione sui præcisè differt à magnitudine, figuræ, & alijs, & potest esse sine illis: ergo restat secundum, nempe, quòd color immittit speciem magnitudinis, quia conjungitur cum illa; sed quòd agit ratione alterius, cui conjungitur, in tantum agit, in quantum agit illud alterum: si enim animalitas in homine non sentiret, rationalitas non diceretur sentire ratione animalitatis, cui conjungitur: ergo magnitudo, & alia sensibilia communia, quibus conjungitur sensibile proprium, verè agunt in sensum.

7. Jam verò quòd sensibile commune non immittat speciem realiter distinctam à sensibili proprio, probatur ex S. P. August. lib. II. de Trinit. cap. 2. ubi dicit, quòd actus sensationis, v.g. visio, nihil aliud est, quàm species informans potentiam, ibi: *Ipsa forma, quæ à corpore imprimitur sensui, quæ visio*

app.

appellatur. Sed sensibile commune, & sensibile proprium eodem actu realiter indistincto percipiuntur: ergo utrumque sensibile eadem specie repræsentatur, & per eandem utrumque immutat sensum.

Deinde probatur à ratione. Ratio generica, & specifica non distinguuntur realiter, sed purè virtualiter; sed species sensibilis communis est ratio generica, quia est pluribus sensibus communis; species autem propria sensibilis particularis est ratio specifica, quia convenit uni tantum sensui specifico: ergo species sensibilis communis, & sensibilis proprii est una tantum realiter indistincta.

Confirmatur: Dux species realiter distinctæ nequeunt actu informare eandem potentiam, licet sint inter se subordinatæ; quia eadem potentia nequit simul producere duos actus, licet unus alteri subordinetur; sed sensibile commune, & proprium eodem actu cognoscantur; visus enim recipiens speciem trianguli colorati, eodem actu percipit colorem, & percipit figuram triangularem: ergo ab utroque immutatur per eandem speciem.

8. Jam verò mutua dependentia sensibilis communis, & proprii in movendo probatur: primò, quia movent per eandem speciem, ut dictum est: ergo si species est utriusque repræsentativa, sicut in specie non repræsentatur unum sine altero, ita per speciem unum sine

altero non movet sensum. Secundò, quia genus non potest existere sine specie, nec species sine genere, & sic invicem dependent quoad existendum; sed sensibile commune, & proprium, quoad movere sensum, se habent ut genus, & ratio specifica: ergo invicem pendunt quoad movere sensum. Tertio, Nam sensibile commune non potest percipi à sensu particulari, nisi per actionem particulatam, v.g. magnitudo non potest percipi à visu, nisi per visionem; sed visio est perceptio proprii sensibilis, nempe coloris, quæ distinguit visionem ab alijs sensationibus: ergo sensibile commune, ut percipiatur, & moveatur, pendet à sensibili proprio. Jam verò, quòd sensibile proprium pendeat à communi, suadetur: Nam color non est visibilis in abstracto, sed in concreto, nempe in superficie extensa; sed superficies extensa est sensibile commune, quia est magnitudo, habens figuram, situm, unitatem, aut numerum, quæ sunt etiam sensibilia communia: ergo &c.

9. Hic assignantur varietates differentiarum inter sensibile proprium, & commune. Prima, quòd sensus proportionatur sensibili proprio; non communi. Secunda, quòd proprium sensibile ab uno tantum sensu cognoscitur; sed commune à multis. Tertia, quòd sensus specificatur à sensibili proprio; non verò à communi. Quarta, quòd sensibile proprium est per se primò sensibile; sed commune est per se secundo sensibile.

Hh

fi

sibile tantum. Quinta, quod sensibilia propria formaliter diversa arguunt sensus diversos; non sic sensibilia communia. Sexta, quam adducit Aristot. nempe quod sensus non erret circa sensibile proprium; errat tamen, aut potest circa sensibile commune. His additur ab aliquibus, quod sensibile commune non immittit speciem; bene tamen sensibile proprium. Ceterum hanc differentiam non admittimus, cujus loco alteram subrogamus, nempe, quod sensibile proprium movet formaliter sensum, sensibile commune solum movet materialiter.

Utraque sententia potest facile conciliari, nam utraque convenit in eo, quod sensibile commune non est sensibile per accidens: ergo utraque debet ponere in sensibili communi aliquid relatè ad sensum, vi cujus commune per se percipiatur à sensu; sed non potest percipi per se à sensu, nisi per se repræsentetur in specie informanti sensum: ergo species coloris informantis oculum, per se repræsentat colorem, & magnitudinem; per se primò colorem, per se secundò magnitudinem. Totum hoc conceditur à Thomistis, & à nostratibus; cum solo discrimine, quod Ægidiani dicunt, eam speciem causari à colore, & à magnitudine effectivè sub diversis formalitatibus constituentibus unicam speciem; à Thomistis verò dicitur, causari à solo colore; sed modificato per sensibile commune. In hoc discrimine multum ap-

paret de nomine, nam quod nos vocamus formalitatè speciei, aut virtualitatem, Thomistæ dicunt modificationem. Nec insistas in causalitate, & efficientia, quam nos concedimus sensibili communi, & Thomistæ negant. Nam illa modificatio Thomistica quid reale est, & causabile: ergo ab aliquo causatur; sed non à sensibili proprio, nam hoc causat substantiam speciei proprii sensibilis: ergo causatur à sensibili communi. Præterea, ab eo causatur illa modificatio, quod est causa modificans speciem; sed causa illa sic modificans, est sensibile commune: ergo modificatio illa speciei proprii sensibilis, vi cujus repræsentat etiam sensibile commune, causatur à sensibili communi.

Hinc instauratur modus dicendi nostræ sententiæ. Illud objectum causat speciem sui, & per se agit in sensum, quod causat sui similitudinem in sensu; sed juxta principia Thomistica sensibile commune causat in sensu sui similitudinem: ergo per se agit in sensum. Probat minor. Species proprii sensibilis repræsentat sensui commune sensibile, & est aliqualis similitudo illius, quatenus species illa modificatur à sensibili communi; sed illa modificatio causatur à sensibili communi: ergo similitudo sensibilis communis, quæ est in specie sensibilis proprii, causatur à communi sensibili. Major patet, nam si species proprii sensibilis non esset etiam similitudo sensibilis communis, illud

non

non repræsentaret, nec per eam cognosceretur. Minor etiam est certa, & patet ex dictis suprâ pro illa modificatione.

10. Ad fundamenta posita num. 3. respondemus, & ad auctoritatem D. Thomæ dicimus ibi S. Doct. docere nostram sententiam, quatenus cum ipso dicimus, sensibilia communia non movere sensum primò, & per se. At ibi D. Tho. non negat movere sensum per se secundò, & hoc docet nostra sententia. Et licet ibi S. Doct. dicat superficiem movere ratione coloris, hoc debet exponi etiam à Thomistis, qui nobiscum negant magnitudinè esse sensibilem per accidens; Et talis esset, si unicè moveret sensum ratione alterius, ut dictum est. Restat ergo, quod sensibile commune non moveat per se primò, & quod loquendo de tali motu, solum moveat ratione alterius, cum quo stat, quod per se secundò sensibile commune moveat sensum ratione sui, imprimendo sui similitudinem in specie sensibilis proprii.

Pro solutione primæ rationis Thomisticæ, nota, quod ratio specificativa cujuscunque sensus, est ratio distinctiva, & sic specificat sensum particularem sub ea ratione specifica, qua visus. v. g. distinguitur ab auditu, & alijs sensibus. Cum autem in visu non solum sit vis sensitiva distincta specificè ab alijs sensibus; sed etiam sit vis sensitiva commune alijs sensibus, quæ probatur ex eo, quod non solum potest sen-

tire colores, quos alijs sensus non possunt percipere, sed etiam sensibilia communia, quæ sic dicuntur, quia possunt percipi à multis sensibus; ideo illa vis sensitiva communis visui, & alijs sensibus, non specificatur à lucido colorato, sed à ratione communi sensibilis magis, vel minus abstracta. Hoc patet, quia specificativum debet esse adæquaturn cum specificato; sed vis illa, quæ est in visu ad percipiendâ sensibilia communia, non adæquaturn à colore, sed latius patet, cum se extendat ad objectum aliorum sensuum: ergo vis illa communis non specificatur à colore. Rursus. Vis illa communis in visu non est distincta à virtute, quæ est in alijs sensibus ad percipiendâ eadem sensibilia communia; sicut enim sensibile commune est idè formaliter respectu sensuum, ita virtus in sensibus ad percipiendum sensibile commune, est una formaliter unitate sumpta ab objecto, & solum distincta materialiter, distinctione sumpta à subjecto; sed virtus illa in alijs sensibus non specificatur à colore: ergo vis illa communis in visu non specificatur à colore, sed habet diversum specificativum, commune etiam reliquis sensibus, attingentibus idem sensibile commune.

Hinc ad rationem Thomisticâ respondetur, quod ut numerus percipiatur à visu, non debet induere rationem coloris specificativâ visus, sed rationem specificativam virtutis genericæ, & communis, quæ datur

in visu ad percipienda sensibilia communia. Ratio est, Nam visus non sentit numerum formaliter per virtutem specificam, ipsi convenientem, ut talis sensus est, sed per virtutem ipsi convenientem, ut sensus est, conveniens cum tactu in percipiendo numerum, & quantitatem; sed visus, ut convenit cum tactu in percipiendo numerum, non specificatur à colore, ut patet, quia per colorem specificantem potius distinguitur à tactu: ergo numerus, ut percipiatur à visu, non debet inducere rationem coloris specificativam visus, sed rationem communis sensibilis tactui, & visui, quæ est superior, & universalior, quam ratio coloris. Quia tamen in oculo virtus ad colores, & ad sensibilia communia, est unica realiter, & in unica specie representantur sensibile commune, & proprium; ideo nec cognoscuntur diversis actibus, nec per diversas species, sed per unam, quæ per se primò fit à sensibili proprio, & per se secundo à sensibili communi.

11. Ad secundam rationem positam num. 4. dic, quòd sensibile commune, si seorsim cognosceretur, ut contendunt aliqui, immitteret eandem speciem formaliter omnibus sensibus. Nec contra hoc urget ratio: Nam licet quilibet sensus habeat diversum modum essendi, & sic diversum modum operandi circa proprium sensibile, attamen circa commune sensibile habent eandem viam formaliter, & eundem modum

formaliter operandi; Quare possunt hoc titulo immutari ab eadem specie sensibilis communis. Quia tamè virtus ad sensibile commune est identificata in quolibet sensu cum virtute specifica ad sensibile particulare, nec una exercetur sine altera, ut probatum est; insuper, quia per eandem speciem representatur sensui sensibile commune, & proprium, idèd sicut sensibilia propria petunt formaliter distinctas species, ita sensibilia communia petunt materialiter, & identicè species distinctas. Quare licet sensibile commune habeat unicam entitatè relatè ad omnes sensus, immittit species diversas ex conjunctione ad diversa sensibilia propria.

Ad aliud concedo totum, sed nego consequentiam. Nam licet sensibile commune, & proprium cognoscantur unico actu, & per unam speciem; hæc non est à solo sensibili proprio, sed à communi, sicut non est similitudo tantum unius, sed utriusque. Ad primam confir. dic, sensibile commune cognosci per speciem proprii sensibilis, & non per distinctam. Ceterum illa non est tantum sensibilis proprii; sed etiam sensibilis communis per se secundo, nam est utriusque similitudo ab utroque immissa. Quòd attingit ad modificationem Thomisticam, satis constat ex dictis,

Ad secundam confir. admissio antecedente, nego consequentiam. Nam licet Cælum, quòd est causa naturalis, non possit producere equum

se solo, potest tamen producere equum in consortio equi generantis: ergo licet sensibile commune non possit producere speciem se solo, poterit tamen in consortio sensibilis proprii. Nec ratio, quæ datur in confirmatione, nè sensibile commune separatim, immittat speciem, quidquam valet. Nam tunc oculus videns magnitudinem sine colore, non tenderet extra suum specificativum, sed intra. Ratio est, quia tunc non ageret visus per virtutem specificam, quæ à solo colore specificatur, sed per virtutem genericam communem visui, & tactui, quæ specificatur non à colore; sed à sensibili communi utrique sensui.

Ad 3. confir. dic, sensibile proprium imprimere sensui speciem representantem rationem genericam sensibilis, ut contractam per differentiam specificam sensibilis proprii; sic color imprimit in specie sua rationem communem sensibilis, ut contractam per rationem coloris, quæ est sensibile proprium. Hoc non sufficit ad cognoscendum sensibile commune; nam tale sensibile non est ratio communis sensibilis abstracta, nec est ratio communis contracta per sensibile proprium; sed est ratio communis sensibilis contracta per differentiam attingibilem à multis sensibus, quæ ideo appellatur sensibile commune. Confirmatio equivocat rationem sensibilis communis, quæ est vera species sensibilis, cum ratione communi sensibilis, quæ est ratio generica

ad omnia sensibilia. Quo vitio laborat etiam impugnatione Suarij, & aliorum arguentium contra sententiam B.Ægidij. Sensibile proprium involvit rationem genericam sensibilis, contractam per differentiam sensibilis proprii, & hanc representat species ab eo causata. Ceterum sensibile commune, non dicitur sic commune, quia sit ratio communis generica sensibilis, sed quia cum sit vera species sensibilis, constans ex ratione generica sensibilis, & ex differentia specifica, v.g. quantitatis in magnitudine, hæc species vocatur sensibile commune, quia communitate reali est perceptibilis à multis sensibus. Hoc sensibile commune non involvitur essentialiter in colore, nec in alio sensibili proprio; invenitur tamen in entitate sensibilis proprii, & immutat sensum per eandem speciem, ut dictum est.

Ad ultimum, nego consequentiam. Disparitas est, quòd intellectus per se primò respiciens universalialia utitur specie universaliali, in qua continentur singularia, & sic non indiget immutari à nova specie singularium. Sensus autem, qui versatur circa singularia, utitur specie sensibilis singularis proprii. At in ista specie nec continetur, nec representatur sensibile commune, nisi ipsum sensibile in eadem specie imprimat sui similitudinem, vel per modificationem, ut dicunt Thomæ, vel per efficientiam, ut docet nostra sententia. Quare licet singularia non immutet intellectum per pro-

propriam speciem, sensibile tamen commune debet per propriam speciem immutare sensum.

12. Ad rationes P. Suarj potestas num. 5. Respondemus. Et ad primam nego antecedens. Magnitudo enim, quæ est sensibile commune, non percipitur à visu, ut visus est, sed ut sensus est: ergo non percipitur à visu, ut talis sensus est, sed ut est sensus absolutè. Antecedens probatur ex dictis. Nam virtus oculi, ut visus est, adæquatur à colore, quæ est objectum specificativum adæquatum visus, ut talis sensus est; sed magnitudo non est color, nec virtus potest exire extra suam objectum specificativum adæquatum: ergo virtus oculi percipiens magnitudinem, non est virtus oculi, ut talis sensus est. Resstat, quòd sit altera virtus universalior, quæ respicit pro objecto aliquid sensibile, commune multis sensibus; Hæc virtus sic distincta, & specificata à sensibili communi, convenit oculo, non ut talis sensus est; sed ut est sensus absolutè. Hæc est vera B. Ægidij sententia.

Ad secundam rationem Suarj concessio antecedenti, nempe, quòd sensibile commune non dicitur tale propter abstractionem, sed propter communicatem realem, qua una res potest cognosci à multis sensibus; nego consequentiã in sensu formali. Nam sensibile commune, v.g. magnitudo, imprimit speciem suam visui, qui talis sensus est; sed non imprimit visui, ut talis sensus est

Committitur fallacia à sensu identico ad formalè. Non enim operatur visus, nisi in rerum natura sit sensus, & talis sensus; nec sensibile imprimit speciem sensui, nisi existenti, quare illam imprimit sensui, qui sensus est, & talis sensus est. Ceterum sensibile commune, quod percipitur à visu, non percipitur formaliter à visu, ut talis sensus est, cum non percipiatur sub ratione lucidi colorati, quæ est specificativa visus, ut talis sensus est; sed percipitur sub ratione universaliori, nempe sub ratione sensibilis communis, quæ est specificativa visus, & tactus; & sic est specificativa visus, ut sensus est, non ut talis sensus est. Sic principium discurrendi convenit homini, qui est animal; sed non convenit ei, ut est animal. Unde propositio vera in sensu identico, est falsa in sensu formali.

Ad confirm. nego antecedens, Nam magnitudo percipitur à visu, & tactu, cum tamen non percipiatur ab auditu, & alijs sensibus; sed magnitudo percipitur ab ipso tactu sub aliqua ratione communi, attingibili ab utroque sensu, & non attingibili à reliquis sensibus: ergo datur aliqua ratio communis visui, & tactui, in qua non conveniant alij sensus. Hæc ratio est innominata; sed certissimè datur, quia ratio facta convincit existentiam illius rationis, sed non apparet speciale nomen: Sicut sensibilia communia hoc solo nomine vocantur; Cum tamen quædam sint commu-

nia

nia duobus sensibus, alia tribus, alia omnibus. Nec hoc discrimen inter ipsa sensibilia communia potest speciali nomine explicari.

Ad secundam confirmationem dic, ipsam probare, quòd nullas sensus particularis potest percipere sensibilia communia; cum nulla potentia particularis possit immutari à duplici ratione formali; sensibile autem commune, & sensibile particulare sunt diversæ rationes formales, ut in confirmatione probatur: ergo non possunt ab eodem sensu particulari cognosci. Dicendum, quòd sensus particularis revera est unus;

sed habet duplicem virtutem, in adæquatam respectu entitatis, sed adæquatam in suo genere. Prima virtus convenit visui v.g. ut sensus est; & hæc specificatur à sensibili communi. Altera virtus convenit visui, ut talis sensus est; & ista adæquatè specificatur à lucido colorato. Sic cessat tota difficultas confirmationis. Vide in nostro Gavardi aliqua argumenta, quibus probatur, quòd sensibile commune immutat sensum per speciem realiter distinctam à specie sensibilis proprii. Ea omittimus, quia ferè sunt nullius momenti.



QUESTIO DECIMA.

De somno, somnio, vigilia, Risu, fletu, & respiratione.

§. Unicus.

*** Hæc omnia explicantur juxta principia certioris Philosophiæ. ***

1. SOMNVM omnibus animalibus communem esse, experientia docet, & traditur à S.P. Aug. lib. de quantitate animæ. cap. 33. Videndum tamen est, quid sit quomodo fiat, & quare naturalius sit? Est ergo somnus. *Soporatio, seu sopitio sensuum corporis.* Ob id S.P. August. lib. 11. de Trinit. cap. 4. dicit: *Sopiti sunt sensus dormientium.* Est ergo somnus obstructio, & ob-

ascendentibus ex corpore ad cerebrum. Hi vapores ex radicibus nervorum illabentes, eorum meatus obstruunt; & sic spiritus animales torpidos efficiunt, prohibendo, nè ad organa sensuum, & motus voluntarios distribuantur.

Vigilia diffinitur: *expedita potentia sentiendi.* Hæc datur, cum nullum adest impedimentum, quo sensus suas lésationes exercent. Pro hujus intelligentia notandum, quòd sen-

sentationes fiunt, medijs spiritibus animalibus, qui descendunt à cerebro per quosdam meatus. Ideo si præcludantur tales meatus, & impediatur talis descensus sopiuntur sensus, qui nihil operantur, & fit somnus. Si autem auferatur tale impedimentum, statim succedit vigilia, quia statim sensus suas exercent sensationes. Quapropter somnus dicitur *ligamentum sensuum*, vigilia autem *solutio sensuum*.

Id docuit P. August. lib. 12. de Genes. ad litteram. cap. 20. dicens; *Dormientibus in cerebro consopitur, quæ intentionem ad oculos ducit. Et paulo post: Si autem causa est intus in cerebro, unde diriguntur viæ ad ea, quæ foris sunt sentienda, ipsius intentionis causa sopiuntur, vel turbantur, vel intercluduntur, quibus nititur anima in ea, quæ foris sunt, sentienda, vel intuenda.*

Vbi observa, quàm acuratè oculatissimus P. August. illam conditionalem apposuit, *si autem*, quia somnus non solum inducitur à dietis vaporibus, sed etiam interdum illum conciliant vigiliæ concentus, & labor, ut experientia constat. Quare quidquid obstruit spiritus vitales, vel quomolibet impedit illos diffundi ad organa externorum sensuum, causa somni est.

2. Multipliciter possunt spiritus animales impediti, nè descendant à cerebro. Primò, quia virtute potentie nutritivæ cibus resolvitur in vapores ascendentes ad ce-

rebrum, & se injicientes in illius meatus, eos recludunt. Secundò, propter nimiam defatigationem corporis consumuntur spiritus; & ideo non remanent, qui descendant. Tertio, possunt ex morbis vapores generari, vel infirmitate spiritus animales consumi. Hinc oritur, quodd cum vapores sunt crassiores, & densiores, somnus est profundior, & longior; Cum autem sunt rariiores, & exiliores, est levior, & brevior somnus; faciliusque excitantur sensus, quia facilius excutuntur vapores.

Notandum etiam, quodd vapores à stomacho ascendentes, aliquando sunt in tanta copia, ut valeant obstruere meatus, & operire sensus internos, nè exercent suas functiones; Aliquando non obstruunt internos, & tunc, sopitis sensibus externis, sensus interni vigiliant, & fit somnium. Propter hoc, qui habent caput fumositatibus repletum, ut infantes, & adulti valde humidi, numquam, aut rarò solent somnare.

Quoniam autem vapores, à quibus causatur somnus, sunt frigidæ, & humidæ naturæ, ideo P. August. dicit, somnum esse à frigido, & humido humore. Sic habet lib. de quant. anim. cap. 22. *Somno, quia eum frigidum, & humidum dicunt Medici, & probant, membra languescunt, atque ipse expergefactorum conatus multo est debilior, ideoque nihil est fractius, & enexius lethargicis.*

Cau.

Causam finalem, & necessitatem somni, dicit P. Augustinus esse corporis quietem, & levamen, ad sustinendas iterùm animæ operationes. Ob id scribit supra Psalmū 62. *Somnum corporis omnis debemus habere, quia si non habeatur somnus corporis, deficit ipsum corpus: non enim potest dici sustinere corpus nostrum fragile animam vigilantem, & intentam in actionibus. Si diu fuerit intentata anima in actionibus, corpus fragile, & terrenum, non illam capit, non illam sustinet perpetuò agentem, deficit, & succumbit.* Ideò Deus donavit somnum corpori, quæ reparantur membra corporis, ut possit vigilantem animam sustinere. Bonus somnus, quo reparatur valetudo corporis. Idem habet Epist. 120. cap. 32. & serm. 211. cap. 28.

3. Dicimus secundò, vigiliam esse expeditam potentiam sentiendi, aut libertatem, & solutionem externorum sensuum. Ita vigiliam explicat P. N. August. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 2 & Epist. 101. quod faciliè percipitur ex dictis de somno. Si quæras, cur somno, aut percussione, etiam à gravi somno subidò, & intempètivè evigilamus? Respondeo, quia his causis excitantur spiritus, qui discutiant vapores, quibus ligabantur sensus; viisque nervorum violentè aperiant, & sic vigilia.

Si quæras quid intersit inter vigiliam, & expergefactionem; & inter somnum, & dormitionem? Respondet P. N. Augustin. supra

Psalm. 3. *Dormitio est, quæ transitur ad somnum; sicut expergefactio est, quæ transitur ad vigiliam.* Hic transitus difficulter interdum conficitur propter causas; quas eleganter exprimit P. N. August. lib. 84. Confes. cap. 5. ubi per analogiam ad somnum peccati, in quo ante conversionem suam periculosissimè requievit, sic ad nostrum exemplum pigritiam suam Domino devotissimè confitetur.

Ego autem adhuc terra obligatus, militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quomodo impediri timendum est. Ita sarcina sæculi, velut somno affolet, dulciter premebat; & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine, remerguntur. Et sicut nemo est, qui dormire semper velit, omniumque sano iudicio vigilare præstat; differt tamen plerumque homo somnum excutere, cum gravis torpor in membris est; eumque jam displicentem carpit libertatis, quamvis surgendi tempus advenierit. Ita certum habebam, esse melius tuae charitati me dedere, quàm me cupiditati cedere: sed illud placebat, & vincebat; hoc libebat, & vincebat. Non enim erat, quid tibi responderem dicenti mihi: surge qui dormis, & surge à mortuis, & illuminabis te Christus; & undique ostendenti, veritate dicere; non erat omnino, quid responderem veritate convictus, nisi tantum verba lenta, & somnolenta: Modo, ecce modo sine paululum. Sed modo

do, & modo, non habebant modum; & sine paululum in longum ibat.

4. Quid autem sit somnium, explicatur à P. N. August. lib. de quantit. animæ capit. 33. ubi ait: *Somnium est, cum anima durante somno imagines rerum, quas per corpus hausit, secum catervatim, & multipliciter versat.* Inde patet, quòd dormiente corpore, anima non dormit, sed vigilat. Audiamus, quàm doctè id explicat P. N. August. lib. de immortal. animæ cap. 14. ubi scribit: *Somnus etsi corporeos sensus elaudat, non tamen adimit animo vel sentiendi vim, vel intelligendi, nam, & imagines sensibilium præstò habet tanta expressione simulitudinis, ut eo ipso tempore discerni nequeant ab alijs rebus, quarum imagines sunt; & si quid intelligit, æquè dormienti verum est, ac vigilant. Nam v.g. si per somnium disputare sibi visus fuerit, verasque rationes secutus, disputando didicerit aliquid; etiam exp. r. g. factò eadem incommutabiles manent.* Hic vides dormientes interdum versare species, non solum sensibiles, sed intelligibiles, & scientificas.

Observe tamen, quòd cognitio nostra aliter progreditur in vigilia, ac in somno. In vigilia juxta Aristot. *Omnis cognitio nostra incipit à sensu, & servatur hic ordo.* Primum res exteriores imprimunt species suas in sensus exteriores, & particulares; per illos deferuntur in sensum communem, & per istum in phantasmam, æstimativam, & ultimum in memoriam sensitivam, ubi

est thesaurus specierum. Sed in somnijs fit cognitio è conversò: nam cum sensus particulares non immutentur in somno à rebus exterioribus; oportet, ut tunc sit ordo inversus, & accipiantur species sensibilium à thesauro ubi servabantur; & inde veniant ad æstimativam, & phantasmam; ut tandem eis immutatus sensus communis, suas executeat operationes.

Si vellis scire quinque somniorum genera, lege librum de spiritu, & anima cap. 25. & habetur tom. 3. operum P. N. Augustini. Causæ somniorum numerantur quatuor. Aliquando causantur à Deo, ut somnium Ioseph Patriarchæ Pharaonis, &c. de quibus agit P. N. August. lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 9. Aliquando causantur ab Angelis bonis, aut malis, moventibus species, & sensus internos; de quibus P. N. August. lib. de divinatione dæmonum cap. 5. Aliquando causantur à cogitationibus præcedentibus: ac tandem à diversitate complexionis. Ob id cholericus somniat ignes, & incendia; sanguinei volatus magnos per aera; phlegmatici aquas, & naufragia; melancholici præcipitia, & incessum per loca atra, & caliginosa. Observa etiam, quòd aded fortis est aliquando alligatio sensuum, ut dormientes loquantur, operentur, amouent, &c. nec nisi post multum temporis, & magna excussione excitentur.

5. Ritus, qui est passio rationalitatis, & comes audij, & ad-

mirationis, est quædam vibratio diaphragmatis, muscilorūque thoracis, & oris. Causatur interdum à morbo, ut olim risus sardonicus; frequentius à gaudio, & etiam ab admiratione. Fletus est motus risui contrarius; unde ad contritionem cordis, & tristitiam, muscoli thoracis, & faciei constringuntur. Per risum moventur muscoli præcipuè, quia ad os attinent; per fletum illi maximè, qui sunt circa oculos: ex qua compressione lacrymæ exprimentur, quarum materia eadem est, ac sudoris, hoc est serum sanguinis. Hominibus tantum datum est propriè ridere, & flere; ob civilem conversationem, & ut possint ostendere lætitiā de bonis, & dolorem de malis

Respiratio concessa est à natura, ad refrigerandum calorem vehementem viventium media aeris frigidi attractione. Cum enim motus localis, viventibus pernecessarius, fieri non possit sine magna spirituum copia; nec spiritus copiosi gigni possint sine ingenti calore naturali; nec calor magnus valeat perseverare diu sine aliquo refrigerio; adiecit natura respirationem, qua vehemens ille calor attractione frigidi aeris temperaretur, & fuliginibus sese exaceraret, quarum nimia copia suffocari poterat; non aliter ac flamma laterne spiraculo destituta, suo fumo suffocatur. Hoc beneficium animalia natura procurat per pulmones, qui cum sint fungosæ substantiæ diffusus in illo sanguis fuliginosus

liberè exhalat. Has animal foras trahit, dum expirat; attrahit recentem aerem, dum inspirat; qui per substantiam pulmonum sparsus, existens in eis sanguinem refrigerat: motus iste pulmonum, cor etiam refrigerat veluti flabellum.

In piscibus non cetosis, in quibus frigidior est sanguis, & spirituum minor copia, calorque languidior, refrigerium aeris, ad intranea dispensati, minimè necessarium fuit. Unde illis pulmones, & aeris respiratio denegatur à natura: sed loco respirationis, & pulmonum, habent brachias, quibus alternatim aquam trahentes refrigerantur. Hinc fit, ut extracti pisces ex aqua citò moriantur, hujus refrigerij defectu, non aliter ac animalia terrena, impedita aeris refrigerantis respiratione. Cetæ sicut tamen piscibus, ut Balænis, Phocis, Delphinis calidiori sanguine præditis, concessit natura, aquam ore trahere, ac fistula, quam habent in capite ut plurimum, reddere: insuper eis datum est, aerem pulmonibus trahere ad ampliùs refrigerium. Aer iste media aspera arteria deservit ad vocem, cujus beneficio animalia pulmonibus prædita, affectus suos invicem indicant, & aliqua suavissimos concentus edunt.

6. Vita, quæ communis est animalibus, & plantis, sic in communi diffinitur: *Motus à se, & in se.* Eius longitudo, & brevitudo dependet ex humidi cum calido contemperatone. Hinc fit, ut in eis animalibus vita sit longior, in quibus calidum,

& humidū, ita se habent, ut humidū renax sit, lentum, olcaginosum, & pertinax fomētum durabilis caloris. Ea verò sunt brevioris vitæ, in quibus hæc duo vitæ principia ab hac comperatione defectunt. Ex animalibus sanguine præditis, terrena sunt communiter aquatilibus longioris vitæ. Ratio est, quia in aquatilibus calor est debilis, & humidū aqueum facilius congelabile. In avibus vita est brevis propter nimium calorem, & nimiam salacitatem, humidum radicale exhaustientem; corvos excipe cunctissimè viventes.

Homo constat temperamento, ad diu vivendum facto, nam præ omnibus alijs animantibus abundat humido, & calore blando, & est sanguineæ complexionis. Cæterum post diluvium incipit homo deficere circa septuagesimum annum juxta illud Davidicum, *si autem in p. t. n. a. tibus octoginta anni, & am. l. u. s. eorum labor, & dolor.* Vitam breviorē reddunt hominibus nimius, & intensus cibus, laxior vivendi ratio, curæ, mæores, timores, labores immoderati, & alia ejusmodi.

7 Ex eisdem principijs vitæ, nempe humido, & calido, pendent juventutis, & senectutis discrimina; nam juxta varias alterationes distinguunt vitam in varias ætates. Juventus est, cum animal recenter formatum, humido abundat, eoque puro, & extranea materia non permixto. Et licet ex alimentis aliquid subogeretur, in locum humidum con-

sumpti à continua actione caloris naturalis; attamen id quod succedit, semper deterius est. Evenit, quod Aristoteles explicat sequenti exemplo. Si quis ex dolio vini pleno, frequenter detrahat vinum, & aqua suppleat; paulatim debilitatum vinum, injectam aquam in se convertere non valebit: & ita diluetur vinum, ut tandem deficiat, ac non nisi aqua cruda ex dolio poterit hauriri. Ita in corpore humano, dum loco radicalis humoris, ab innatu calido depasti, ex cibo substituitur aliquis humor, in dies crudior, ac diluor evadit radicalis humor; donec tandem ineptus fit ad alendum vitalem calorem.

Hinc evenit senectus, in qua humidum radicale ferè exhaustum, nimisque cruditatibus dilatatum est: & calor ingenitus partim languet defectu congrui alimenti, partim obruitur superfluitatibus ex alimento contractis, partim nimia actione deficit fatigatus. Sic enim necesse est, languere omnes corporis facultates, inepta fieri sensuum organa ad operationes suas deficere spiritus vitales, totum vitæ robur concidere, corpus sibi ipsi onus importunum fieri, vitam incommodis gravem, ægè potius trahi, quam jucundè duci.

8. Restat de morte animalium aliquid attingere. Mors dicitur à Galeno *Extinctio caloris innati*; Nam ille minister est individui vitæ, quo vigente viget vitæ, quo extincto deficit.

Hæc

Hæc extinctio dupliciter contingit: Primò præmaturè, & violentè. Secundò naturaliter, dum scilicet naturalis calor marcescit, & legitima organorum dispositione, ac congruo pabulo destitutus extinguitur. Mors violenta, & præmatura dupliciter potest contingere, scilicet primò ex causa intrinseca v. g. ex superfluitatibus noxijs, & humoribus malignis quos naturalis calor non potens fugare, tandem domesticos hostes experitur, dum illi vitiant vitæ organa, & impediunt commercium inter principales partes, vel humidam radicalem feculentiam admixtione

corrumponit, vel calidam nativam obruit affusione nimia.

Secundò sequitur extinctio caloris nativi ex causa externa, ut ferro suffocatione, & alijs infinitis modis, quos explicare inutile est. Id tamen dolendum, quòd cum una solum nascendi forma instantia sit à natura, mille pereundi vitæ adaperæ sunt, non quidem invidia naturæ, quæ quantum potest, ut benigna mater fovet, & tuetur, sed ipsa vitæ conditione, quæ cum sita sit in multarum rerum harmonia, & concentu, infinitis modis turbati potest, & extingui.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Quid sit, & quotuplex potentia appetitiva?

* * *
*
* * *
* * *

* * *
*
* * *
* * *

§. Primus.

Probatur potentia appetitiva in omnibus sensitivis.

1. **S**upponit quæstio notam illam differentiam duplicis appetitus, scilicet innati, & eliciti, de qua disputavimus lib. 1. Logicæ quæst. 1. §. 1. & ex ibi comprobatis supponimus appetitum innatum esse naturalem, & consequi formam in esse naturam; appetitum autem elicatum sequi cognitionem, vel sensitivam, vel rationalem. Nec pro præfati quæstione oportet insistere in speciali distinctivo utriusque appetitus, quod dedimus loco citato de

mente P. Aug. & D. Thom. sed supponenda est communis differentia utriusque appetitus, nempe quòd naturalis nullam supponit cognitionem, sed purè est propensio, & inclinatio in propriam perfectionem; elicitus autem aliqualem cognitionem supponit. Hoc notato.

Dicendum in quolibet cognoscente sensitivo datur potentia appetitiva specialis, per quam appetit bonum sibi conveniens. *Hæc conclusio est communis omnium Philo-*

phorum. Eam testatur experientia, qua videmus, animalia omnia appetere bonū sibi conveniens. Probatur insuper à ratione. Appetitus est inclinatio consequens formam: sed in animalibus sensitivis ultra formā naturalem, quæ datur in inanimatis, datur etiam forma sensitiva, quæ est cognoscitiva: ergo in eis præter appetitum naturalem, communem etiam inanimatis, datur specialis appetitus, & specialis potentia appetitiva, consequens formam apprehensam. Hæc ratio est D. Thom. 1. p. q. 80. art. 1. ubi probat, quod appetitus est specialis potentia animæ ex hoc principio, *quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio*. Hoc principium est etiam P. Aug. & B. Ægidij locis datis in Logica. Ex ipso probatur in homine, & in Angelis voluntas, quæ est appetitus rationalis, nā debet in eis dari, cum in eis sit potentia cognoscitiva rationalis: ergo cum in brutis sit potentia cognoscitiva sensitiva, necessario debet esse in eis potentia appetitiva.

Rursus. Bruta prius intendunt propria bona, quam quærant, & exequantur media ad consecutionē unde in suis operibus ducuntur cognitione sensitiva: ergo ante executionem mediæ, & consecutionem proprii boni sensibiliter cogniti, appetunt tale bonum, quod intendunt. Hoc non potest esse sine speciali potentia appetitiva, sicut nec possunt cognoscere proprium bonum sine speciali potentia cognoscitiva. Præterea ad quid deserere cognitio bo-

ni, sine potentia appetendi illud. Ergo si anima sensitiva specialem habet potentiā cognoscendi propriū bonū, specialē habet potentiā ad illud appetendum, intendendum, & quærendum. Rursus. Animalia in proprium bonum moventur, non tantum naturaliter, qualiter lapis in centrum, sed spontè: ergo movetur ab intrinseco per formam apprehensam, & specialē appetitum. Tandem. In animali sunt diversæ potentiæ, & instrumenta operationum: ergo in illo est una potentia applicans reliquas potentias ad suas operationes; hæc est appetitus.

Diffinitur appetitus: *Potentia, quæ tendit in objectum sibi conveniens, & fugit ab eo, quod est sibi disconveniens, & contrarium*. Ita habet Noster Gavardi, sed notandum, quod appetitus naturalis tendit etiam in sibi conveniens, & fugit à disconveniente: quare ut diffinitio data conveniat soli appetitui sensitivo oportet apponere hoc additū, *media cognitione sensitiva*, nā inanimata sine ulla cognitione cōveniētis, aut discōveniētis feruntur in cōveniēs, & fugiunt disconveniens, sicut aqua sursum tendens ad vitandum vacuū. Hinc patet ratio, cur sensitivū unicam habet potentiā appetitivam, cum tamen habeat plures cognoscitivas, nempe sensus internos, & externos, Ratio est, quia appetitus nō sequitur quamcumque cognitionē, sed illam, qua sensibile cognoscitur et conveniens, vel disconveniens: sed in anima, sensitiva habente plu-

sensus, non datur nisi unica potentia cognoscens objectum sub ratione convenientis, vel disconvenientis, nempe estimativa: ergo nō datur nisi unica potentia appetitiva.

2. Hic quæritur utrum in homine detur duplex appetitus, nempe sensitivus, & rationalis? Communis sententia Theol. & Philos. affirmat. Probatur, quia appetitus elicitus sequitur cognitionem; quare in brutis datur solus sensitivus, quia sola datur in illis cognitio sensitiva; in Angelis autem, ubi est sola cognitio rationalis, solus datur appetitus rationalis: sed in homine datur duplex cognitio, nempe sensitiva, & rationalis: ergo datur duplex appetitus sensitivus, & rationalis.

Hoc probatur à Apostolo ad Roman. 7. dicente: *Videō aliā legem in membris meis, r. pugnantem legi mentis mee*. Et ad Galatas 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*. Propter hæc & alia dicit Suarez, esse de fide certum, dari in homine duplicem appetitum.

Et confirmatur à ratione. Nam homo per appetitum sensitivū appetit sensibilia; per rationale appetit supernaturalia, & divina: sed tanta diversitas objectorum, infert necessario diversitatē potentiarum: ergo appetitus illi distinguuntur in homine. Præterea Genes. 4. dicitur, *Subter te erit appetustus, & tu dominaberis illis*: sed nihil sibi imperat; imperat autem in homine voluntas, quæ est appetitus rationalis;

ergo appetitus sensitivus, qui in homine debet esse subiectus, est distinctus ab appetitu rationali. Tandem diversitas virtutum moralium pro appetitu, arguit diversos appetitus: sed temperantia ponitur in appetitu sensitivo, iustitia autem in appetitu rationali, & sic de alijs virtutibus: ergo &c.

Pater Nicolaus à Santo Joanne Baptista in sua Philosophia Augustiniana contendit de mente P. Aug. unicam in homine esse appetitum, immaterialem quoad entitatem residentem in anima, appetentem singularia, & universalia, materialia, & immaterialia, illa per corpus, hæc per se. Probat 1. In homine non datur, nisi unica anima, unus intellectus, & una materia: ergo unus tantum appetitus, qui est voluntas.

2. Iste appetitus sensitivus nō manat à corpore humano, nam separata anima rationali, hic appetitus non remanet in corpore: ergo ab anima emanat. Sed in homine appetitus sensitivas, ut ponitur à communi sententiā non potest ab anima emanare: ergo non datur in homine appetitus sensitivus distinctus à rationali, sed indistinctus. Probatur minor: Appetitus distinctus à rationali est corporalis, carnis juxta illud, *Caro concupiscit adversus spiritum*; sed appetitus corporeus, & carnis non potest emanare ab anima spirituali. ergo &c.

3. Ideo communis sententiā adstruit in homine appetitum materialem

valem sensitivum, ut passiones habeant subjectum emanationis: Sed juxta P. Aug. Omnes passiones, vel affectiones communiter adscriptæ appetitui inferiori, sunt in anima, & voluntate, immò sunt ipsissimæ voluntates: ergo frustra admititur in homine iste appetitus materialis. Minor probatur. Ex lib. 14. de Civit. Dei cap. 5. ubi ait P. August. *Inserit voluntas in omnibus passionibus si vult carnis, si vult animæ. Immo omnes nihil aliud, quam voluntates sunt. Nam quid est cupiditas, & lætitia, nisi voluntas in eorum consensione, quæ volumus? Et quid est metus atque tristitia, nisi voluntas in disensione ab his, quæ volumus? Sed cum consentimus appetendo ea, quæ volumus, cupiditas; cū autem consentimus fruendo his, quæ volumus, lætitia vocatur.*

Et cap. 7. dicit. *Recta voluntas, bonus amor, & voluntas prava, malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas est; id autem habens, eoque fruens, lætitia fugiens, quod ei aversatur, timor, est; itaque si acciderit sentiens, tristitia est. Proinde mala sunt ista, si malus amor; bona, si bonus.* Ecce omnes passiones appetitus sensitivi in homine, nempe cupiditas, lætitia, metus, & tristitia, sunt actus voluntatis: ergo potentia appetitiva, sensitiva in homine est ipsa voluntas; quare non datur appetitus sensitivus distinctus.

5. Hæc sententia licet non sit contra fidem, est plene explosenda. Non est contra fidem, quia non

negat in homine appetitum sensitivum, sed solam distinctionem ejus ab appetitu rationali. Distinctio utriusque appetitus non est de fide, sed sola existentia utriusque in homine & relinquatur Scholasticis disputatio de distinctione appetitus utriusque, inter te, & ab anima. At licet contra fidem non sit opinio ista, est tamen evitanda, quia contra communem Scholasticorum sententiam procedit, & Patre August. velle, noluit, ita e facit contra Scholasticos, sed immerito, & ex sinistra intelligentia doctrinæ Augustini. Accedit, quod fundamenta adducta levia sunt, & probant oppositum, ut facile constat.

Contra illam argue sic, ex suis met fundamentis. Per te solum datur unicus appetitus, quia solum datur unus intellectus, & una anima; At in homine cum unica anima datur duplex modus cognoscendi, nempe sensitivus, intellectivus, & qui realiter in homine distinguuntur: ergo datur duplex appetitus realiter distinctus. Explicatur. Licet anima sit una, radicat tamen potentias cognoscendi realiter distinctas, nempe sensitivam, & intellectivam: ergo licet anima sit una, radicat tamen duas potentias appetitivas realiter distinctas sensitivam, & rationalem. Patet consequentia. Quia in principijs Augustini lib. 10. de Trinit. cap. 2. & locis multis infra dandis, appetitus elicetus sequitur cognitionem.

Præterea. Idco per te non dat

est appetitus sensitivus distinctus in homine, quia esset corporeus, & carnis, qui ab anima spirituali non potest emanare: sed hæc ratio probat etiã, quod sensus interni, & externi non manant ab anima; vel si dimanant, erunt potentia spirituales, & sic indistinctæ ab intellectu, qui est potentia spiritualis cognoscitiva: ergo cum utrumque sit falsissimum, æquè falsum est, quod appetitus sensitivus sit in homine spiritualis, & indistinctus à voluntate. His, & alijs omisiss.

4. Directè respondetur ad ad primum, quod licet anima in homine sit una realiter, est multiplex virtualiter, nempe vegetativa, sensitiva, & intellectiva: ab unoquoque gradu animæ dimanant potentia, ipsi correspondentes; nempe ab anima, ut vegetativa, dimanant potentia nutritiva, augmentativa, & generativa; ab anima hominis, ut sensitiva dimanant sensus interni, & externi deserviētes cognitioni sensitivæ, potentia item appetitiva, & loco motiva; ab anima tandè ut intellectiva, dimanant memoria, intellectus, & voluntas. Si enim unitas potentiarum colligenda esset ex unitate animæ, non esset in homine, nisi unica potentia, sicut non est, nisi unica anima. Ad secundum patet ex dictis. Nam sensus interni, & externi dimanant ab anima, nec tamen sunt potentia cognoscitivæ spirituales, sed corporales, & materiales: ergo idem de appetitu sensitivo. Omnium ratio est, quia anima est eminenter corporea, quare

sicut præstat corpori formalem corporeitatem, formalem etiam vegetabilitatem, sic etiam formalem sensibilitatem: ergo radicat potentias formaliter materiales de linea vegetabili, sensitiva, cognoscitiva, & appetitiva. Hoc in nostra sententia, distinguente potentias ab anima, nullam habet difficultatem. Immo nec in sententia identificante, nam ponit tales potentias, dependentes ab organis corporeis, & sic ponit illas materiales in operando.

Ad 3. die. P. August. ibi locutum de passionibus appetitus sensitivi, ut informatis imperio voluntatis, cui natus est obedire appetitus. Hoc modo tales passiones sunt quædam voluntates; sicut dicitur mandatum Regium, quidquid minister Regis approbante Rege, & imperante, præcipit. Quando autem passiones illæ insurgunt contra voluntatem, & rationem, ut dicit Apostolus ad Romanos 7. tunc passiones non sunt voluntates, sed indicant, appetitum sensitivum, in quo subjacentur, revera distingui ab appetitu rationali contradicente, & repugnante.

§. II.

Quod duplex sit hæc potentia, & de illius actu, & objecto.

P. Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 3. Sensualitatem comparat serpenti, quia suggestionem elicit rationem. Hinc sequentes mo-

tum appetitus sensitivi, sensuales vocamus; & sæpe vox ista in malam partem sumitur; cum tamen apud Antiquos sensualitas sit idem ac appetitus sensitivus. De hoc quaerimus, an sit una potentia, vel plures?

Prima sententia affirmat, esse duas potentias, altera concupiscibilis dicitur, alia irascibilis. Prima prosequitur bona, appetendo: Ceterum, quia bona sæpe à contrariis impediuntur, ideò adest irascibilis, removens impedimenta in consecutione, & defendens à contrariis jam possessa. Hac sententia est D. Thom. 1. p. q. 81. art. 2. & de verit. quaest. 15. art. 3. eadem docuit B. Aegidius de regim. Princip. part. 2. cap. 2. & teste Suario, est communis apud Philosophos antiquos, nec non apud P. August. & S. Hieron.

Probatur, quia potentiae distinguuntur per objecta; sed concupiscibilis habet pro objecto bonum convenientius, ut delectabile; irascibilis habet pro objecto bonum sensibile arduum, ut defendendum à contrariis, si sit possessum, vel cum remotione impediendum, si non sit consecutum: ergo sunt potentiae distinctae. Et confirmatur: nam potentiae sensitivae non sunt ita universales, sicut rationales: ergo licet detur unica potentia appetitiva rationalis pro bono delectabili; & arduo, debet dari duplex appetitiva sensitiva. Explicatur, & urgetur; nam licet detur unica potentia intellectiva pro omni cognoscibili, datur tamen

multi sensus cognoscitivi pro objecto sensibili: ergo licet detur una potentia pro appetitu rationali, debent esse plures pro appetitu sensitivo. Præterea. Sæpe irascibilis appetit contra inclinationem concupiscibilis: ergo sunt potentiae omninò distinctae. Antecedens patet, nam irascibilis semper amat tristitia, ut repugnet contrariis; amare tristitia repugnat inclinationi concupiscibilis.

6. Pater Suarius tenet unicam potentiam, quod probat Primò, quia in parte cognoscitiva solum datur una potentia movens appetitum, nempe æstimatoria, aut imaginativa: ergo sufficiet unica potentia appetitiva. Secundo: Actus irascibilis etiam versatur circa bonum concupitum: ergo eadem potentia est ad utrumque. Antecedens probatur. Nam irascibilis ordinatur ad defendendum ea, quae concupiscimus animalia enim pugnant propter res concupitas, ut dicit Aristot. 8. de animalib. Et Jacob. 4. dicitur: *Vnde de bellis, & lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis vestris?* Tertio: Irascibilis tendit in consecutionem rei concupitae: ergo substantialiter habet concupiscere; nec distinguitur, nisi accidentaliter, quatenus vincit impedimenta hujus consecutionis. Tandem, si sunt potentiae distinctae, non est assignabilis perfectior, nam irascibilis habens objectum arduum, & eminentius bonum, videtur perfectior: quatenus autem ordinatur ad concupiscibile videtur imperfectior.

Hic

His fundamentis plenè satisfacit Magister S. Thoma. quaest. 12. de anima art. 1. ex quo ad 2. respondetur, duas esse potentias cognoscitivas, regulantes appetitum sensitivum, unam, quae apprehendit res sensatas, ut convenientes sensui, & ista est phantasia, aut cogitativa, quae potest regulare concupiscibile. Alia est, quae apprehendit res non sensatas sub ratione utilis, & convenientis ad conservationem, & defensionem; & dicitur æstimatoria, & potest regulare irascibilem, quae respicit bonum laboriosum, & arduum non sensatum. Colligitur hoc ex D. Thom. 1. p. q. 82. art. 2. ad 2. Quae autem supra diximus num. 1. in fine, ubi unica potentia appetitiva statuta est, intelligenda sunt de unitate subalterna, divisibili in duas species infimas. Sicut enim concupiscibilis, & irascibilis, sunt unus appetitus, sic unica potentia. Si tamen inter sensus internos unicam agnosceas potentiam cognoscitivam convenientis, & disconvenientis, quod supra à nobis cum communi sententia explicatum est quaestione 6. tunc urget argumentum Suarii, & oportet disparitatem dare inter cognitionem, & appetitum. Disparitas est, quod potentia habet universalius objectum, quod est perfectior: unde juxta D. Thom. quia intellectus est perfectior, quàm sensus, idè universalius objectum habet. Atqui inter potentias sensitivas nulla est perfectior, quàm æstimatoria, quia percipit res

non sensatas: ergo nulla habet objectum ita universale. Quare licet illa sola, & unica, regulet irascibilem, & concupiscibilem; potentiae regulatae sunt realiter distinctae.

7. Ad secundum dic, irascibilem versati circa bonum concupitum, non ut fruibile, quia sic est objectum concupiscibilis, sed ut assuequibile vincendo difficultates, quod supponit jam rem esse concupitam, ut delectabilem & fruibilem. Immo quanto major est concupiscencia boni, tanto fortius insurgit irascibilis ad pugnandum pro bono, & tollendum ejus impedimentum. Hinc sequitur fortior comprobatio distinctionis utriusque potentiae. Nam irascibilis originatur à concupiscibili, intendente, & amante bonum delectabile, & terminatur ad ipsam, ut fruentem pacificè, ut docet Divus Thom. 1. p. q. 81. art. 2. ergo sicut voluntas, quae oritur ex intellectu, ab eo distinguitur, ita irascibilis orta ex concupiscibili.

Hinc solvitur dubium etiam in designando objecto distincto utriusque potentiae. Communis expositio dicit, objectum concupiscibilis esse bonum delectabile, & fruendum; irascibilis autem esse bonum arduum consequendum, aut defendendum. Sicut spes, & charitas versantur circa idem bonum Divinum; sunt tamen virtutes distinctae, quia charitas respicit bonum, ut amabile, spes autem ut arduum consequibile. Sic explicata communis opinio ha-

Hic

bet

bet cōtra se, quòd si irascibilis appetit bona ardua, facilius poterit appetere delectabilia, quæ ardua non sunt; & sic sufficiet una potentia pro utroque bono arduo, & non arduo. Dicendum, arduas potentias habere diversum objectum, quia licet utraque versetur circa bonum delectabile, at concupiscibilis illud respicit tantum, ut in se appetibile; irascibilis autem, ut defensabile; quo fit, ut irascibilis immediatè versetur circa media, quibus defedendum est tale bonum. Sic intellecta communi doctrina, & quòd bonum arduum, est bonum, ut defensabile, constat, potentias esse distinctas, quia rationes formales sunt distinctæ. Et licet in voluntate amor mediæ, & finis non petant diversas potètijs, scilicet in parte sensitiva, quæ non habet tam universale objectum, quàm pars superior rationalis.

Ad tertium dic, irascibilem tendere in consecutionem rei concupitæ; cæterum non per modum simplicis appetitus; sed modo altiori, & eminentiori. Hoc patet, quia irascibilis supponit jam rem simpliciter concupitam, & idèd insurgit, quia concupitam supponit: ergo non tendit simpliciter concupiscendo; aliàs idem bonum superflue bis concupisceretur. Tendit ergo irascibilis in bonum concupitum, per modum victoriæ, & propullationis difficultatù; quæ est ratio distincta appetendi. Sic charitas simpliciter odit peccatum; & tamen datur distincta vitus pan-

tentia ad illud destruendum.

Ad ultimum, dicendum cum D. Thom. quæst. 28. de verit. art. 2. irascibilem esse simpliciter perfectiorè concupiscibili, nam ejus objectum est excellentius, siquidem est bonum eminens, vincens difficultates; & sic debet habere majorè activitatè, quia debet vincere majorem resistèntiam. Nec obstat, quòd irascibilis ordinatur ad concupiscibilem. Non obest, quia non ordinatur ad concupiscibilem absolutè, sed ad illam, ut pacatè, & quietè fluentem remotis contrarijs; quod pertinet ad superiorem vim. Sic Rex ordinatur ad pacem, & quierem rusticis, cum tamen sit superior illo. Pax ergo, & quies concupiscibiliis est finis irascibilis; non finis, cujus gratia, sed finis effectus, quia ordinatur ad fruitionem pacificam, efficiendo illam. Nec concupiscibilis versatur circa media, sicut irascibilis; nam hæc modo altiori respicit media; concupiscibilis enim media, & finem respicit simpliciter. Irascibilis autè media, & finem, ut assequèdum per victoriæ difficultatibus; quod est respicere sub majori activitate media, & finem.

8. Circa actus utriusque potentia appetitivæ notandum, quòd communiter vocantur *passiones*, quia cum illis actibus simul excitatur in corpore aliqua passio materialis, ut ascensio sanguinis ad cor. Hæc nomen *passio* in malam partem accipitur pro actu in ordinato, præsertim apud Stoicos, qui passiones pone-

hæc

tant, esse animi perturbationes, ex quo colligebant, illas non cadere in virum sapientem. Videatur Seneca. lib. de anima ad Novatum. Istam acceptionem secutus est Pater Augustinus lib. 10. Confess. cap. 14. dicens: *Quatuor sunt perturbationes animi, cupiditas, lætitia, metus, tristitia.* Quod repetit lib. 14. de Civit. Dei. Jamque usus invaluit, ut passionem pro perturbatione sumamus communiter.

Nihil hominis nomen *passio* nunc sumi indifferenter, prout in bonam, vel malam partem potest accipi. Sub hac acceptione actus concupiscibilis, seu passiones ejus, numerantur sex à D. Thom. 1. 2. quæst. 23. art. 4. Istæ sunt amor, odium, desiderium, fuga, delectatio, & tristitia. Probatür sufficientia, ordo, & distinctio horum actuum, aut passionum. Concupiscibilis versatur circa bonum prosequendo, & circa malum fugiendo: sed circa bonum, absolutè consideratum, versatur amor, circa futurum datur desiderium, circa præsens delectatio, & gaudium; è contra odium est de malo absolutè considerato, fuga de futuro, tristitia de præsentem, aut de malo apprehenso, ut præsentem: ergo cum bonum, & malum non possint aliter comparari relatè ad concupiscibilem, restat, hos tantum actus, & passiones concupiscibilem habere.

Actus, & passiones irascibilis quinque enumerantur, nempe spes, de-

peratio, audacia, timor, & ira. B. Agidius lib. 1. de regimine Princip. p. 3. cap. 1. addit mansuetudinem, seu lenitatem. Medina 1. 2. quæst. 23. Valentia, & alij communiter docent, mansuetudinem non esse passionem, sed virtutem. Vide Nostri Gavardi tom. 4. Theologiae q. 1. de passionibus. art. 1. ubi defendit sententiam B. Doctoris. Pro qua notandum breviter, quòd mansuetudo est nomen æquivocum, quod jam sumitur pro virtute moderante iram. Jam pro motu irascibilis contrario iræ; & cum irascibilis habeat motus contrarios, restat eos esse sex, & pares. Ne autem contentio sit de nomine, poteris vocare lenitatem motum illam contrarium iræ.

Ratio pro his motibus irascibilis est hæc. Ista potentia versatur circa defensionem boni concupiti: Quia tamen cum bonitate invenitur difficultas orta ex resistèntia contrarij, non sufficit bonum desiderare, sed requiritur altior actus quo appetitus animetur, ne difficultate vincatur; hic actus spes dicitur. Quod si appetitus superetur à difficultate, ita ut cesset à pugna; tunc resultat desperatio. Idem contingit respectu naturæ, cui malum aliquod futurum imminet, ad quod vincendum deservit audacia; sed si appetitus succumbit, succedit timor. Brevius. Bonum arduum, apprehensum, ut possibile causat spem; ut impossibile desperationem. Similiter malum futurum apprehensum, ut evitabi-

kkj

le

le causat audaciam, si ut in evitabili timore; malum praesens causat iram, & appetitum vindictae. Si tamen huius passioni delignes contrariam, illa erit lenitas. Quae circa has passiones, & alias minus principales disputantur, jam Theologi fecerunt sui iuris.

De subjecto appetitus potest esse controversia. Sed communis sententia cum Aristotele, appetitum ponit in corde. Nec obstat, quod cognitio sensitiva regulans appetitum, sit in cerebro. Nam sicut appetitus existens in corde, sufficienter movet pedes ad ambulandum, ita cognitio exercita in cerebro, sufficienter movet appetitum in corde. Pro hoc enim non requiritur intima conjunctio sensualis, sed sufficit subordinatio mixta organorum viventis.

¶ Hic quaerendum erat, an appetitus sensitivus sit potentia pure passiva? Suavius lib. 5. de anim. cap. 3. vocat absurdam sententiam afferentem, potentiam appetitivam esse pure passivam; quare solum disputat, an sola potentia appetitiva sit activa, an autem simul cum objecto eliciat actum appetendi. Noster Cavardus utrumque appetitum docet esse pure passivum; quod videtur consequentia ex dictis de potentia cognoscitiva sensuum, quae est pure passiva, ut eum eo diximus, quaestione 7. Quia tempus instat, & cogit ad alia properare, non possumus presentem questionem pro dignitate discutere. Conseo tamen non esse

consequentiam de linea cognoscitiva ad appetitivam, quia quaestione 7. vidimus, quod intellectus sub munerem intelligendi est potentia passiva: et quod licet sensus omnis cognoscitivus sit pure passivus ab objecto, non tamen potentia appetitiva. Nec obstat, quod ejus actus dicatur passio; nam sic dicitur, non quia constitutive sit passio, sed quia adiungitur appetitui passio aliqua corporalis, ut dictum est. De hoc redibit sermo lib. sequenti, dum sermo sit de activitate voluntatis.

10. Tantum hic quaeritur an appetitus sensitivus subdat voluntati, & rationi? Communis sententia affirmat, & habetur Genes. 4. ubi dicitur: *Subter te et in appetitibus tuis, & tu dominaberis illius.* Accedit ratio, nam ubi plura sunt bene ordinata, inferius debet subdici superiori. Sed in homine sunt duo appetitus sensitivus, & rationalis, dati ab Auctore naturae & ordinati; sensitivus autem est inferior: ergo debet subdici appetitui rationali. Sed notandum cum Aristotele. 1. Politicor. & eum D. Thom. 1. 2. q. 17. art. 7. & eum B. Agidius de regimine Principis, quod appetitus sensitivus non subditur rationi despoticè, sed politicè. Differentia utriusque subjectionis est, quia qui servit domino despoticè, non potest resistere, & contradicere, aut se excusare, ut contingit servis: qui autem politicè subditur, ut civis Regi, licet obedire tenetur, non tamen cogitur, & se

potest resistere, & se excusare: sed voluntas, & ratio non disingunt appetitum, necessitando & cogendo, sed consiliando, & suadendo, ut sensus interni aliter cogitant de objectis, ut conformetur rectae rationi; quod est imperium politicum, & non despoticum: ergo appetitus sen-

sitivus politicè subditur rationi, non despoticè. Hic observa potentiam loco motivam, de qua infra, servire rationi, despoticè imperanti, quia magno imperio despoticè sine ulla contradictione imperat localem motum, & potentia loco motiva obediunt, nisi ab extrinseco impediatur.



QUESTIO DUODECIMA.

DE Quid sit, & quatuorplex potentia loco motiva

DE DE §. Unicus. DE DE
DE DE Respondetur directè quaestio. DE DE

¶ S upponit haec quaestio existentiam motus localis, qui cum pateat oculatim, facilius comprobatur ambulando, quam arguendo. Et uti exemplo usus est P. Aug. ad ostendendum quaedam facilius exerceri, quam explicari; motus enim localis facilius exercetur, quàm explicatur quomodo fiat. Necessarium est tamen illum explicare in presenti; & omisis eis, in quibus motus iste convenit cum motu inanimatorum, de quibus actum est lib. 3. & 5. Physicor. nunc est disputatio de motu locali, qui in animalibus artificioso modo fit, & a principio intrinseco activo per cognitionem, & appetitum,

Notandum, quod in animalibus duplex est motus localis, alter dicitur naturalis, & vitalis, qui ne pendet à cognitione, nec ab appetitu viventis. Talis est continuus motus cordis, pulsatio, dilatatio, & compressio pulmonum, ex quibus provenit respiratio. Hi motus dicuntur naturales, quia in nostra potestate non sunt, nec sunt voluntarii; & licet spiratio aliquantulum detinetur, & impediti possit, quantum ad ingressum, & exitum aëris, non tamè ad motum pulmonum, & cordis; quare Aristot. lib. de communi animalium motu spirationem numerat inter motus non voluntarios. Praeter motum

istum datur alter, qui dicitur animalis, & ipse est, quem progressivum appellant, quemque hoc loco intendimus explicare.

2. De primo motu naturali sit prima Conclusio. Potentia ad motum naturalem est specialis in anima, & distincta ab appetitu sensitivo, residensque in corde, & pulmonibus, Probat. Ille motus non pendet ab actione appetitus, vel sensus; nam cessantibus illis, exercetur talis motus: ergo procedit ab alia speciali potentia animæ. Probat. consequentia. Nam talis motus procedit ab aliqua animæ potentia: sed non à sensu, vel appetitu, siquidem his cessantibus, ille non cessat: ergo &c. Jam verò subjectum illius potètiæ probatur. Nā ibi residet potètia ad motum naturalem, ubi exercetur motus ille: sed motus ille naturalis exercetur in corde, & pulmonibus, & inde radicaliter oritur arteriarum omnium pulsus: ergo potentia ad motum naturalem residet in corde, & pulmonibus.

Circa motum progressivum, de quo est principaliter questio, notandum est, ad illum concurrere cognitionem, appetitum, externa membra, & eorum dispositionem. De cognitione patet, quia progressio debet esse determinata, & tendens ad certum terminum: ergo debet dirigi aliqua cognitione. Rursus, si ad progressionem concurrat appetitus, ille necessarid supponit cognitionem. De appetitu probatur, nam

animal se ipsum movet, cum appetit; homo etiam quando vult. Præterea: progressio non est motus naturalis, sed spontaneus: ergo est ab appetitu,

Denique, quod membrorum dispositio sit necessaria, constat, nā si pravè disposita sint, non procedet motus, etsi animal appetat. Id amplius constat ex naturali compositione membrorum: idè enim juncturis invicem colligantur, & convexum in concavo includitur, ut possit unum in altero volui, tamquam in cardine. Quod observat Aristot. 3. de anim. tex. 32. & cum eo D. Thom. dicens, juncturas ad hunc finem fabricatas, ut quiescente una parte, altera moveatur, ac mota nitatur quiescenti. Si dum manus movetur, quiescit brachium; quod si brachium torqueatur, humerus quiescit.

Hanc doctrinam eleganter proponit P. August. lib. 8. de Genes. ad litteram, cap. 21 ut ex motu locali probet corpus ab anima moveri, & animam à Deo primo motore immoto. Dicit sic. *Quæ si posset diligenter inspicere (nempe anima hominis) tamquam cardines membrorum corporis sui, quemadmodum articulum dispositi sunt, à quibus initia motionum nitantur, invenit ea, quæ per spatia locorum moventur, nisi ab eis, quæ loco fixa sunt, non moveri. Non enim movetur solus digitus, nisi fixa sit palma, à cujus articulo, velut immoto cardine moveatur: sic tota pal-*

palma ab articulo cubiti, sic cubitus ab articulo humeri, sic humerus ab scapula movetur, stantibus utriusque cardinibus, quibus motio nitatur; ut per loci spacium, quod movetur, moveatur. Sic planta in talo est articulus, quo stante, moveatur: sic cruris in genu, & totius pedis in coxa; Et nullius membri motus omninò est, quem voluntas movet, nisi ab aliquo articulari cardine, quem motus ejusdem voluntatis premittit, ut ab eo, quod loci spacio non movetur, agi valeat, quod movetur. Vide quæ ibi prosequitur S. P. docens, motum incipere in homine à voluntate, in brutis ab appetitu.

3. Hic disputatur, quomodo membra externa concurrant ad motum localem? Aliqui affirmant, non dari potentiam activam motus in membris, sed purè dispositionem passivam ad motum localem, obediendo appetitui moventi. Quod probant à paritate Calorum, in quibus est sola potentia passiva ad motum, & tota activitas est in intelligentia motrice: ergo pariter de membris dicendum est. Rursus: Per hoc præcisè, quod appetitus possit movere, & membra sint disposita ad motum, sequitur motus: ergo ultra appetitum moventem non datur, nisi potentia passiva in membris ad motum. Et confirmatur, nam motus variatur pro ratione appetitus; si enim appetitus vehemens sit, motus etiam velox est, si sit remis-

sus, motus sequitur tardus: ergo signum est, quod à solo appetitu activo procedit. Ita docent Cayetanus 3. de anima, Capreolus, Ferrara, & aliqui Thomistæ. Videtur mens D. Thom. 1. part. quest. 75. art. 3. & 2. contra G. cap. 82. Nihilominus contraria sententia est communis.

Traditur à D. Thom. 1. part. quest. 78. art. 1. ad 4. ubi docet, sensum, & appetitum non sufficere ad movendum, nisi superaddatur vis aliqua. Et Opusc. 43. cap. 5. dicit, appetitum imperare motum, estimativam dirigere, potentiam motivam exequi. Et in 2. sententiarum dist. 18. quest. 2. art. 32 ad 1. dicit: *Duplex est virtus motiva, una imperans, alia imperata: imperans est virtus appetitiva sensitiva, cujus actus constat, quod non est sine organo corporali: virtus autem motiva imperata, & exequens motum, est vis quadam musculis, & lacertis affixa. Ex hac autoritate habetur, tū potètia activa motus, tū etiam organum, cui affixa est illa potentia, nempe musculi, & lacerti.*

Pater August. in lib. 7. de Genes. ad litteram cap. 18. potentiam motivam agnoscens, distinctam à sensu, & appetitu, eam collocat originaliter in posteriori parte cerebri, quæ vergit ad cervicem. Inde nervi descendunt ad reliquas partes corporis, quæ moventur, & in illis residet potentia exequens motum. Verba Pat. August. sunt hæc: *Et*

quoniam corporalis motus, qui sensum sequitur, sine intervallis temporum nullus est; agere intervalla temporum spontaneo motu, nisi per adiutorium memoriae non valeamus; idè tres tamquam ventriculi cerebri demonstrantur. Unus anterior ad faciem, à quo sensus omnis. Alter posterior ad cervicem, à quo motus omnis. Tertius inter utrumque, in quo memoriam vigere demonstrant; ne cum sensum motus sequitur non connectat homo, quod faciendum est, si fuerit, quod facit oblitus.

Vbi nota, non solum sensum, & appetitum concurrere ad motum, sed etiam memoriam. Ratio traditur à P. August. quia licet sensatio, & appetitio motus fiant in instanti, motus tamen fit per intervalla temporis: ergo pro motu non sufficeret semel appetivisse, nisi memoria rei sensatae, & concupitae, conjungeret sensum praeteritum cum sine futuro motus. Ob id memoria sensitiva residet in loco medio cerebri, tamquam medium conjungens principia sentiendi cum principio motus spontanei. Nota etiam, quod cum appetitus resideat in corde, ut dictum est quaestione precedente, realiter distinguitur à potentia loco motiva, quae residet principaliter in posteriore parte cerebri. Quae enim habent diversa organa, necessaribò distinguuntur realiter.

4 Probatur ratione. Appetitus non elicit immediatè motum localem, sed imperat: ergo conce-

denda est potentia exequens, activa motus. Antecedens est D. Thom. & probatur. Sicut appetitus inclinatur ad motum membra corporis, ita singulas partes impellit ad suas actiones: sed nulla actio aliarum partium est elicitata ab appetitu, sed tantum imperata: ergo &c. Confirmatur. Sicut per motum localem exequitur quilibet proprium appetitum; ita per visum, vel intellectum exequitur quicquid appetit; sed istae actiones imperantur ab appetitu, non autem eliciuntur: ergo idem.


Confirmatur secundò. Saepè quis conatur ad currendum - & non potest; non sanè defectu appetitus: ergo defectu distinctae virtutis, nempe elicitivae motus. Rursus: Saepè ex duobus aequè appetentibus currere, unus altero currit velocius, sed non quia efficacius appetat, cum supponamus utrumque aequaliter appetere: ergo quia in uno est fortior vis motiva. Tum etiam, quia in lacertis ipsis, & musculis debet esse vis, & fortitudo ad motum, & idèò unum animal velocius currit altero: ergo appetitus concurrat ad motum imperando, non autem exequendo, & sic danda est in musculis, & nervis vis activè motiva, quae de mente B. Aegidij explicat Noster Gavardi quaest. 6. de anim. art. 2. Nec urgent argumenta contraria.


5 Ad primum negatur consequentia, quia motus Calorum non est vitalis, & idèò potest esse ab agente purè externo, ut est intelligentia

lignitia motrix. Appetitus autem licet sit principium intrinsecum animalis, non tamen est intrinsecum omnibus partibus. Quòd intrinsecum sit animali, sufficit ad imperandum motum, sicut Rex imperare potest etiam Civitatibus, quibus praesens non est, sed non potest exequi, nisi ubi est. Cum autem appetitus resideat in corde, non potest exequi motum in pede, bene tamen imperare: ergo ultra appetitum danda est potentia exequens motum. Ad secundum nego antecedens, quia sicut ad currendum velociter non sufficit appetere; ita ad absolutè progredendum non sufficit appetitus: requiritur enim ultra appetitum vis activa, quae cum inaequalis sit in animalibus, idèò alia tardius, alia velocius moventur. Ad confirmationem patet ex dictis, nam non sufficit vehe-

mens appetitus ad motum velocem, nisi in musculis adsint vires ad illum: ergo inde probatur, quòd ultra appetitum imperantem velocitatem, requiritur potentia exequens fortis, & robusta.

Hae potentia loco motiva habet in diversis animalibus diversa organa, & in illis diversa sortitur vocabula. In aliquibus habentibus pedes, ibi residet, & dicitur *progressiva*. In alijs residet in alis ut in avibus, & dicitur *volativa*; quia tamè alites pedibus ambulant, est etiam in illis *progressiva*. In alijs residet in costis, & ista animalia ventre reptant, ut serpentes, & vermes, in quibus dicitur *reptativa*. In piscibus dicitur *natativa*. Si tamen eam concedas ostreis, & conchilijs, dic illam *dilatativam*, & *restrictivam*.





LIBER TERTIUS

DE ANIMA RATIONALI.

QUÆSTIO PRIMA.

An anima nostra sit immortalis?

§. Primus.

Proponuntur argumenta contra immortalitatem animæ.



SUPPONIT quæstio hæc, omnia, quæ de anima rationali dicta sunt duobus libris datis, qui licet de anima vegetativa, & sensitiva inscribatur, instituti sunt ad explicandum gradus inferiores animæ nostræ, nempe vegetandi, & sentiendi, qui parant viam ad gradum intelligendi proprium, & specificativum animæ nostræ. Hinc ex dictis supponendum est, animam rationalem esse indivisibilem, & inextensam, esse etiam spiritualem, & si de hoc iterum aliquid dicendum sit in præsentia. Supponendum etiam, animam nostram virtualiter eminen-

ter continere gradum vegetandi, & sentiendi, & quod informat corpus humanum, ut cum eo constituat hominem, qui duplicis est substantia, & ab anima dimanât ejus potentia, de quibus infra erit sermo. Qua propter hic solum agendam est de animæ immortalitate, quæ unum est ex fundamentis Catholicæ Fidei, nec ita inveteratum, ut præsentibus temporibus non sint aliqui, qui vel de immortalitate dubitent, vel mortalem opinentur, ut testatur Egregius ille Concionator Apostolicus P. Paulus Señeri Societatis Jesu: in suo scripto contra Incredulos parte 1. cap. 27. & sequentibus ubi elegantissimo, & efficacissimis rationibus

con-

convincit animæ immortalitatem.

Licet aliqui Philosophi antiqui dubitative, vel assertive docuerint animæ nostræ mortalitatem; at tamen præcipuus hujus impietatis Magister dicitur Epicurus, qui ut liberam aperiret viam voluptatibus carnis, in quibus humanam constituit felicitatem, dixit, nullam post mortem timendam poenam, aut sperandum præmium, quia moriente corpore, statim anima in atomos, spargitur, & cum illo simul emoritur. Hoc dogma adeo exosum fuit ipsis etiam Gentilibus, ut Epicurum sic ratiocinantem, non tam dicerent Philosophum, quam porcum Philosophantem, quoniam sensualitates porcorum defendebat. Eundem errorem tribuit P. Aug. lib. de Hæresibus Arabicis, dicentibus, animam cum corpore extingui, licet in fine sæculi simul cum corpore reproducenda sit. In eodem sunt Anabatistæ, teste Suario lib. 1. de anima cap. 10. ubi nervosè, & eruditè decertat pro veritate. Lutherus etiam in art. 27. ex damnatis à Leone Decimo, impudenter dicit, inter portenta incredibilia Fidei Ecclesiæ Romanæ unum esse, animam credere immortalem.

2. Fundameta hujus erroris possunt esse ab autoritate, & ratione. Ab autoritate sic, Ecclesiast. 3. dicitur: *Unus interit us est hominū, & jumentorū, & æqua utriusq; conditio; sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo,*

juvento amplius; cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum; de terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur; sed hæc æquiparatio non stat cum immortalitate animæ: ergo anima nostra non est immortalis, sed mortalis, ut sunt animæ jumentorum.

Confirmatur ex eodem libro cap. 2. ubi dicitur: *Quid proderit homini de universo labore suo, & afflictione spiritus, qua sub sole cruciatus est?* Et infra: *Nonne melius est comedere, & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis?* In his verbis, & in toto discursu illius capituli sapiens nullam videtur habere rationem vitæ futuræ, vel actus, qui post mortem in anima futurus sit.

Confirmatur secundò ex Apostolo 1. ad Timot. cap. 6. dicente: *Solus Deus habet immortalitatem;* sed anima hominis non est Deus, nec pars Dei: ergo anima hominis non est immortalis. Tertio Ezequiel. 18. dicitur: *Anima, que peccaverit, ipsa morietur.* Item Sapient. 16. dicitur: *Per malitiam occidit homo animam suam;* sed quod moritur, & occiditur non est immortale, ut patet: ergo. Quarto ex Concilio Cōstātinopol. 6. act. 11. ubi dicitur, animam non esse immortalem per naturam, sed per gratiam. Et licet hæc sententia sit Sophronij in sua Epistola, recepta est ab universo Concilio.

3. A ratione probatur. Nullum signum invenitur in anima no-

ll3

stra

stra intussecæ immortalitatis : ergo non est immortalis. Probatur antecedens. Anima nostra ex natura sua est forma corporis corruptibilis, cui non est proporcionata forma incorruptibilis, seu independens à corpore: ergo &c. Probatur antecedens. Nam si forma est incorruptibilis, vel violentè unitur corpori corruptibili, cum non indigeat illo; & melius sit, animam esse liberam, quàm tali corpori immersam: vel è cõtrario, si tali corpori corruptibili incorruptibilis unitur, perpetuò erit in statu violento; quod est cõtra naturalè rerum ordinè. Et confirmatur, nam videmus, animam nostram in omnibus operibus suis à corpore pèdere: ergo sine corpore nõ potest operari: ergo neque existere, cù esse sit propter operationè.

Explicatur. Quando homo patitur infirmitatem, qua spiritus animales non possunt ascendere, & descendere à cerebro, usus omnis rationis impeditur; sed hoc est signum dependentiæ animæ à corpore in ratiocinando; ergo anima in præcipua operatione rationali, & potiori titulo in reliquis pendet à corpore. Et urgetur ex Aristot. 3. de anim. tex. 3. dicente: *Nihil sine phantasmate intelligit anima.* Quod patet, nam Deum ipsum, & Angelos spirituales non potest intelligere, nisi ad instar rerum materialium, & formando imagines rerum corporearum, v.g. facies humanas &c. ergo intellectus pendet à phantasia incognoscendo: sed phantasia pendet à ma-

teria & corpore: ergo anima intellectiva pendet etiam à corpore.

4. Secundò probatur à ratione: Homo horret mortem, quæ à Philosopho dicitur *ultimum terribilium*; sed si anima esset immortalis, homo animatus non afficeretur tali horrore: ergo natura ipsa ostendit animæ mortalitatè. Probatur minor. Si anima esset immortalis, mors nullum damnum adduceret animæ, sed potius emolumentum, cum illam liberaret à carcere corporis, & redderet liberam; quare potius appeteret separationem, quàm refugeret. Et confirmatur. Nam si anima esset immortalis, existeret separata à corpore: ergo aliquandò rediret, saltem ut nos mortales instrueret: sed nemo agnitus est, qui reversus sit ab inferis, ut dicitur sapientiæ. 2. ergo &c. Tãdem, nulla ex rationibus, quæ adducuntur pro immortalitate animæ, est convincens, ut docet Scotus in 4. sententiarum distinct. 43. quæst. 2. ergo quidquid sit de Fide Catholica, stando tamèn principijs Philosophicis anima nostra non est immortalis.

S. II.

Probatur autoritate, & ratione immortalitas animæ.

5. **A**NIMÆ immortalitas probatur autoritate Scripturæ, ex illo Job. cap. 21. *Ducunt in bonis dies*

dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Item Sapient. 7. *Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Et Machabeor. 12. *Sancta ergò, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Matthæi 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autèm non possunt occidere.* Ad Romanos. 14. *Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea, quæ gessit in corpore, sive bonum, sive malum.* Quæ veritas habetur etiam Matthæi 25. ubi dicitur, quodd ante Christum Dominum congregabuntur omnes gentes, & reprobi ibunt in ignem æternum, *justi autèm in vitam æternam.*

Confirmatur ex Concilio Lateranense sub Leone Decimo sess. 8. ubi gravissimis verbis hæc veritas declaratur, & dicitur: *Cum diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura animæ rationalis, quodd mortalis sit, & aliqui temere philosophantes, saltem secundum Philosophiam verum esse assererent: sacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse: cum illa non solum vere per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verùm immortalis.* His verbis non solum damnatur asserens, animam mortalem, sed etiam affirmans, animam esse per gratiam mortalem, sed non per naturam, neque hoc posse secundum Philosophiam comprobati, ut patet ex verbis ipsi, quibus refertur utrū-

que docens, & indiscriminatim à Concilio re probatur. Præterea: de anima Concilium asserit, esse formam corporis, & immortalem: ergo juxta Concilium, stando etiam Philosophiæ anima nostra per naturam habet immortalem esse, sicut habet esse formam corporis.

Accedit concursus Sanctorum PP. sententia, quos longo catalogo refert Eximius Suarius loco citato. Et quod mirabilius est Tertullianus, qui animam fecit corpoream, & ob id latissimè impugnatur à P. August. quatuor libris datis de origine animæ, tamèn eam immortalè esse defendit toto libro de anima, præsertim cap. 22. & 24. sed specialiter libro de resurrectione carnis cap. 34. tractans illa verba Christi Domini Lucæ 19. *Venit Filius hominis querere, & salvum facere, quod perierat:* ubi sic ait: *Porrò recipimus animæ immortalitatem, ut perdit a non in interitum credatur, sed in supplicium.* Inde infert, Christum non venisse ad salvandam animam ab interitu in suo esse, quia sic salva erat anima natura sua per immortalitatem, sed venisse ad salvandas animas à propria pena, & perpetua morte. Quod cõtonat P. August. lib. de Symbolo ad Cathecumenos 3. cap. 3. dicenti: *Anima si credit, immortalis est ad vitam; si non credit, immortalis est ad penam.* Vide P. August. toto lib. de immortalitate animæ, & 13. de Civit. Dei cap. 2. & tract. 23. in Joann. & Epistola 28. & alijs locis.

locis. De hoc tractat D. Thom. 1. p. quæst. 75. art. 2. & varijs locis; sicut B. Ægidius in sententiarijs, & quodlib. 6. quæst. 11.

II Probatur varijs rationibus. Prima sit ex Aristot. 1. de anima tex. 11. & 13. Anima, quæ nõ pendet à corpore in suo esse, est immortalis; sed anima rationalis non pendet à corpore in suo esse: ergo immortalis est. Probatur 1. major. Anima, quæ non pendet à corpore in suo esse, potest existere separata, & sic perseverare post mortem, quod est esse immortalis. Rursus: Quod non pendet à corpore, eo ipso est superius natura corporea, & corruptibili: ergo est quid immortale, & incorruptibile. Tandem. Forma independens à materia in suo esse, eo ipso caret materia, & sic caret principio corruptionis, quod est materia: ergo est incorruptibilis.

Minor principalis, nẽpẽ, quod anima nostra sit ita independens, probatur. Anima nostra in operibus intelligendi non pendet à corpore, nec ab instrumento corporeo: ergo nec pendet in suo esse. Consequẽtia patet, quia unumquodque sic se habet ad operari, sicut ad esse. Præterea: Repugnat, operationem esse perfectiorem suo principio; perfectior autem esset, si independens esset à corpore, à quo dependeret anima, quæ est principium ejus. Antecedens docetur ab Aristot. 3. de anima tex. 5. & 7. ubi docet, animam pendere ab organo corporeo, ut sentiat,

non tamen ut intelligat. Et suadetur ratione. Anima intellectiva cognoscit veritates universales, abstrahentes ab omni materia, v.g. rationem entis communissimam, rationem spiritus puri, excludentis omnem materiam, & reflectit super se ipsam, ut patet experientia, dum cognoscit suos actus, suas cogitationes, sua proposita, sua desideria; sed istæ operationes sunt plenè independentes ab organo corporeo: ergo &c.

Dices: Juxta Philosophos etiam Christianos, nihil est in intellectu; quin prius fuerit in sensu; quare nihil intelligitur, nisi dependenter à phantasmate, & speciebus sensibilibus; sed phantasmata, & species sensibiles pendent ab organo corporeo: ergo nihil intelligitur ab anima, quod non dependeat ab organo corporeo. Secundò: Gratia habitualis, & alia dona supernaturalia, non pendent ab organo corporeo in suo esse, nec in suo operari; nam recipiuntur in anima, & spiritualiter operantur: & tamen sunt corruptibilia, & deficiunt per peccatũ: ergo licet anima non dependeat à corpore, & organo corporeo &c. Rursus: Actus intelligendi spiritualis est, & sic independens ab organo corporeo, non solum ut à principio activo, sed ut à passivo: & tamen corrumpitur, quoties anima desinit ab intelligendo, & aliò se divertit: ergo ex spiritualitate, & independentia animæ ab organo corporeo, in essendo, & operando non inferitur

eam

eam esse immortalis, & incorruptibilem.

7 Ad primum respondetur: dependentiam intellectus à phantasmate, & sensu, non esse essentialẽ animæ, sed accidentalem, & pro hoc statu mortalis vitæ. Quando autem anima separatur à corpore intelligit sine hac dependentia, ut docet D. Thom. 1. p. quæst. 89. art. 1. Quod autem pro hoc statu non dependeat anima absolutè à sensibus, sed accidentaliter, suadetur ex aliquibus operationibus, quas anima habet etiam in hoc statu, nam eis potius contradicunt sensus, quàm juvent. Anima non solum cognoscit objecta nũciata per sensus, sed de illis judicat; immò judicare de objectis sensuum, est actus excellentior intellectus; sed quando per visum videtur Sol, & media illa specie cognoscitur ab intellectu, sensus visivus, immò & imaginativa, potius obstant, quàm juvent ad iudicium intellectus: ergo tale iudicium, ad huc in hoc statu est independens à phantasmate, & organo corporeo. Probatur minor. Intellectus judicans de Sole visso, si crederet phantasiæ, & oculis nuntiantibus, iudicaret. Solem esse magnitudinis bipalmaris, & perfectè planum, & sine stellis solitariis: sic enim videtur ab oculis, & nuntiat per sensibus internis per speciem materialem, aut materializatã; sed intellectus, dum judicat de objecto visso, & imaginato, fert iudicium de vera magnitudine Solis,

asserens, excedere globum terræ triginta, & octo mille & sexcentis vicibus: Rursus verè iudicat, Solem non esse clarum, sed sphericum; item verè iudicat, Solem non esse sine stellis, sed verè ipsis associatum: ergo sensus, & imaginativa non adjuvant, sed potius obstant pro hoc statu perfectissimæ operationi intellectus, nempẽ, iudicio de rebus sensatis, & imaginatis.

Idem contingit dum videtur remus in aqua, qui nuntiat fractus, aut curvus per speciem receptam ab oculis: intellectus autem verè iudicat, esse rectum, & integrum contra nuntium oculorum. Et confirmatur urgentissimè experientia communi, quam S. Hieronymus præcæte ris observavit. Nam crescente ætate vigor naturæ humanæ decrefcit, & organa omnia corporea deteriora fiunt, cum tamen sola crescat sapientia. Ob id in quacumque re dubia juvenes debent parere sensibus consiliantibus, uti magis aptis ad iudicandum de rebus dubijs; sed si iudicium intellectus dependeret ab organo corporeo, & phantasmatibus, tunc melius iudicarent juvenes, quàm senes, quibus organa corporea deteriora sunt: ergo intellectus adhuc in hoc statu nõ dependet ab organo corporeo pro sua præcipua operatione.

Et Confirmatur secundò: Nã si dependentia intellectus ab organo corporeo esset essentialis saltem pro hoc statu, non posset intellectus cognoscere nisi sola corporalia; patet,

Mm

quia

quia sola corporalia possunt percipi ab organo corporeo; sed intellectus cognoscit etiam spiritualia, ut Deum, Angelos, & se ipsam; immò nihil amplius desiderat anima cognoscere, quàm res spirituales, & Divinas, quæ non sunt phantasiabiles, nec nuntiabiles per sensus: ergo dependentia intellectus à sensibus est accidentalis, & solum pro hoc statu. Vergetur: intellectus scire desiderat naturaliter; quare natura sua desiderat cognitiones scientificas mathematicæ, metaphisicæ, & aliarum scientiarum; sed istæ cognitiones sunt abstractæ ab omni materia; nam licet sint de objecto materiali, habentur tamen modo immateriali, deaudando speciem objecto- rum ab omni conditione materiæ, & illam spiritualizando: ergo quia natura animæ intellectivæ est essentialiter independens à materia, licet pro hoc statu per accidens sit ligata organo corporeo.

8 Ad secundum, concessis præmissis, nego consequentiam. Diffinitio est, quòd existentia gratiæ est dependens in conservari à libertate humana, quæ ratione suæ libertatis potest ponere peccatum mortale incompossibile cum gratia, & donis supernaturalibus. Actus etiam intellectus humani pendent à voluntate libera, potente desistere ab eis, & ad alia divertiri. Quare cum talia dona, & actus pendeant in sui conservari à principio defectibili, idè defectibilia sunt. Anima autem quoad ipsam

esse spirituale, vnicè pendet à Deo creatore, qui est principium indeficiens. Licet autè homo possit liberè sibi inferre mortem, dominium hoc est tantum supra unionem animæ cū corpore, non verò supra existentiam animæ. quæ sicut à solo Deo creata est, ita à solo Deo conservatur, qui fecit eam naturaliter indefectibilem, sicut Angelos natura sua indefectibiles.

9 Secunda ratio etiam desumpta ex parte intellectus formatur sic. Eatenus corpus est corruptibile, quatenus habet contraria à quibus destruitur; sed anima nostra neque ex se habet contrarium, nec adjungitur habenti contrarium: ergo anima est indefectibilis. Patet consequentia, quia quidquid corrumpitur ab alio contrario corrumpitur; non enim anima potest se ipsam interficere; immò casu, quo posset, hoc faceret ratione alicujus sibi contrarij; quare si anima nullum habet contrarium, à nullo potest corrumpi, nec à se ipsa potest destrui. Probat minor. Anima percipit omnia contraria sine contrarietate: v.g. calorè, & frigus, verum, & falsum, dulce, & amarum, sine ulla contrarietate: nam hæc omnia recipit in esse intelligibili, in quo nulla est contrarietas. Hoc ostenditur dupliciter. Primum, quia contraria in gradibus intensis non possunt esse in eodem subiecto, quia sic mutuo se expellunt, & exercent contrarietatem. Anima autem in memoria retinet species caloris intensi, & intensi frigoris sine ulla contrarietate. Secundò:

Nam

Nam qualitas intensa si sit excellens, lædit sensum, ut patet in oculo respiciente Solem, & in auribus, quæ læduntur à nimio sonitu: intellectus autem non læditur ab excellenti objecto, sed potius perficitur: ergo quia nec anima in se habet contrarium ratione suæ substantiæ, nec ratione alicujus qualitatis annexæ, ut aqua, quæ ratione frigiditatis contrariatur calori.

Hæc ratio, Philosophis etiam nota, traditur à Cicerone de Senect. ubi ait: *Sic mihi persuasi, cum simplex animi natura esset, nec haberet in se quidquam admixtum dispar sui, atque dissimile, non posse eum dividi: Quod si non possit, non posse interire.* Adèd efficax est ratio ista, ut non facile solvatur.

10. Tertia ratio ex parte voluntatis. Si anima dependeret à corpore pro suo esse, & operari, necessarium sequeretur inclinationes corporis. Patet hoc in equo, & alijs belluis, quorum animæ pendent à corpore, & sic feruntur necessarium in inclinationes corporis, nec appetitus præfert honestum delectabili, sed necessarium fertur in objecta sibi præsentia, si conducunt ad conservationem sui esse: At anima nostra, ut observat Aristot. 1. politicor. cap. 3. non fertur necessarium in bonum utile, & delectabile, sed aliquando præfert honestum, licet asperum, & terribile, ut patet in hominibus bello pugnantibus cum periculo vitæ, & in alijs, qui pro virtute decertant, & despiciunt delecta-

abilia objecta pro justitia, pro castitate te, pro pietate, & religione, quæ sunt bona purè spiritualia, sed ardua, & contra inclinationem sensus: ergo anima non pendet à corpore in esse, & operari, sed habet in voluntate liberum arbitrium, & dominium supremum supra sensus, & sensibiles delectationes; Quare sicut argumentato factò probatur in anima vera libertas, sic convincitur modus operandi, & consequenter essendi supra omne corporeum.

Confirmatur: Nihil corrumpitur ab eo, in quo consistit ejus perfectio. Quod lumine naturæ constat & traditur à D. Thom. 1. contra G. cap. 79. sed perfectio animæ rationalis consistit in eo, quòd operetur, qualiter operaretur, si esset separata à corpore: ergo anima rationalis per separationem non corrumpitur, immò perficitur, & sic est incorruptibilis. Probat minor. Perfectio animæ in corpore consistit in exercitio virtutum justitiæ, temperantiæ, castitatis &c. quibus despiciendo delectabilia sensus, amplectitur ardua contra sensum, sed conformia rationi, non curans de sensibilibus, ac si esset à corpore separata. Ob id illi, qui virtutes habent in summo dicuntur vivere, ac si non haberet corpus: ergo quia perfectio animæ consistit in operando, ita elevata à corpore, ac si esset à corpore separata.

11. Quarta ratio sumitur ex Divina providentia, quæ præmiat virtutem, & punit culpam, sed in

hac vita pervertis hominibus aliqua do nulla datur pœna, sicut, & benè operantibus nullum datur præmium; ergo restat præmium, & pœnam reservari post hanc vitam, quod sine immortalitate animæ stare non potest. Hoc argumentum traditur à Sâctis PP. & habetur 1. ad Chorint. cap. 1. ubi ait: *Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, misereabilius sumus omnibus hominibus. Quia videlicet nullis delectationibus potimur in hac vita, quibus abundant alij sceleratissimi; & sic nec post mortem habebimus præmium. Quod veluti absurdum lumine naturæ cognitum, infert Apostolus.*

Audi S. Chrysostomum sermone 4. de Providentia, ita arguentem. *Si nihil est post hanc vitam: nempe si anima non manet post mortem) ergo nec Deus est. Nam si Deus est, justus est. Si justus est, juxta merita unicuique distribuit. Si autem nihil est post hanc vitam, ubi accipient singuli pro suis meritis? Multi hic benè habent, & in honore degunt, licet mali. Alij verò effliguntur, licet juste vivant. Si ergo post hæc nihil est, emigrabunt justis afflicti injuria, & injus ti immerita felicitate potiti. Vbi manebit ergo justitia? Si enim nemo, quæ meritis est, accipiat; nec Deus secundum se justus est. Si autem Deus non est justus, nec Deus est. Atqui Deum esse, creatura clamitant: igitur justus est. Quod si justus est, tribuit unicuique quod justum est. Si unicuique quod justum est tribuit, necesse*

est post hanc vitam esse tempus, in quo singuli juxta merita accipiant. Vide alias rationes in N. Gavardi.

§. III.

Solvuntur argumenta contraria.

12. **A**D argumenta contraria posita numero 2. respondemus. Et ad auctoritatem Ecclesiasticæ dic cum S. Gregorio lib. 4. Dialogor. cap. 4. quod Sapiens ibi loquitur de morte corporis, qua moritur homo, sicut jumenta. Non loquitur de morte animæ, nam loquens inferius de animabus omnium, quasi differentiam ostendens inter hominem, & bruta dicit Ecclesiasticus 3. *Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendant sursum, & si spiritus jumentorum descendant deorsum?* In qua interrogatione non dubitationem, sed rei magnitudinem, & difficultatem ostendit. Infra autè cap. 12. veritatem Catholicam de anima nostra ostendit dicens: *Quoniam ibit homo in domum aternitatis suæ.* Et infra explicata morte per rotam contractam super cisternam dicit: *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Vide etiam expositionem S. Hieronymi, & aliorum PP. qua facie perspicies, Sapientem loqui de sola morte corporis. Ex quo patet ad confirmationem, ubi Sapiens

piens parvipendit hominis labores propter finem temporalem, qui non potest haberi post mortem. At labores hujus vitæ suscepti propter Deum finem æternum, passim commendantur à Sacra pagina; & cum eis non correspondeat præmium in hac vita, inferunt futuram vitam, & animæ immortalitatem.

Ad secundam cõfir. respondet P. Aug. serm. 13. de martyribus cap. 3. quod immortalitas est duplex, alia simpliciter incommutabilis, & hæc soli Deo convenit, quia solus ille est simpliciter immutabilis. De illa sic loquitur Apostolus. Alia immortalis est, quæ solum secundum quid est immutabilis, quatenus nequit naturaliter mutari de esse ad non esse; hæc convenit Angelis, & animæ nostræ. At quia altiori modo sunt mutabiles, quia possunt à Deo annihilari, idè immortalitas animæ nostræ, & Angelorū non est talis simpliciter. Ad tertiam respondet P. August. lib. de Civit. Dei cap. 12. & serm. 12. de Sanct. duplicem esse animæ vitam, unam, qua vivit mundo, alteram, qua vivit Deo: illa naturalis, qua vivit per naturam; hæc supernaturalis, qua vivit per gratiam. Ezechiel loquitur de morte super naturali; etiam Sapiens, de morte, qua anima moritur Deo per amissionem gratiæ, quæ est vita animæ. sicut anima est vita corporis. Quare: *Sicut corpus spirat cum animam emit; ita anima spirat, cum Deum amittit.* Verba sunt Pat. Augustin.

sermone 6. de verbis Domini.

Ad ultimam dic, animam non esse immortalem per naturam, intellege de immortalitate supernaturali, hoc est de impotentia amittendi gratiam, quam habent Beati in Cælo, non per naturam, sed per gratiam. Si tamen Epistola Sophronij loquitur de immortalitate naturali, dic, illam convenire animæ nostræ per gratiam Dei conditoris, nempe per beneficium Dei creatis, & conservantis illam, quod interdum dicitur gratia. Licet autem anima pendeat à Deo conservante, debet tamen dici immortalis, quia conformiter ad suam naturam nullum habentem contrarium, petit à Deo conservari, & à nemine destrui.

12 Dices: ergo saltem anima potest in nihilum redigi à Deo, qui illam ex nihilo extraxit, dum illam creavit. Unde ergo constat, quod anima nostra in morte corporis non annihilatur? Respondetur cum Divo Thom. 1. p. quæst. 19. art. 9. & quæst. 49. art. 2. in corpore. Quod nemo intendens in malum operatur, quare si agens naturale quidquam destruit, id non intendit per se, sed quatenus per se intendit sibi, aut alteri bonum, quod sequitur ex destructione alterius. Sic ex corruptione corporis sequitur aliud, ut ex vivente cadaver, ex cadavere vermis, ex verme cinis, ex cinere terra; & sic successiva generatione, & corruptione, non datur corruptio unius sine generatione alterius. Atqui ex

destructione animæ nostræ nihil sequitur, nec destructio unius animæ requiritur ad productionem, & conservationem alterius; nec Deo aliqua sequitur utilitas ex anihilatione animæ: ergo restat, illam non esse à Deo anihilandam propter aliquem finem ex naturalibus in generatione, & corruptione. Solum ergo posset illam anihilare præcisè, quia sic velle. At hoc non, quia in scripturis Sanctis revelavit, se nunquam ablatum esse, quod donavit. Dicitur enim, *Dona Dei sunt sine penitentia*. Et Philosophus lumine naturæ loquens lib. 4. Topico. cap. 4. dicit de veris donis, quod sunt *divino irreducibiles*; Atqui esse animæ nostræ donatum, datum fuit donatione perfecta: ergo irrevocabili, & irredibili. Accedit, quod Divina Providentia debet conservare animas nostras in æternum, ut bene, vel malè operantibus tribuat stipendia meritorum, ut supra arguebamus cum Apostolo, & D. Chrysost.

14. Ad primam rationem positam num. 3. negamus antecedens, nempe, quod nullum sit signum immortalitatis nostræ. Sunt enim plura, & certa indicia nostræ immortalitatis; tum ex parte intellectus, cujus operationes evidenter demonstrant animæ immaterialitatem, & consequenter immortalitatem. Tum in intellectu pratico præsertim in remorsu conscientie, dum malè agit, & in distamine operandi honestè contra rebellionem corporis, castigando illud, & morti exponendo, si opus sit. Tum

etiam in affectibus voluntatis, quæ libera est, & dominatur supra sensus, operans tali elevatione in virtutibus perfectis, ac si non haberent corpus. Nec voluntas nostra quiescit nisi in Deo, & pœnam alterius vite naturaliter timet, & felicitatem appetit, quam in hac vita non invenit. Cum ergo tot signa sint immortalitatis, & futuræ vite immortalis credenda est anima nostra.

Ad probationem antecedentis, dic, animam immortalem, & incorruptibilem, proportionatam esse corpori corruptibili, quia potest ei uniri ut forma, & dare ipsi vitam perfectiori modo, quam si esset corruptibilis. Unio ista non est animæ violenta, sed naturalis, & ita desiderata, ut juxta P. August. animæ beatorum in Cælo desiderant reuniri corpori; Et à tali desiderio aliquomodo retardantur, ne tota mente ferantur in Deum. Hinc patet, unionem animæ, & corporis non esse violentam, quinimò separatio violenta est. Hujus ratio esse potest, quia anima non est forma spiritalis completa, sed incompleta, per se ordinata ad constituendum cum alia comparte totum completum: ergo status unionis, vel reunionis est naturalis; violentus autem status separationis.

Ad confirmat. nego antecedens. Supra enim numero 6. probatum est, animam non pendere à corpore in suis operationibus, quare nec pendet in esse. Ad explicationem dic,

dic, animam pro hoc statu pendere accidentaliter à spiritibus animalibus, & organo corporeo, & saltem præsuppositivè, nempe pro acquirendis speciebus sensibilibus. Absolutè tamen non pendet, ut dictum est numero 7. de præcipuis operationibus intellectus judicantis, & scientias exercentis. Quod si obstructis organis, & impeditis spiritibus animalibus, non potest anima ratiocinari, idè est, quia accidentaliter ligatur, non quia absolutè impedita sit ob læsionem sensuum. Quod patet in extasi, & raptu supernaturali, ubi anima destituta sensibus, non solum intelligit, sed perfectius, & more Angelico intelligit, ut docent Sancti PP. & experti. Quod tandem urgetur de conversione intellectus ad phantasmata, dic, non esse verum in omni cognitione nostra, nam Deum, & Angelos sine phantasmate cognoscimus cognitione abstracta, quatenus essentia sunt, substantiæ, spiritus, & alia similia. Non tamen possumus cognoscere Angelos in singulari, nec Deum in individuo nisi per aliquod phantasma ad instar hominis, aut alterius rei corporeæ. Ratio est, quia singularia cognoscimus per sensum, vel cum dependentia à specie sensibili. Pro immortalitate anime sufficit independentia absoluta à corpore in cognoscendo objecta universalia.

Ad secundam rationem positam numero 4. dic, animam immortalem horrere mortem duplici horrore, quia est anima sensitiva, & ra-

tionalis. Quatenus sensitiva horret mortem, quia est plena extinctio vite sensitivæ, quæ non datur in anima immortalis separata, cum non possit exerceri per sensus. Hic horror communis est homini, & pecudibus, sicut ipsis communis est vita sensitiva. Secundus horror convenit animæ, ut rationali; ceterum iste potius probat animæ immortalitatem, quia nascitur ex timore futuræ sortis post mortem, quam timet quisquis incertus est, an sit dignus amore, vel odio Dei. Qui tamen certum de felici sorte futura, non refugit mortem, sed cum Apostolo cupit dissolui, & esse cum Christo, vel cum Job cap. 14. dicit: *Cunctis diebus, quibus vivo milito, expecto, donec veniat immutatio mea*; Sed si anima esset mortalis, fatuè timeret dubiam sortem post vitæ finem: ergo ex horrore mortis potius probatur animæ immortalitas. Ad confirmat. concesso antecedenti, & consequentia, nego minorem subsumpt. Multæ enim animæ redierunt, & mortalibus apparuerunt, ut innumeri testantur Authores, quibus denegare fidem fatuissimum est. Quod si à Sapiente dicitur, quod nullus sit reversus ab inferis, id intelligendum est de reversione ad exercendam in terris sensibilem vitam, non autem de reversione facta ad instructionem nostram, vel utilitatem suam.

Ad ultimum nego antecedens. Quod si Scotus loco citato tenuit, nullam ex rationibus probantibus im-

mortalitatem esse efficacem, in hoc non approbatur etiam à suis Cōmentatoribus: & contra Scotum ita sentientem animo forsā contentionis ampliùs, quàm victoriæ veritatis sunt clara Ecclesiæ lumina asserentia, immortalitatem animæ esse demonstrabilem, & sibi demonstrandam susceperunt P. August. & alij PP. numero 5. laudati. Præterea demus, dubiam esse sententiam de immortalitate, & nihil posse utriusque demonstrari: Quod detrimentum patitur, qui animam suam putat immortalem? E contra quale detrimentum non patitur, qui reputat mortalem? Ex his interrogationibus aliud conficitur argumentum à P. Señeri, supra laudato, pro convincendis Athæis negantibus.

Formatur sic. Pone, nos tenere contrariam sententiam. Tu tenes, animam mortalem esse, dum vivis, frueris omni delectabili. Ego reputo animam immortalem, & curo vivere honestè, & secundum rationem. Uterque morimur: nunc sit iudicium de utroque. Tibi finitum est omne delectabile, mihi autem om-

ne asperum, & durum: Quare quoad præterita æquales sumus, omnia enim bona, & mala vitæ hujus transferunt; & finita sunt. Ceterum in futurum non sumus æquales, sed ab instati mortis lōgè distabimus. Si vera est tua sententia de mortalitate animæ, nihil habebis post mortē, sicut nec ego, qui tecum plenè moriar. Si tamen mea sententia de immortalitate vera est, ego per infinita sæcula regnabo cum filiis Dei, & tu sine fine miser eris æterna pœna. Habemus ergo ex tua, & mea sententia, quod si vera est tua sententia de mortalitate, ego damnificor in bonis temporalibus, & transitorijs: si tamen vera est mea de immortalitate, tu patieris præjudicium in bonis æternis: ergo cum in dubio duplicis præjudicij majus damnum vitandum sit, teneris prudenter adherere meæ sententiæ de immortalitate, ad certò vitandum damnum æternum, nec

te exponere æternæ pœnæ pro brevi, & temporali fructu præsentis vitæ.

(?)



QUÆSTIO SECUNDA.

An anima rationalis sit substantia spiritualis?

§. Primus.

Refertur opinio de corporeitate animæ cum suis fundamentis.

EGI mus quæstione præcedenti contra negantes immortalitatem animæ, nunc autem agendum cum Tertuliano, & aliquibus, qui concedentes animam immortalem, dixerunt, eam esse corpoream. Talis fertur Tertulianus à P. August. Epist. 157. & lib. de hæresib. hæres. 86. Illum latè impugnat lib. 10. de Genes. ad lit. cap. 24. & lib. 4. de anima, & ejus origin. à cap. 12. P. August. latè impugnat quædam Vincentium, qui in eundem recidit Tertuliani errorem. Ex antiquis tenuerunt animam corpoream Anaxagoras, & Stoici apud Eusebium lib. 15. de præparatione cap. 19. Lucretius apud Tertulianum lib. 1. de anim. cap. 5. & teste P. August. lib. de utilitate credendi. Pro eodem errore sunt quotquot dicunt, animam ex atomis constare. Accedit Galenus cum alijs dicenti-


bus, animam esse sanguinem, aut temperamentum humorum. Hi, & alij, teste P. August, in hunc errorem prolapsi sunt, quoniam nimium imaginationi addicti nullum ens potuerunt concipere, nisi corporeum. Inde etiam processerunt, ut Deum ipsum dicerent corporeum, ut de Tertuliano affirmat P. Aug.

Hæc opinio, licet erronea, potest aliquantulum fundari. Primum scripturà, nam Lucæ 16. dicitur. Anima Lazari deducta in sinum Abraham, & anima divitis sensisse cruciatum ignis, & aquam petisse ad linguam refrigerandam; sed si anima non esset corporea, anima divitis non haberet linguam, nec peteret aquam ad sui refrigerium; nec Lazari anima deduceretur locali motu, qui proprius est corporum: ergo anima nostra corporea est.

Confirmatur ex Genesi 2. ubi dicitur

Na

dicitur



QUÆST.

dicitur: *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vite*, ubi Tertulianus legendum vult *flatum*, non *spiritum*, nam *anima* (inquit) *in substantia flatus est, ab effectu autem dicitur spiritus, quia spirat*. Et adducit illud Isaïæ 42 *Dans flatum populo, qui est super terram, & spiritum calcantibus eam*. Insuper Isaïæ 57 *Spiritus à facie mea egredietur, & flatum ego faciam*. Id est, *Spiritus ex me prodivit, & flatus ego feci*.

Rursus, Faustus Reiensis in Epist. ad Paulinum adducit illud Psalmi 141. *Educ de custodia animam meam*; quod ipse legit, *de carcere*, inde argumentū sumens ad corporeitatem animæ, nam non nisi res corporea potest in carcere detineri, & custodiri. Cui simile est illud Psalmi 29: *Domine eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me à descenditibus in lacum*.

2. A ratione id probat Tertulianus. Philosophicè, sed leviter, & primo sic. Quod potest moveri ab aliquo extrinseco est corpus; sed anima movetur ab aliquo extrinseco, ut patet, quando vaticinatur, & furit: ergo corpus est. Secundò Anima movetur ad motū corporis; Item anima corpus ipsū corporaliter movet; itē anima recedit, alterato, & mutato corpore: ergo spiritus nō est, sed corpus.

Confirmatur. Anima in suis operationibus pendet à corpore: ergo spiritus non est. Antecedens de actibus inferioribus sentiēdi & vegetandi patet. De intellectu alibus pro-

batur sic. Vfus rationis pendet ex dispositione corporis, ut patet in pueris; & per alterationem corporis deperditur, ut in insanis, vel deperditur, ut in dormientibus. Denique sine usphantasiæ nihil cogitamus. Tanta magna ergo dependentia à corpore non potest convenire mero spiritui.

Confirmatur secundò ex origine animæ, nam incipit anima per actionē corporalis seminis: ergo quia ipsa corporea est. Argumenta quibus probatur, animam incipere per actionem corporalis seminis posuimus lib. 1. Phisicæ quæst. 13. ubi disputatum est, an anima fiat per educationē.

§. II.

Ostenditur spiritualitas anime ex principijs fidei.

3 **S**ANCTI PP concorditer docent spiritualitytē animæ eam probant ex Sacra Scriptura multis argumentis. Primum sumitur ex Genesi cap. 1. & 2. ubi productio rerum corporearum refertur per simplex verbum *fiat*; cum autem pervenitur ad creationē hominis, inducitur Deus utens peculiari consilio, & dicens, *Faciemus hominem, ad imaginem, & similitudinem nostram*, quasi producturus rem altioris ordinis supra omnia corporea: nec excellentia hominis altior fundari potest, nisi in eo, quod anima ceteras corporeas

corporeas formas ante se habet: ergo ipsa spiritualis est, & incorporea. Accedit, quod ibi dicitur: *Formavit Deus hominem de limo terra, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vite*; sed de nullo animali vivente, cui Deus dedit vitam, & animam vitalem, dicitur recepisse spiraculum: ergo de sola anima rationali verum est, quod sit spiritus, & spiraculum. Hoc versat eleganter P. August. lib. 13. de Civit. Dei cap. 24.

Confirmatur ex varijs textibus, quibus anima nostra dicitur spiritus. Primò ex verbis Virginis Matris Lucæ 1. ubi habetur: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salvatorem meo*. Quæ verba exponens P. August. tract. super Magnificat, tradit munus animæ dum spiritus vocatur, & dum anima dicitur. Inquit sic: *Vnus, & idem spiritus, ad se ipsum spiritus dicitur, & ad corpus animæ: spiritus spiritualem habuit admirationem, anima corporealem; quare anima dicitur spiritus, & è converso. Idem anima humana, quia esse in corpore habet, & extra corpus, anima vocatur, & spiritus. Anima dicitur, in quantum est vita corporis; spiritus autem, in quantum est substantia spiritualis*. De hoc discrimine multa invenies apud Magistrum Franciscum Silvestrem Nostri Ordinis singulare decus, & Provincie Baticæ Præfulem, ac Patrem, in suo Mariano lib. eruditissimarum concionum, ubi in fine hoc discrimē spiritus, & animæ plenè delucidat

ex Apostolo, P. August. D. Thom. & PP. & Theologis, ut censori parium erudito plenè satisfaciatur:

Confirmatur secundò ex Apof. 1. ad Corinth. 2. *Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei*. Et cap. 5. de illo fornicatio ait: *judicari tradere hujusmodi Satana in interitum carnis, ut spiritus solvus fiat in die Domini*. Etiam Matth. 25. *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. In morte etiā Christi Domini dicitur cap. 27. *Emisit spiritum*. Et Joann. 19. *tradidit spiritum*. Ob id Ecclesiastès cap. 12. dicitur: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat: Et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Quod si Ecclesiastès 3. dicitur: *Spiritus filiorum Adam ascendere sursum, & spiritus jumentorum descendere deorsum*; id exponit S. Hieronymus dicens, quod *Spiritus hominis ascendit in Cælum, & spiritus jumentis descendit in terrā, & cum carne dissolvitur*. Quo sensu brutorum animæ dicantur etiā spiritus, licet improprie, supra dictum est ex P. August. quando disputavimus de anima sequitiva.

Hæc veritas diffinita est ab Ecclesia in Concilio Lateranensi sub Innocen. Tertio in cap. firmiter de summa Trinit. ubi de Deo dicitur: *Sua omnipotentis virtute ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporealem*,
Nax Angeli

Angelicam videlicet, & mundanam, & deinde humanam quasi communem spiritum, & corpore constantem. Idem traditur in Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 8, ubi docetur, animam rationalem non minus esse incorpoream, quam immortalem. & à corpore independentem. Accedit P. Aug. Epist. 157. ubi inter dogmata certa de orig. animæ ponit: *Eam non esse corpus, sed spiritum, non creatorem, sed creatum.* Idem traditur Epist. 28. acuratè declarans vocem *corporeis*, ut omnem tollat æquivocationem. Ad idem Psalmo 145. & lib. 10. de Genesi ad litter. cap. 24. certius existimat, animam non esse corpoream, quam non esse extraducente. De quo multa diximus loco citato nostræ Philosophiæ. Idem latè defendit lib. 4. de anima à cap. 12. & lib. de quâritate animæ, ubi varijs modis, & rationibus probat animam esse spiritualem.

§. III.

A ratione probatur spiritualitas animæ.

Rationes ad probandam spiritualitatem animæ multæ sunt quas longo examine probat Suarez lib. 1. de anim. cap. 9. aliquas breviter proponemus. Sit prima ex P. Aug. lib. 4. de anima cap. 17. ubi loquendo de homine dormi-

ente, qui plura voluit sensibus interioribus, dicit: *His quippe visorum imaginibus maximè anima probatur, non esse corporea, nisi vellis & illa corpora dicere, quæ præter nos ipsos tam multa videmus in somnis, Cælum, terram, Mare, Solem, Lunam, Stellas, Fluvios, Montes, Arborea, Animalia.* Hæc, qui corpora esse credit, incredibiliter despicit, sunt tamen corporibus omninò similia. Hujusmodi species velut corporum, non tamen corporum, & vigilantium cogitatione formantur, & profunditate memoriæ continentur, & ex ejus abditissimis sinibus nescio quomirabili, & inefabili modo, cum recordamur, prodeunt, & quasi ante oculos prolata versantur. Tam multas igitur, & tam magnas corporum imagines, si anima corpus esset, capere, cogitando, vel memoria retinendo, non possent.

Hæc ratio P. August. traditur ab Aristot. 3. de anima. tom. 4. & ad nostram syllogisticam formatur sic: Anima nostra cognoscit omnia corporalia cælestia & terrestria, simplicia, & mixta: ergo intelligit per potentiam spiritualem, & non corpoream. Probatur consequentia. Intellectio fit recipiendo ipsum intelligibile, vel speciem ejus; sed potentia ut cognoscat recipiendo debet esse denudata à natura recepti; nam *intus existens prohibet extraneum*, quod patet in visa cuius pupilla nulum habet colorem, ut recipiat colores, & sic de alijs sensibus: ergo ut anima cognoscat per receptionem omnia

omnia corporalia, debet esse spiritualis, & denudata ab omni corporeitate.

Nec obstat, quòd anima intelligit omnia spiritualia, nec tamen denudata est à spiritualitate. Non obstat: Nam illa principia Aristot. *Intus existens prohibet extraneum. Et recipiens debet esse denudatum à natura recepti*, intelligenda sunt de rebus materialibus, non de spiritualibus, quoniam sola materia impedit cognitionem, & ob id cognitio fit per species immateriales: ergo licet potentia spiritualis possit cognoscere spiritualia, potentia autem materialis, & corporea, poterit aliqua corporalia cognoscere, sed non omnia. Et confirmatur. Nam si anima esset corporea, & aliundè potens cognoscere omnia corporalia, posset cognoscere se ipsam, & reflectere supra se; sed reflexio est propria solum potentie spiritualis, anima autem verè reflectit supra se, quia cognoscit suas cogitationes, affectiones, & desideria, ut patet: ergo potentia animæ spiritualis est. Major patet, & minor probatur à D. Thom. 2. contra Gen. cap. 49. ratione 3. ubi probat, intellectum esse spiritualem, quia reflectitur supra se. Ratio D. Thomæ est, quia sicut corpus non potest movere se ipsum per se primò, seu secundum eandem partem; ita potentia corporea non potest reflecti supra se ipsam, se ipsam cognoscendo; sed intellectus reflectitur supra se ipsum, & supra

suum actum, nam cognoscit, se cognoscere, & inquit, quid sit ejus cognitio, quæ sint principia ejus, nempe species, lumen, & quid quid concurrat ad intellectionem: ergo &c.

5. Secunda ratio ex parte intellectus formatur sic. Potentia intellectiva hominis est spiritualis: ergo & anima. Patet consequentia, quia vel intellectus non distinguitur ab anima, ut docent multi, vel est proprietas animæ, quæ non posset esse spiritualis, si anima esset corporea. Antecedens probatur: Intellectus cõtéplatur objecta spiritualia, nempe, Deum, & Angelos: ergo est spiritualis. Patet consequentia, quia potentia debet proportionari objecto suo; spirituale autem non proportionatur potentie corporeæ, nec contineri potest sub ente materiali, quod est objectum potentie corporealis.

Si dicas, intellectum cognoscere spiritualia, sed non modo spirituali, sed modo corporali, & adinstar rerum corporaliom. Contra est; nam licet spiritualia cognoscat intellectus pro hoc statu dependenter à sensibus in aliqua sui cognitione, non tamen in omnibus, nam plura discunt de essentia Dei, & Angelorum, de eorum immaterialitate, substantia, existentia, & proprietatibus, quæ licet supponant cognitionem rerum materialium, non tamen pendent à phantasmate, ut dictum est quæstione præcedenti numero 7, ergo in aliquibus operationibus

cognoscit intellectus objecta spiritualia iammodo etiam materialia modo, & cognitione parè spiritualibus; sed hoc sufficit, ut in se absolute sit potentia spiritualis; cum potentia materialis in nulla sua operatione possit agere spiritualiter: ergo intellectus in se spiritualis est, licet pro hoc statu unionis cum corpore pèdeat aliquomodo à phàtasmatis rerum corporalium.

Hæc ratio probat, quod oculus corporeus non potest videre Deum, aut Angelum, nec aliud objectum spirituale; nam potentia visiva est materialis, nec potest percipere nisi corporalia, ut habetur in P. Aug. super Psalm. 146. ubi ait: *Caro ista per quinque nuntios, quos appellamus sensus, percipit, non nisi corpora: intelligibilia verò, & spiritualia mente capiuntur.* Quod repetit lib. 12. de Genesi ad litter. cap. 4. dicens: *Manifestum est, oculis huius corporis videri aliquid tale non posse.* Ob id Sancti PP. dicunt, animam pati spiritualibus, quia spiritualis est, sicut corpus patitur corporalibus. Ita P. August. tom. 10. serm. 27. de verbis Domini, ubi dicit, Mariam Magdalenam intentam verbis Domini, pati à Domino. Et Sanctus Gregorius Nacianzenus in Apodogetico dicit: *Sicut corpus corporalibus patitur, sic anima incorporatis saginatur.* Nec latuit Platonem, qui relat us à Matilio dixit: *Animam pati incorporata, & æterna veritate, quoniam scilicet incorporea est.*

Confirmatur hæc ratio ex objecto intellectus, quod non est ens purè corporeum, sed ratio suprema ad omnia corporalia, & spiritualia, ita ut nullum sit ens, quod non sit cognoscibile ab intellectu: ergo intellectus est elevatus super omnem sensum, & potentiam corpoream; & sic est potentia spiritualis altioris ordinis ad omnem potentiam corpoream. Patet consequentia, quia arguitur ab objecto adæquato, & specificativo, ad potentiam specificatam. Præterea: Res ipsas materiales cognoscit intellectus sub ratione universali veri, & entis, abstracta ab omni materia, & conditionibus materiæ: ergo cognoscit res materiales sub ratione spirituali, & immateriali: ergo quia intellectus est potentia spiritualis:

6. Etiam ex parte voluntatis arguitur spiritualitas animæ: tum, quia voluntas reflectitur supra se, amans se ipsam, & suos actus: potentia autem reflexiva est spiritualis, de intellectu dictum est. Tum etiã, quia amat spiritualia; & tunc melius amat, quando diligit spiritualem, & æternam. Unde sicut de intellectu, probatur etiam de voluntate spiritualitas, atque universalitate sui objecti, sub quo continentur objecta spiritualia. Ultra has rationes adest specialis in voluntate, quæ desumitur ex libertate ejus, quam retigit D. Thomas 1. contra G. cap. 65. ratione 1. Ex quo.

Argue sic. Habere dominium supra

supra actiones proprias, & posse pro libito diversa, & opposita operari, signum est potentie spiritualis; sed hoc dominium habet anima per voluntatem: ergo tam anima, quam voluntas, spirituales sunt. Major probatur. 1. Nam omnia agentia materialia, quæ experimur, naturali necessitate operantur, & sunt ad unum determinata: ergo contrarius modus operandi in anima probat ejus immaterialitatem. Secundo, Omnis virtus materialis est subiecta violentie agentium externorum, nempe, Cælorum, & Angelorum applicantium activa passivis: ergo voluntas ab hac subiectione immunis, est immaterialis. Tertio, Omnes creature superiores homine, sunt spirituales, ut patet in Angelis; omnes inferiores homines, sunt adæquatè materiales: ergo homo medius habens libertatem, participat de utroque extremo, nempe, est corporeus ratione corporis, & spiritualis ratione animæ.

Hæc ultima probatio fundatur in mirabili Providentia, qua Deus omnia creavit, sic concatenando, ut non sit transitus de extremo in extremum, nisi per medium, quod sit supremum infimè, & attingat infimè supremi, ut cum D. Dionysio observant Sancti PP. Genus ergo Angelorum, genus belluarum, sunt duo genera extrema, alterum purè spirituale, alterum purè materiale; ergo ne esset transitus de extremo in extremum, providissime creatus est homo, qui par-

tim esset spiritualis, partim corporeus. Sic etiam inter bruta apparent etiam species mediæ, nam inter quadrupedes, & volatilia, mediat vespertilio, qui convenit cum mustibus, & volans convenit cum penatibus. Sic etiam in aquatilibus dantur species mediæ, quæ natant, ut pisces, & progrediuntur, ut bestie terrestres. Quare sicut in armonia, & concentu musico, dantur semitoni, hoc est, puncta media inter tonos perfectos; ita in mundo, quem dixere Platonici, & Pitagorici, *magnum perma*, constans ex concentu creaturarum, sunt species mediæ inter extremè distantes.

§. IV.

Solvuntur argumenta.

7. **A**D fundamenta posita numero 2. sumpta ex colloquio inter Lazarum, & Divitem defunctos, respondent PP. animam spiritualem posse detineri carcere corporeo, & ibi ab igne corporali, & vero, ut instrumento Dei torqueri. Sic ignis ille detinet, & torquet Dæmones, qui sine dubio spirituales sunt. Quod autem anima Divitis igne detenta, & torta peteret consolationem verbis illis: *Mittè Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam;* est explicatio metaphorica affectus, quo desiderabat diminutionem pœnæ, & aliquam

consolationem. Vnde P. August. lib. 21. de Civit. Dei cap. 10. dicit, oculos, linguam, digitum, & aqua spiritualia fuisse, licet significantur methaphoricè per voces, corporeas partes significantes. Id optimè declarat, & confirmat lib. 4. de anima cap. 15. Nec locutio inter Abraham, & Divitè fuit corporalis, quia cù magis chaos interjectum esset, ut dicitur in Evangelio, non poterat unus corporaliter audire sensibilem vocem alterius.

Ad alia testimonia Genes. 2. dicitur, quod parum refert, animam significari nomine *spiraculi*, aut *spiritus*, aut *flatus*, quia per quodcumque nomen significatur forma incorporea, licet flatus sit nomen magis methaphoricum, ut notavit P. August. 7. de Genes. ad litteram. cap. 3. & sequentibus ubi conjungit locum Genes. 2. cum verbis Isaia 57. & dicit, flatum ibi non significare flatum venti corporeum, sed incorpoream animam. Idem habet 3. de Civit. Dei cap. 24. Sanctus Irenæus lib. 5. contra Hæreses cap. 7. dicit: *flatus vitæ incorporans est.*

Argumentum ex verbis Psalmi desumptum, *Educ de custodia, vel de carcere animam meam*, nullius est momenti. Sive enim nomine custodia, aut carceris intelligatur corpus, sive inferni locus, optimè intelligitur de spirituali anima, quæ intra mortale corpus custoditur, & in loco inferni, tanquam in carcere contineri potest, ut dictum est. Idè

exponendum de alijs verbis nobis objectis Psalmo 29.

Ad rationes positas num. 2. respondetur, animam spiritualem bene posse moveri ab intrinseco motione intentionali, quæ fit per sensus, ut ex se constat. Ad motionem istam pertinet vaticinatio, seu divinatio, & phrænesis, seu furia, sunt enim lésiones, aut immutationes sensuum præsertim interiorum. De motu locali dicendum, posse animam per accidens moveri ab extrinseco motore, simul cum corpore, quando illud informat, nec hoc magis repugnat animæ incorporeæ, quam esse formam corporis: quare cùm spiritualis anima sit forma corporis, movetur per accidens cum corpore, quod informat. Ex eodem capite, nempe, informationis, provenit, quod anima spiritualis pendeat à dispositionibus materiæ, ita, ut eis positis, adsit anima informans, & eis alteratis, recedat à corpore: ergo si spiritualitati animæ non obstat informatio, nec repugnant, quæ sequuntur ad informationem, nempe recedere, alterato corpore.

Ad confirmationem constat ex dictis, quæstione præced. num. 7. Quibus hic adde, quod dependentia animæ à corpore in operationibus phantasiæ, & ab organo corporeo, ut intelligat, non est dependentia à corpore, ut ab organo, & instrumento intelligendi, sed est tantquam ab inferiori potentia, ministrante, & quasi proponente objectum

anim. Et idè non indicat, animam esse corpoream, sed tantum esse verè, & per se corpori unitam, ut propriam ejus formam. De secunda

confirmatione, quæ tangit originem animæ, erit sermo quæstione sequenti.

(? ✕ ?)



QVÆSTIO TERTIA.

Quomodo, & quando producatur anima rationalis?

§. Primus.

Ostenditur, animam rationalem non educi de potentia materiæ, sed creari à solo Deo.

LIB. 1. Physicor. quæst. 23. probatum est latissimè, quid senserit P. Aug. de traductione animæ, & ibi ostensum, animam rationalem non posse fieri per educationem de potentia materiæ, cùm sit forma spiritualis, immò ad missa possibilitate materiæ spiritualis, adhuc ex illa non possit educi anima nostra. Argumèta sententiæ adversæ ibi soluta sunt, etsi scire vellis quorundam Recentiorum argumenta pro illo asserto, vide Cardinalem Aguirre disp. 8. de orig. animæ. Vnum est, quod à nobis loco citato prætermisissimum, speciem aliquam præfert, quam oportet dissolvere. Quare.

Argues sic. Qui ponit ultimam dispositionem ad formam, potest

producere formam; sed homo generans ponit ultimam dispositionem ad animam rationalem: ergo potest producere animam; & sic illam educere de potentia materiæ. Major est Phi. 7. Metaph. tex. 30. ubi dicit: *Causam potentem adhibere medium ad certum finem, posse ipsum exequi, & obtinere*; sed ultima dispositio ad formam est medium ad illam obtinendam, & est medium ex natura rei connexum cum forma: ergo virtus productiva ultimæ dispositionis &c.

Respondetur instando. Nam apud Theologos, solus Deus potens justificare, potest producere gratiam habitualement; sive hæc fiat per creationem, ut cum B. Ægid. docent Nostri, sive fiat per educationem de po-

tentia obedientiali passiva animæ, ut cum D. Thom. docent Thomistæ. Et tamen eodem argumento probari potest, creaturam posse producere gratiam habitualementem; nam potest producere actum contritionis perfectæ, qui in peccatore est ultima dispositio ad gratiam justificantem, & est ex natura rei connexa cum gratia justificante.

Directè respondetur ad argumentum, majorem esse veram, quādo ultima dispositio, & forma conveniunt in eadem ratione formalis producibilitatis, scilicet, quando petunt terminare formaliter diversas productiones. Sic contingit in præsentia. Nam ultima dispositio ad animam petit procedere à causa, & actione dependentibus à subjecto: Anima autem rationalis petit fieri à causa, & actione independentibus à subjecto. Rursus: ultima dispositio ad generationem hominis est organizatio, quæ est pendens à subjecto, & actione materiali; anima autem pendet ab actione spiritali Dei agentis immaterialis. Vnde à solo Deo potente creare fit anima nostra, quæ petit fieri per creationem, & repugnat esse per educationem;

§. II.

Assignatur tempus, quo anima infunditur corpori.

2. Pater August. in Enchiridio cap. 86. asserit ignorari ab

hominis tempus infusionis animæ, dicit enim: *Scrupulosissimè inter doctissimos quæri, & disputari potest, quod utrū ab homine inveniri possit, ignoro; quando incipiat homo vivere in utero?* Duo sunt tamen certa, quæ apponā, ut ad decidēda dubia procedam.

Primò certum est, quod embryon non informatur statim anima rationali. Per quod excluditur sententia Senerti, & aliorum RR. doctentium, animam infundi, quando in instanti generationis, parentum semina conjunguntur, & corpus incipit formari. Contrarium tenendum est, nam Exodi 21. traditur, quod refertur in de decreto Canonis Moyses 31. quæst. 2. *Si quis percussit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit; si non fuerit formatum, mulctetur pecunia; si autem fuerit formatum, reddat animam pro anima.* Hic supponitur, quod post generationem datur tempus, in quo embryo, aut fœtus non est formatus anima; alioquin causans abortum, non teneretur reddere pecuniam, sed animam pro anima: ergo facto textu ab Ecclesia explicato in decreto edocemur, quod anima primo tempore generationis non infunditur.

Accedit ratio. Nam anima est actus corporis physici organici: ergo non recipitur nisi in corpore perfectè organico; sed dū semina parentum conjunguntur, tunc materia corporis non est organica, sed plene rudis, & indisposita; ergo tunc nec sequen-

sequentibus diebus à prima generatione non infunditur anima. Videatur Doctor Brabo 1. p. resolutione Medicarum disputat. 10. sect. 3. resol. 11.

Ex hac ratione, & autoritate impugnatur aliorum sententia doctentium, quod à principio generationis infunditur fœtui rationalis anima, cæterum primis diebus solum exercet animam vegetativam, postea vero exercet vitam sensitivā; ac tandem completa generatione, fit homo perfectus per animam exercentem munus rationalis. Impugnatur, nam posita anima rationali in fœtu à principio generationis, abortus semper esset formatus, & nunquam informis: ergo abortus semper deberet multari capitali pœna causantis, & nunquam sola pecunia; sed hoc est contrā sensum Sacrorum Canonum doctentium, primis diebus à generatione posse causari abortum, & non committi homicidium: ergo quia sub nullo gradu infunditur anima rationalis statim à generatione.

3. Rejicitur etiam aliorum opinio doctentium, animam non infundi corpori humano, quamdiu gestatur in utero matris, sed solum in ipsa nativitate. Quod si opponas operationes vitæ, quæ in embryo, & fœtu apparent ante nativitatem. Dicunt, non procedere ab anima propria fœtus, sed ab anima matris, cuius æteri pars sit fœtus. Hanc opinionem novissimè docuit Joannes Marcus Primarius professor Medicinæ in

Accademia Pragensi. Eam opinionem latè impugnat Cardinalis Aguirre, ostendens, fuisse antiquissimum placitum Stoicorum. Suaderi potest exemplō fructus pendens ex arbore, qui dum ita pendet, non habet animam vegetantem, distinctam ab anima arboris. Fœtus autem intra uterum matris est quasi fructus ex arbore pendens.

Rejicitur tamen, quia dum ab ortu formatus causatur, tunc fœtus ex matre pendens in utero, verè occiditur, & verum committitur homicidium, pœna mortis damnabile; sed si fœtus in utero non haberet propriam animam rationalem, non committeretur homicidium in tali abortu, ut patet: ergo falsum est, quod anima non infundatur fœtui usque ad nativitatem ex utero. Præterea: Ecclesiæ Canones, & Sacra Scriptura tempus in utero distinguunt, ut interdum fœtus non sit formatus, interdum formatus sit; sed si toto tempore fœtus in utero caret anima propria, non magis est formatus post longum tempus, quàm ab initio generationis: ergo opinio ista contraria est veritati, & Canonibus Ecclesiæ. Exemplum de fructu pendente nihil probat. Eo utuntur aliqui Theologi, ut opinentur, quod fœtus non habet specialem Angelum custodem, nisi ab instanti nativitatis, quare toto tempore fœtus in utero custoditur à custode matris; Nam custodiens arborem, curat etiam de fructu pendente. Quidquid sit de opinione ista,

altera de formatione fœtus, hoc exemplo non probatur: nam anima vegetativa arboris est una actus, sed multæ in potentia, quatenus per divisionem quantitatis possunt multiplicari, ut diximus lib. 1. quæst. 3. Ob id dum fructus pendet ex arbore, eadem anima vegetatur. At anima rationalis est indivisibilis, nec plurificatur per divisionem quantitatis: ergo anima matris non potest animare fœtum formatum in utero. Vide D. Thom. 1. p. quæst. 118. art. 2. ad 2. Vbi refellit hanc opinionem.

4. Secundò certum est, animam non infundi, nisi post perfectam corporis organizationem: Quare pro discernendo tempore infusionis animæ videndum est quando corpus fœtus debeat dici sufficienter organizatum. De hoc tractat Pater Suarius lib. 2. de anima cap. 8. ubi varias Medicorum sententias proponit, iuxta quas diversas conclusiones proponit, & probat.

Quibusdam videtur apud Galenum, generationem totam simul perfici, & animam simul incipere in formare omnes partes animalis. Ratio eorum est, quia omnia membra corporis sunt sibi invicem deservientia; neque unam sine alijs potest perfectè suum munus exercere: ergo dum anima unitur, debet toti, & singulis partibus uniti simul, ut omnibus illis perfectè uti possit.

Alijs videtur, partes corporis non simul generari, sed ante unam formari alias. Probatur. Nam natura

sæper procedit ab imperfecto ad perfectum. Patet in plâcis, nam prius radices emittunt, deinde paulatim pullulant. Ars etiam, quæ imitatur naturam, sic procedit: ergo prius quàm integrum vivens constituatur, generatur aliqua pars, cui successivè adduntur alia membra, ut fœtus perficiatur.

Sic opinantes divisi sunt, nam Galenus, & Hippocrates asserunt, primum omnium generari hepar, quia in hoc membro est prima radix nutritionis, quæ est prima operatio necessaria in vivente. Aristot. & Avicena putât, cor primum omnium generari, quia est membrum potissimum, à cujus influentia, & vitali calore membra reliqua dependent; & sublato corde, animal statim moritur: ergo necessarium est cor ante reliqua generari.

5. His notatis dicendum est, animantium corpora fieri successivè, & hepar ante omnia membra generari. Probatur prima pars asserti ratione inducta pro secunda opinione. Et confirmatur, quia virtus seminis limitata, & finita est: ergo non potest simul in eodem instanti formare tot membra, & organa tam diversa, ac sunt in corpore perfectè organico.

Quoad secundam partem probatur. Processus naturæ est ab imperfecto ad perfectum; sed hepar est imperfectius inter membra: cor habet rationem medijs, cerebrum rationem ultimi; ergo processus natura

turæ

turæ est ab hepate ad cor, à corde ad cerebrum. Probatur. In hepate residet virtus naturalis nutritiva; in corde vitalis, quæ consistit in continua mutatione pulsus; In cerebro est virtus sensitiva; sed istarum prima est imperfectior, & fundamentum aliarum; secunda est perfectior prima, sed imperfectior, quam tertia: ergo &c.

Confirmatur. Natura incipit à facillioribus; sed hepar facillimè fit, quia est imperfectum membrum, solum requirens coagulationem sanguinis; cor autem meliores dispositiones, & majorem organizationem petit, & sic difficilius formatur; cerebrum autem innumera habet organa, & mirabilem compositionem: ergo organizatio primò incipit ab hepate, deinde procedit ad cor, ac tandem ad cerebrum, & reliqua membra. Tandem confirmatur experientia, quam adducit Hippocrates lib. de natura, ubi ait, mulierem fœtum emisisse fabricato hepate tantummodò.

6. His statutis circa organizationem restat plenè dubium de ordine animationis, & introductionis animæ. Philosophus 2. de generatione animalium cap. 3. docet, primò introduci animam vegetativam, deinde accedente sensitiva primum destrui, & tandem sensitivam cedere per infusionem animæ rationalis. Sic docet Divus Thom. 1. p. quæst. 118. art. 2. ad 2. & de potentia quæst. 3. art. 2. ad 2. quem sequuntur

Thomistæ communiter. Eandem docent Nostri cum B. Ægidio quod lib. 1. quæst. 14 & alijs locis, quæ citat Noster Gavardi.

Notandum, quòd est alia sententia huic affinis, quam impugnat Divus Thomas loco citato, illa dicit, embryonem primò habere animam vegetativam, quæ processu temporis eadem manens fit sensitiva, ac tandem rationalis. Hęc positio est impossibilis, quia forma entitativè eadem manens non potest transire de una specie in aliam: ergo non potest anima, quæ erat vegetativa tantum fieri sensitiva, & multò minùs hęc fieri rationalis. Ratio est, quia rationalis anima est spiritalis, ut probatum est; sensitiva pura, & vegetativa, est forma materialis: Et quòd est materiale, nequit fieri spirituale: ergo anima, quæ primò erat vegetativa, & sensitiva, nequit eadem manens fieri rationalis. Ob hęc probabilius dicitur ab alijs DD. quòd anima primò infusa est entitativè rationalis; sed primis diebus solum exercet vitam vegetativam, sequentibus autem sensitivam, ac tandem exercet vitam rationalem. Sed contra hoc militant, quæ diximus num. 2. & nunquam in hac sententia salvari potest abortus sine homicidio, cum nunquam fœtus habeat formam, quæ non sit entitativè rationalis. Imò nunquam abortus erit homicidium; quòd patet sic. Nam tunc solum sequitur homicidium, quando occiditur homo, qui est habens

animam rationalem, ut rationalem; sed fœtus toto tempore, quo gestatur in utero, non habet animam rationalem, ut rationalem, siquidem non exercet vitam rationalem, quæ est intellectiva, & volitiva: ergo occisio infantis in utero non est homicidium. Hoc contrariatur Scripturæ, & Decreto Ecclesiæ allegato.

7. In sententia autem Divi Thomæ, & nostra cum Aristot. allegato dicendum est; quod quando primò formatur hepar, tunc animatur anima vegetativa tantum. Dum autem formatum est cor, tunc animatur forma sensitiva. Tandem dum formatum est cerebrum, tunc infunditur anima rationalis. Prima assertio patet, quia anima talis infunditur, quale est corpus organicum; sed hepate formato, datur organizatio sufficiens ad animam vegetativam, siquidem hepar est sufficienter organicum ad nutritionem per intus sumptionem, quæ pertinet ad animam vegetantem: ergo formato hepate, datur anima vegetativa in fœtu.

Secunda assertio probatur ex distis. Nam formato corde, adest organum, in quo residet vitalis calor, & motus pulsificus; sed calor, ille, & motus pulsificus sunt vitales vitalitate superiori ad vitam vegetativam plantarum: ergo formato corde, adest anima sensitiva, quæ principium est vitæ superioris ad vegetativam.

Tertia assertio probatur. Ani-

ma rationalis petit in corpore perfectam organizationem; quare petit in corpore illas partes sine quibus jam vivens non potest conservari; sed hepar, cor, & cerebrum sunt partes, quibus conservatis, vivit homo, & quacumque dempta, perit vivens: ergo in instanti, quo tres partes illæ sunt formatæ, inducitur rationalis anima.

Hæc sententia duo habet contra se, primò quia juxta Aristot. embryò prius vivit vita plantæ, deinde vita animalis, tandem vita hominis: ergo homo prius generat plantam, deinde belluam, tandem hominem. At homo generans, cum sit causa univoca, producens effectum sibi similem, non potest generare plantam, aut belluam, quæ non sũt similes, sed dissimiles homini generanti: ergo positio Aristotelis non est vera.

Secundò. Nulla forma petit, nisi destructa à suo contrario; sed quando introducitur in fœtu forma sensitiva, hæc non contrariatur formæ vegetativæ præexistenti, nec dispositiones utriusquæ formæ invicem contrariantur: ergo non cedit anima vegetativa, quando introducitur sensitiva. Accedit, quod est contrarium asserere, naturam elaborare primam formam vegetativam, statim destruedam per adventum ulterioris formæ. Hoc motivo ducuntur aliqui PP. ad asserendam, quod tunica pellicea, quam Deus dedit Adamo in Paradyso, non fuit de pellibus

bus animalium, sed de pellibus, aut corticibus arborum. Nam non videtur rationabile, quod Deus occiderit animalia recens creata, & illis dederit vitam statim auferendam.

9. Propter hæc, & alia Nos ter Gavardi 1. Physicor. quæst. 3. art. 3. num. 12. cum P. August. Epist. 12. & cum B. Egidio propositio. ne 47. de Sacramento altaris dicit, quod toto tempore, quod embryò est pars corporis matris, non habet animam vegetativam, aut sensitivam, distinctam ab anima matris. At dum tempore certo infunditur fœtui rationalis anima, tunc incipit esse corpus distinctum, & vivens diversum diversitate sumpta ab anima recenter infusa. Hæc opinio quoad infusionem animæ rationalis non distinguitur à sententia communi, nec assignat diversum tempus infusionis, sed cum communi sententia dicit, tunc animam rationalem infundi, quando corpus humanum est in utero perfectè formatum. De quo postea

Vnicum discrimen à communi sententia est, quod vita vegetativa, & sensitiva embryonis, quæ præcedunt in fœtu infusionem animæ rationalis, dicit, non provenire ab anima vegetativa, & sensitiva, quæ semel productæ deficient per adventum animæ rationalis, sed provenire ab anima matris, quæ vegetat, & dat vitam sensitivam fœtui in utero existenti. Quoad hoc discrimen, probatur, tum argumentis factis con-

tra communem sententiam, tum etiam, quia frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora; sed anima matris potest dare fœtui effectum vegetandi, & sentiendi, quando fœtus est pars corporis matris: ergo pro utroque effectu frustra ponitur anima vegetativa, & sensitiva distincta. Minor probatur. Sicut enim caro, quæ crescit, & pustulæ, quæ nascuntur in corpore, sunt partes additæ ipsi corpori; sic embryò qui est caro genita ex sanguine matris, est vera pars corporis matris; sed caro, quæ crescit in corpore, & pustulæ, quæ nascuntur informantur anima ejusdem corporis, primò secundum esse vegetativam, deinde secundum esse sensitivum: ergo &c.

Hæc positio videtur probabilis, sed difficilis est, quoniam embryò, & fœtus in utero sunt verè generati: ergo per veram generationem, quæ est origo viventis à vivente; sed hæc origo petit non solum vitam in genito, sed etiam vitam distinctam ea distinctione, qua realis effectus distinguitur à sua causa: ergo petit animam distinctam realiter ab anima parentum. Nec est simile de carne crescente in corpore, aut de pustulis; nam hæc non generantur propriè, nec sunt effectus potentie generativæ, sed potentie nutritivæ, aut augmentativæ, vel potius effectus utriusque: ergo licet caro tumescens in corpore, vegetetur eadè anima corporis, & sit pars vera illius

lius, non sic de carne fœtus, quæ non est verè pars corporis matris, sed fructus ejus, ab illa pendens.

10. Nec urgent motiva contraria posita num. 8. Ad primum dic, quòd homo generans non producit plantam, aut belluam in primo processu generationis, hæc enim sunt species perfectæ, & completæ, quæ non ordinantur ad alias. Producit homo fœtum vegetabile, & postea sentiens, ut species imperfectas, quæ ordinantur ad perfectam speciem viventis rationalis; unde non sunt plânta, aut bellua. Dicitur tamen fœtus vivere vita plantæ, quia vivit vita communi cum plantis, sicut postea vivit vita cõmuni belluis. Cæterum quia neutra vita est species perfectæ, sed ordinabilis ad speciem perfectam hominis; ideò per neutram fœtus constituitur planta, aut bellua.

Ad secundum dic, formam vegetativam cedere in adventum sensitivæ, ratione incompatibilitatis duplicis formæ substantialis in eadem materia: quare dispositiones, quæ introducunt formam sensitivam, contrariantur vegetivæ præexistenti, saltem indirectè, quatenus disponunt ad formam cum præexistenti incompatibilem. Ad ultimum dic, naturam procedentem ab imperfecto ad perfectum, non elaborare imperfectum, ut diù maneat, sed ut cedat ad adventum perfecti. Nec urget consideratio de pelliceà veste Adami; nam cum sensus litteralis Scripturæ præferendus sit, quando

non sequitur inconvenièns; ideò præferenda est sententia PP. de veris pellibus animalium, quia non inconvenit, Deum, qui animalia fecit pro homine, statim à creatione occidisse quædam, ut vestiret Adamum, & sic ipsi ostenderet usum eorum, quæ propter ipsum creata sunt:

11. Jam verò integra manet præcipua difficultas de tempore, quo infunditur anima rationalis fœtui in utero existenti. P. August. in lib. 832 quæstion. q. 56. ita habet: *Dicitur autem conceptio humana sic procedere; & perfici, ut primis sex diebus, quasi lactis habet similitudinem; sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem; deinde duodecim diebus solidetur; reliquis decem & octo diebus formatur usque ad perfecta lineamenta omnium membrorum.* Si verus sit cõputus ille tenendù est, animã infundì die quadragesimo quinto à generatione; ratio est, nã tunc infunditur anima rationalis, petens perfectã organizationẽ, quando perficitur, & completur membrorum organizatio; sed juxta computationem factam omnia lineamenta membrorum complentur die quadragesimo quinto: ergo tunc infunditur rationalis anima.

Sed notandum, quòd P. Noster num. 2. laudatus fatetur, hoc non posse certò ab hominibus demonstrari, quare assertum nostrum cum S. P. est unicè probabile. Accedit pro majori incertitudine, quòd tempus organizationis variatur, quando calor


calor est fortior, & complexio robustior; quare corpus masculi citius formatur, quàm fœminæ. Tempus etiam utriusque formationis variatur, & ideò variatur etiam tempus nativitatis ex utero. Corpus enim formatum trigésimo die, vel trigésimo quinto incipit moveri die septuagesimo; & ejus partus est mense septimo. Corpus formatum die quadragesimo, incipit moveri die octogésimo; & ejus partus est mense octavo. Qui sic nascuntur, ut plurimum moriuntur. Corpus formatum die quadragesimo quinto, incipit moveri die nonagesimo; & mense nono sequitur partus, qui communior est, & convenientior.

Aliqui docent, animam rationalem infundi viris die quadragesimo à conceptione, fœminis autem die octogésimo. Fundatur, quia in veteri lege mater masculum pariens quadraginta diebus domi continebatur; octoginta autem, quæ fœminam pareret. Quo tempore lex sacra designabat forsan tempus for-

mationis in utero. Res est incerta, ut dictum est, & in re incerta, quæcumque conjectura est probabilis.

Notandum tandem, duplicem esse hominis nativitatem, scilicet in utero, & ex utero. Nativitas in utero est, quando anima rationalis infunditur fœtui. De ipsa dicitur Matthæi 10. *Joseph fili David, nolli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Nativitas ex utero datur, cum è ventre matris educitur filius.

Partus, aut fœtus, toto tempore, quo est in utero, per umbilicum nutritur, & augetur. Ibi tribus panniculis circumdatur: Primus dicitur *Secundina*, à quo totum corpus involvitur, & cum ipso exit ab utero. Secundus vocatur *Biles*, & circumdat dimidiam partem fœtus, recipiens aquositatem urinalem ex vena umbilicali. Tertius nominatur *Abgas*, & totum fœtum circumdat, ut ipsum præservet à nocivis, quæ sunt in ventre matris.





QUÆSTIO QUARTA.

An sit, quid sit, & propter quid intellectus Agens? Vbi de distinctione ejus ab intellectu possibili.

§. Primus.

Probatur existentia intellectus Agentis.

ACTVM est de substantiâ animæ rationalis, cujus potentiæ sunt memoria, intellectus, & voluntas, quas realiter distingui ab anima, probatum est lib. 1. quæst. 7. In homine esse intellectum, certissimum est non minus, quam quod habet animam. Vt enim ait P. August. serm. 63. de verbis Domini, nemo cognosceret, nisi haberet intellectum. Ibi dicit sic: *Quæro aliud, habes intellectum? Habes inquis: si enim non haberes memoriam, non teneres, quod dixi. Si non haberes intellectum, non cognosceres, quod tenuisti. Habes, & hoc intellectum tuum, ad id quod intus tenes, revocas, & vides, & videndo formaris, ut sciens dicaris.* Hic S. P. probat existentiam intellectus, sicut & memoriæ, ex operatione utriusque potentiæ. Retentio speciei objecti cogniti, est actus me-

morix; sed homo retinet speciem ejus, quod cognovit: ergo memoria pollet. Sic etiam, quod memoria retinet, iterum cognoscit, ut patet experimento: ergo existit in homine potentia cognoscitiva, quam dicimus intellectum.

Hæc potentia cognoscitiva varijs nominibus explicatur, quoniam varia exercet munera. Vt enim ait P. Aug. lib. 2. de ord. cap. 18. & super Psal. 42. & lib. 15. de Trinit. cap. 7. & 17. Primò dicitur intellectus, *oculus anime*, quia sicut fit per oculos visio corporalis, ita per intellectum fit visio spiritualis, qua anima videt, & cognoscit objecta spiritalia, quæ per sensus non potest attingere; & ipsa etiam objecta materialia cognoscit modo spiritali, & immateriali. Vocatur etiam intellectus *ratio*, quatenus cognoscit unum ex alio inferendo; quare aliud est;

ho:

QUÆST.

hominem esse intellectualem, aliud esse rationale; intellectualis est, quatenus simpliciter cognoscit, & sine discursu, ut contingit circa prima principia: rationalis autem, quatenus unum infert ex alio. Deus autem omnia simplici intuitu cognoscens, est intellectibus, sed non rationalis. Si quæras quid sit in homine ingenium? Respondet P. August. lib. 10. de Trinit. cap. 11. esse aliquid complexum ex memoria, intelligentia, studiosa voluntate.

Communissima sententia dividit intellectum in duas potentias, quæ vel distinguuntur realiter, vel per rationem: una dicitur intellectus agens, altera intellectus possibilis, vel possibilis. Vt autem ante quæstionem de existentia utriusque aliquid sit noticia quidditatis, ut sciamus, de quo disputatur, an sit; notandum, quod potentia intellectiva indiget uniri cum objecto, ut illud cognoscat. Quoad hoc se habet, sicut sensus interni, & externi, qui non possunt percipere sua objecta, nisi præsentia, vel per se, vel mediante specie, repræsentante objectum: Ergo cum intellectus sit potentia cognoscitiva, debet habere objecta sibi unita. Non unita per se, quia vel materialia sunt, & sic non possunt uniri potentiæ spiritali; vel si spiritalia sunt, non sunt præsentia, sed absentia, & sic debent præsentari per speciem, quæ uniatur cum intellectu.

Ob id communis sententia di-

IV. §. I.

cit, quod datur in anima intellectus agens, qui est formativus speciei representantis objectum, & ob id dicitur hæc potentia intellectus agens. Et licet varia habeat munera, de quibus postea, at munus notissimum in hæc potentia est agere, & producere speciem, ab eoque sortitur nomen. Quia tamen hæc species, producta ab intellectu agente, recipitur in intellectu possibili, ob id dicitur intellectus *possibilis*, quia patitur, recipiendo speciem ab intellectu agente. Dicitur etiam intellectus *possibilis*, quia hæc potentia recipiendo speciem, fit potens cognoscere. His suppositis restat videre, an existat in anima potentia productiva specierum, quæ dicitur intellectus agens, quidquid sit, an distinguatur, necnè ab intellectu possibili?

2. In hac re prima sententia potest esse antiquorum asserentium, animam nostram ex natura sua esse similem rebus cognitis, & sic sufficientem ex se ad eas cognoscendas. In hac sententia non datur intellectus agens, quia iste præsertim datur ad formandas species objectorum; sed si anima per se ipsam est similis rebus cognitis, non indiget speciebus: ergo nec intellectu agente. Huic sententiæ accedit Durandus in primo sententiarum dist. 3. quæst. 5. qui cum neget species intelligibiles, consequenter negat intellectum agentem. Cum eo reponit Hur-

rias species ad intelligendum. Hi omnes consequenter negant necessitatem intellectus agentis. Cum his erit disputatio infra de speciebus.

Fundamentum antiquorum im probatur à Divo Thoma, nam licet anima sit aliquomodo similis, nempe secundum convenientiam genericam, aut analogam, non tamen est si milis rebus cognitis secundum convenientiam specificam: ergo ut cognoscat anima res omnes quoad sua specifica, indiget speciebus additis. Antecedens probatur. Sola essentia Divina, quæ infinita, & illimitata est, habet esse similitudinem rerum omnium cognoscibilium, quia sola illa continet eminenter perfectiones omnium rerum: ergo &c.

3. Secunda opinio potest esse eorum, qui putant sufficere ad cognitionem species illas, quæ acquiruntur per sensus: ergo si aliæ species non sunt necessariæ, non erit necessarius intellectus activus specierum. Cæterum hæc opinio rejicitur facillè. Nam species acquisite per sensus, sunt species materiales; sed species materialis non potest recipi in potentia spiritali, qualis est intellectiva: ergo species per sensus acceptæ, non possunt deservire intellectioni.

Nec potest dici cum alijs, species deservientes intellectui, fieri à phantasia, aut sensu alio interno: ex quo sibi persuadent, non esse necessariam potentiam purè spirituale formativam specierum. Non potest

dici, nam sensus omnium internus est materialis, & sic impotens agere speciem purè spiritualem. Quod si dicas, quod potentia materialis ex se impotens ad effectum spiritualem, poterit illam producere, ut elevata ab intellectu possibili, ex cujus conjunctione elevatur. Sicut in cõmuni sententia Thomistarum phantasmata, quæ materialia sunt, concurrunt ad productionem speciei spiritualis, ut elevata ab intellectu agente. Contra est, nam nihil materiale potest elevari, ut sit causa principalis effectus spiritualis, sed unice, ut sit causa instrumentalis. Phantasmata autem per elevationem in sententia Thomistica solum fiunt causa instrumentalis; sed pro quocumque effectu debet dari causa principalis: ergo cum nullus sensus internus, adhuc, ut elevatus, possit esse causa principalis specierum spiritualium, restat ultra sensus assignanda in homine potentia spiritalis activa specierum, hæc est intellectus agens.

4. Tertia opinio negans intellectum agentem, ponit animas produci cum speciebus infusis, qualiter sententia communis Theologorum ponit creatos Angelos cum speciebus omnium cognoscibilium. Ita posuerunt animas nostras Plato, & alij antiquiores, asserentes, animam creatam esse ante corpus cum plena scientia omnium cognoscibilium, sed postea in corpore demissam, obcuritate corporis oblivisci eorum, quæ scivit, & per novum studium non addisce-

re, sed tantum reminisci. Hunc errorem supra sæpè rejecimus ex P. August. Et quantum ad creationem animæ ante corpus, est error in fide, in Origine damnatus. Quantum autem ad concreationem specierum, est error Philosophicus, quem impugnat Aristoteles 3. de anima, ubi dicit, intellectum nasci, tamquam tabulam rasam, in qua nihil est depictum.

Probatur ratione. Nam si intellectus noster species omnium rerum haberet infusas, ex se haberet completum principium cognoscendi: ergo ex unione ad corpus non impediretur à tali operatione. Patet consequentia, quia nulla forma impeditur à sua naturali operatione ex statu sibi naturali; status autem unionis animæ ad corpus, est sibi naturalis. Secundò, quia cum organa sensuum data sint animæ rationali in ministerium, non possunt illam impedire, nè intelligat, sed potius debent ministrare, & adjuvare: ergo si anima ex se esset instructa speciebus concreatis, non posset à corpore retardari. Tertio, si haberet anima inditas species, haberet etiam habitus illas consequentes: ergo proposita qualibet re scibili, statim haberet scientiam de illa. Sed consequens est contra experientiam: ergo falsum est, species scibilium concreari animæ.

5. Restat ergo quod anima nostra, sine speciebus creata, debeat illas acquirere, & pro ejus acqui-

sitione danda est aliqua potentia; sed hæc non est aliquis sensus internus, aut externus, ut probatum est; ergo danda est potentia spiritalis activa specierum, ista est intellectus agens.

Directè probat ejus existentiam Philosophus in præserti ex hoc principio: *ibi est id, quod est omnia fieri, est & id, quod est omnia facere.* Hoc patet, quia omni potentiæ passivæ debet correspondere potentia activa; sed intellectus possibilis est potens omnia fieri, quia intelligendo lapidem fit lapis, & sic potens intelligere omnia, est potens omnia fieri: ergo debet dari in anima intellectiva aliqua potentia omnium factiva; hæc est intellectus agens. Et patet, nam intellectus fit omnia, quatenus intelligit species omnium, quas recipit: ergo potentia omnium factiva, quæ correspondet potentiæ passivæ intellectus, est potentia factiva omnium specierum, talis est intellectus agens.

Hanc sententiam de existentia intellectus agentis docet P. August. ubicumque loquitur de speciebus, deservientibus intellectui ad cognoscendum. At non vocat potentiam istam intellectum agentem, sed mutato nomine ab alio munere intellectus agentis, quod est irradiare phantasmata, & illuminare intellectum possibilem, illum vocat *Lumen spirituale, aut lumen interius.* Quare lib. 12. de Trinit. cap. ultimo dicit: *Credendum est mentis intellectus ita conditam esse naturam, ut om-*

nia videat, in quadam luce sui generis. Et super Psal. 41. dicit: *Omnis qui intelligit, luce quadā, nō corporali, nō carnali, nō exteriore, sed interiore illustratur.* Quare sicut provisione corporali juxta P. August. datur oculus, qui est potentia perceptiva, & duplex lux una exterior irradians objectum visibile, altera interior intra oculum, & ejusdem naturæ cum oculo activè illuminans oculum: sic pro intellectu, qui est *oculus animæ*, & potentia spiritualis, datur lux spiritualis, activè illuminans intellectum, & species objectorum. Ista est intellectus agens quoad illa munera illuminandi, & irradian di: nec illa munera exercet, nisi producendo speciem, ut videbimus: ergo lumen hoc distinctum ab intellectu cognoscente, est potentia activa specierum, & sic est intellectus agens, qui necessariò datur, sicut pro cognitione necessariò datur lux Augustiniana.

§. II.

Explicatur quid sit intellectus agens, & defenditur distinctio realis ejusdem ab intellectu possibili.

6. **O**stenfa jam existentia intellectus agens restat explicare quid sit. Pro hoc notandum du-

plex discrimen intellectus agentis, & possibilis. Primum est, quod intellectus possibilis est potentia cognoscitiva; intellectus agens non est cognoscitivus. Hoc patet ex officio intellectus agentis, qui producendo speciem, quam immittit intellectui possibili, se habet sicut objectum visibile, immitens speciem oculo corporali; sed objectum visibile producens, & immittens speciem oculo corporali, non videt: ergo nec intellectus agens formans, & immitens specie objecti cognoscibilis, cognoscit. Rursus, Lux materialis exterius illuminans objectum visibile, & potentiam visivam, non videt: ergo lux spiritualis illuminans potentiam cognoscitivam, & irradians objecta cognoscibilia, non est lux cognoscens. Sed juxta P. August. intellectus agens est lux illa spiritualis: ergo intellectus agens non est potentia cognoscitiva.

Hinc oritur secundum discrimen. Nam actio intellectus possibilis est actio vitalis, quia est intellectio, quæ petit esse à principio intrinseco, & recipi in cognoscente. At actio intellectus agentis ex suo genere non est vitalis. Patet, quia producere speciem, potest convenire agenti extrinseco non vitali, ut contingit in objectis visibilibus, quæ immittunt speciem oculo, cum tamen non vivant in se, nec productio illa speciei sit vitalis, nec immanens, sed transiens. Et licet intellectus agens sit principium intrinsecum homini

homini, id non habet ex munere suo, quo producit speciem, & illuminat potentiam, & objectum; nam totum hoc posset fieri ab agente extrinseco, si daretur. At quia nihil extrinsecum materiale potest producere speciem spiritualementem, idè ponitur in anima potentia spiritualis hæc productiva, quæ intrinseca est animæ.

7. Notato hoc duplici discrimine, inde aliqua dubia suscitantur. Primum est, an uterque intellectus sit vera animæ potentia? Negant omnes ferè Græci, putantes, intellectum agentem, & possibilem esse substantias separatas, nempe Angelos; quare anicè concedunt animæ nostræ cogitativam, quam vocant intellectum passivum. Ita Theophrastus, Themistius, & Alexander, dicentes apud Socrum, intellectum agentem esse ipsum Deum. Philosophi autem Arabes, ut Avempace, Avicena, Averroes crediderunt, ultimam intelligentiam præfidentem spheræ activorum, & passivorum, esse intelligentiam agentem, quæ gubernat animas nostras, ab illaque derivari species in anima nostra. Hæc sententiæ aliquomodo favet Aristot. 3. de anima tex. 19. & 20. Quo motu Alexander, tenet de mente Aristotelis, intellectum agentem esse Deum, quia omnia facit, quod est solius Dei.

Hæc sententiæ quoad intellectum possibilem, est error in fide, & delirium Philosophicum. Patet,

quia anima nostra est rationalis essentialiter, & sic intellectiva, & volitiva, factaque ad imaginem Dei: ergo potentia intellectiva, sicut & volitiva non sunt quid extrinsecum, sed intrinsecum animæ nostræ.

Quantum autem ad intellectum agentem, non est certum in fide esse potentiam intrinsecam animæ, nam quicumque assereret species ad cognitionem nostram derivari à divinis ideis, ut possit Plato, non erraret in fide. Nihilominus tenendum est, ut certum in Philosophia, quod intellectus agens est potentia intrinseca animæ nostræ. Id directè probat D. Thom. 1. p. quæst. 79. art. 4. & quæst. 84. art. 4. ubi improbat Platonis sententiam. Probatur assertio nostra ex Aristot. 3. de anima cap. 5. Nam anima, quæ ab intrinseco est intellectualis, debet ab intrinseco habere necessaria ad exercendas operationes intellectuales. Natura enim non deficit in necessarijs, nec ordinat ad actionem, pro qua exercenda non conferat omnia requisita; sed unum ex requisitis ad intelligendum in subjecto carente speciebus, est potentia productiva specierum intelligibilium, sine quibus non sit intellectio: ergo anima nostra habet intrinsecè hanc virtutem.

Confirmatur ex B. Egidio 3. de anima tex. 19. dub. 2. Si intellectus agens esset aliquid extrinsecum, non esset in nostra potestate intelligere, cum volumus, sicut quia lumen Solis necessarium ad videndum, est

est nobis extrinsecum, idè non est in nostra potestate videre, cum volumus; non enim possumus in tenebris videre, etiam si velimus; sed presentibus speciebus in phantasia, est in nostra potestate intelligere, cum volumus: ergo intellectus agens, for mans speciem abstrahendo à phantasmatis, non est quid extrinsecum, sed intrinsecum animæ.

Confirmatur secundò. Nam si virtus productiva specierum esset substantia separata, non penderet a phantasmate, aut à corpore, in illarum productione; sed consequens est falsum, ut infra patebit, & constat experimento, nam nisi intellectus noster determinetur à phantasmate, nihil cognoscit: ergo virtus factiva specierum non est extranea animæ nostræ. Major patet, quia Deus, aut intelligentia separata, est quid superius ad omnia corporalia, & sic in operando est independens à corpore, & phantasmate. Quæ autem ex Aristotele videntur favere errori impugnato, vide explicata in Suario lib. 4. de anima cap. 8. numero 6. & sequentibus.

8. Hinc sequitur, quòd intellectus agens, & possibilis non est unicus in omnibus hominibus, sed multiplicatur ad multiplicationem animarum. Qui enim ponunt intellectum esse potentiam extrinsecam, dicebant consequenter, esse unam pro omnibus hominibus, nempe Deum, aut intelligentiam separatam. Contrarium tenendum est consequenter

ad dicta. Et probatur, nam multiplicata forma, multiplicatur ejus potentia; sed anima rationalis multiplicatur, & tot sunt animæ, quot homines: ergo tot sunt intellectus agentes, & possibiles.

Colligitur etiam, intellectum agentem non esse potentiam organicam, nec materialem, sed purè spirituales. Probatur, quia intellectus agens ponitur ad efficiendas species spirituales intelligibiles; item ad illuminandum intellectum possibilem, qui est potentia purè spiritualis; sed potentia materialis, aut organica, non potest producere effectum spirituales, ut est species, nec potest illuminare potentiam spirituales, nam potius illam obscuraret: ergo intellectus agens est potentia purè spiritualis. Id patet ex dictis num. 5. de mente P. Aug.

Tandem sequitur, intellectum agentem esse tantum potentiam activam; possibilem verò esse simul potentiam activam, & passivam. Hoc patet ex dictis num. 6. nam intellectus agens solum habet producere speciem, & illuminare potentiam, & objectum: hæc omnia purè activa sunt. At intellectus possibilis habet recipere speciem, quod est pati. Rursum, habet efficere cognitionem, & illam in se recipere; quod est simul agere, & pati.

9. Hic dubitatur, quis horum intellectuum sit perfectior? Philosophus 3. de anima cap. 5. videtur præferre intellectum agentem. Nam di-

cit

cit: *Agens enim in omni natura præstabilius est patiente.* Quod principium approbatur, & multis suadetur à P. August. lib. 12. de Genesi ad litter. cap. 16. Et suadetur ratione. Potentia, quæ ordinatur ad dandum complementum alteri, est illo præstantior; sed intellectus agens dat intellectui possibili species objectorum, quibus ille completur ad intelligendum: ergo est perfectior. Sic sentit Ferrara. 3. de anima quæst. 9. Favet D. Thom. 2. sent. distinct. 20. quæst. 2. & quæst. 10. de verit. art. 8.

Dicendum tamen cum communi sententia, intellectum possibilem esse simpliciter nobiliorem. Probatur, quia ejus actio est intellectio, quæ nobilior est, quàm productio speciei: ergo potentia activa intellectio nis est nobilior, quàm activa speciei. Secundò: per intellectum possibilem anima nostra est capax Divinæ visionis, in qua beatitudo nostra consistit adæquatè juxta D. Thom. vel inadæquatè juxta B. Egidium. Tertio: per intellectum possibilem maximè assimilatur Deo, & Angelis, & ipse per se loquendo, consequitur naturam substantiæ spiritualis. Intellectus autem agens, per accidens datur, ut scilicet suppleat defectum objectorum materialium, quæ non sunt actu intelligibilia, sed in potentia. Tandem intellectus agens est datus à natura, ut instrumentum ad formandas species, & preparandas intellectui possibili. Nec semper agens est præstan-

tius patiente, & ut patet in colore, qui est agens speciei visibilis, quæ in oculo recipitur, non enim juxta P. August. color perfectior est oculo, cum tamen oculus sit potentia passiva speciei visibilis, & color activa. Excessus ille principij activi supra passivum, est in ratione communi principij, sed alijs titulis computatur à principio passivo.

10. Quæres, an intellectus agens sit potentia? Quicumque negat distinctionem utriusque intellectus, tenetur dicere, intellectum agentem esse potentiam, quia intellectus possibilis sine dubio est potentia. Qui autem propugnant distinctionem, variant. Quidam negant, esse potentiam. Et probatur. Nam omnis potentia immaterialis fundata in essentia animæ, est conversiva supra se, ut patet de intellectu possibili, memoria, & voluntate; sed intellectus agens est potentia supra se conversiva; non enim se ipsam illuminat, nec in se quidquam operatur, ut patet ex dictis num. 6. ergo non est potentia. Rursum: Nulla potentia immediatè fundata in anima, informat naturaliter intellectum possibilem, qui solum informatur ab habitibus intellectualibus; sed intellectus agens informat intellectum possibilem; quia in omni actione immante activum informat passivum; ergo &c. Tertio. Nam sequeretur, quòd daretur duplex potentia intellectiva, & sic quatuor essent animæ potentia; nec in anima esset ima-

go Trinitatis penes potentias, sed imago quaternitatis.

Noster Toletanus citatus à Gavardi tenet, intellectum agentem non esse potentiam animæ, sed esse habitum primorum principiorum. Probat. Nam definitio habitus est *quo quis utitur, quando vult*; sed anima utitur intellectu agente, quando vult: ergo intellectus agens est habitus. Secundò, Id, quo intellectus redditur habilis ad operandum, est habitus; sed intellectus possibilis redditur habilis per intellectum agentem, ut intelligat: ergo &c.

Dicendum est cum Nostro Gavardi, & communi sententia, intellectum agentem esse animæ potentiam. Probat. Qualitas indita à natura ad absolutè, & simpliciter operandum, est naturalis potentia; sicut habitus est qualitas, quæ non datur ad simpliciter operandum, sed tantum ad secundum quid, seu ad facilius, & melius; sed intellectus agens est qualitas indita à natura ad operandum simpliciter, & absolutè: ergo est naturalis potentia animæ. Probat. minor. Sine intellectu agente non potest anima intelligere, quia sine speciebus nihil potest percipere; pro speciebus autem ponitur intellectus agens. Præterea: Intellectus ut sic, qui est qualitas de secunda specie, quæ dicitur naturalis potentia, dividitur in intellectum agentem, & possibilem; item de illis prædicatur in recto sicut animal prædicatur de rationali, & irrationali: ergo tã intel-

DE ANIMĀ.

lectus possibilis, quàm agens, est formaliter potentia naturalis.

Nec urgent motiva contraria.

Ad primum dic, potentias animæ activas simul, & passivas esse conversivas supra se; immò conversio illa est quædam actio, quæ simul est passio. Intellectus agens est potentia purè activa; Et ideò non est conversivus supra se, licet immediate fundetur in essentia animæ. Ad secundum dic, quòd intellectus agens formaliter non informat intellectum possibilem, sed animam, cujus est potentia. At efficienter activè informat intellectum possibilem, quia efficit species, quæ actuant formaliter, & informant intellectum: unde pro actione immanente intellectus species intelligibilis est activum informans passivum. Ad tertium dic, potentias animæ per se tales esse tantum tres, nempe, memoriam, intellectum possibilem, & voluntatem. Intellectus agens non est potentia animæ per se, sed per accidens, nempe, quia anima creata est sine ullis speciebus, & tanquam tabula rasa. Sic creari animam nudam, non est de essentia animæ; alioquin non potuisset aliter creari, quod est falsum. Hinc datur in anima imago Trinitatis; quæ fundatur in potentijs eisdem essentialibus, & per se convenientibus, quæ tantum sunt tres. Inde evenit, quòd intellectus dicitur unus absolutè, licet sit duplex; quia per se non datur in anima intellectiva, nisi intellectus possibilis,

lis,

lis; & solus iste est intellectivus.

Ad fundamenta Nostri Toletani dic, eis probari etiam, quòd intellectus possibilis non est potentia, sed habitus: Nam illo utitur anima, cum vult, & per illum redditur habilis ad intelligendum. Directè respondemus, quòd habitus datur ad facilius, non ad simpliciter posse operari. Intellectus agens datur ad simpliciter posse intelligere, ut probatum est; unde non est habitus, sed potentia. Et licet habitus supernaturales infusi dentur ad simpliciter posse; cum tamen non sint potentiæ, sed habitus; at docent Theologi, eos habitus habere modum potentiæ, quatenus non dantur ad facilius, sed ad simpliciter posse: ergo intellectus agens, qui datur ad simpliciter posse intelligere, non est habitus, sed potentia.

II. Contra hoc sunt quedam, quæ simul probant, intellectum agentem non esse necessariò ad simpliciter posse intelligere, & aliquomodo impugnant existentiam intellectus agentis, inde à nobis probatam num. 5. Primò: res à parte rei sunt actu intelligibiles; nam sunt actu veræ, sicut sunt actu ens, cujus passio est veritas: ergo non est necessarius intellectus agens, reddès res actu intelligibiles per speciem, eas representantem. Secundò: non datur sensus agens, nec voluntas agens, nec hoc est necessarium ad simpliciter sentiendam, & dolendam: ergo nec datur intellectus agens, qui sit neces-

sarius ad simpliciter intelligendum. Tertio: in Angelo non est necessarius intellectus agens ad intelligendum objecta etiã materialia: ergo nec est in anima nostra. Quarto: species intelligibilis potest produci ab objecto sine intellectu agente; nam objectum est substantia, quæ est majoris servitutis, quàm intellectus agens, qui est accidens: ergo frustra ponitur intellectus agens necessarius simpliciter. Quintò: intellectus agens, nec agit in phantasmata, nec in intellectu possibile, nec potest assignari quid agat: ergo idem. Tandè intellectus agens in anima separata, est ociosus, & sic non datur: ergo nec datur in anima corpori unita. Patet consequentia, quia per separationem nulla potentia animæ deperditur.

Ad primum respondetur: Solas res immateriales esse actu intelligibiles, quia illæ solæ possunt uniri potentiæ intellectivæ, quæ spiritualis est; & sine unione objecti cum potentia non sequitur intellectio, nec paritur notitia, ut ex P. August, docent Philosophi, & Theologi. Res autem à parte rei sunt materiales, & cum conditionibus materiæ; & ob id necessarius est intellectus agens, formans speciem spiritualem, qua objecta reddantur actu intelligibilia. Ad secundum, negamus consequentiam. Disparitas est, quòd species sensibilibus sunt actu sensibiles; & sic non est necessarius sensus agens depurans species. Voluntas autem non est potentia cognoscitiva, sed cæca, & sic

non utitur speciebus, nec indiget illuminari. Sequitur enim voluntas ductum intellectus, qui idè agit in voluntatem, proponendo objectum: Quarè non est necessaria voluntas agens, nam agitur ab intellectu modo dicto.

Ad tertium dic, Angelam habere species infusas, & concreatas, & sic nõ indiget intellectu agente, sicut nos, ad illas acquirendas. An autè detur in Angelo intellectus agens quoad munus illuminandi potètiã, dubium est, in quo Noster Gavardi tom. 3. Theologiæ, quæst. 4. de cognit. Angel. art. 4. docet cum B. Ægidio sententiam affirmativam, quæ videtur probari ex P. August. suprà allegato num. 5. Ad quartum, nego, quòd objectum possit producere speciem in intellectu; nam hæc debet esse spiritualis, & nihil materiale potest producere speciem spirituale. Excessus autem, quo substantia materialis vincit intellectum agentem, est tantum in esse entitativo, sicut lapis excedit gratiam habitualem, quæ est accidens: Intellectus autem in esse virtutis excedit quamcumque substantiam materialem. Ad quintum constat ex dictis. Agit enim intellectus agens speciem intelligibilem, per quam actuat potentiam intellectivã, unde agit in illam. Ad sextum dic, intellectum agentem in anima separata munere quoad munus illuminandi potentiam.

12. Ultimò queritur, an hi duo intellectus realiter distinguantur?

Negat Major in 2. sent. distinct. 16. Abulensis quæst. 70 super cap. 23. Exodi; quam sententiam Suarius reputat probabiliorẽ, & illam communiter docet RR. Societatis. Probat, quia sine distinctione reali potest eadem potentia esse activa speciei, & sic vocari intellectus agens; & esse receptiva illius, & sic vocari intellectus possibilis: ergo distinctio utriusque intellectus non est realis, sed virtualis, & penes munera. Confirmatur: Intellectus possibilis unicus & idem est, productivus speciei expressæ, & simul receptivus illius: ergo idem intellectus potest esse productivus, & receptivus speciei impressæ. Secundo. In actibus spiritualibus non est necessarium, quòd principium activum, & passivum distinguatur realiter; sed actus intelligenti, & tota linea intellectiva est spiritualis: ergo in ea intellectus agens, & possibilis non distinguuntur realiter. Tertio. Intellectus noster est quasi medius inter intellectum Angelicum, & sensum; sed intellectus Angelicus habet species concreatas, quæ dimanant ut passiones ab intellectu Angelico. Sensus autè illas habet ab objecto extrinseco: ergo intellectus noster medians, illas habebit per dimanationem dependentem ab objecto extrinseco, per sensum movente. Sed si species dimanat, & non fit per veram efficientiam, non petit principium activum realiter distinctum à passivo: ergo uterque intellectus non est realiter distinctus. Tandem

Item, Quia in anima separata non datur actio intellectus agentis: ergo si est potentia distincta erit otiosa, aut carens omni actu vitali.

Contraria sententiã est expressa in D. Thom. 1. p. q. 79. art. 10. ubi ait: *Intellectus agens, & passibilis sunt diversa potentia, sicut in omnibus est alia potentia passiva, alia activa.* Idem docet in 2. dist. 17. quæst. 2. art. 1. & est communis sententia Thomistarum. Eadem docent DD. Nostri cum B. Ægidio 3. de anim. à text. 17. & in 2. sententiarum dist. 24. part. 1. quæst. 2. art. 4. & alijs locis citatis à nostro Gavardi. Probat ratione. Intellectus agens est potentia activa specierum; intellectus possibilis est potentia purè passiva illarum; sed potentia activa specierum realiter differt à potentia purè passiva; aliòquin si non differrent, potentia passiva esset etiam activa, & sic non est purè passiva: ergo uterque intellectus est potentia realiter distincta. Major patet à paritate sensus; nam in genere sensitivo nulla est potentia receptiva specierum, quæ non sit purè passiva; unde si in sensibus datur vis activa specierum, ponitur sensus agens, sed realiter distinctus ab alijs sensibus passivè recipientibus (species sensibiles, ut patet ex dictis lib. 2. quæst. 8.)

Confirmatur. Operatio, quæ nullo modo est cognitio, non potest oriri à potètiã essentialiter cognoscitiva; sed productio speciei, quæ est actio intellectus agentis, nullo modo est

cognitio, ut dictum est, num. 6. ergo intellectus agens est potentia realiter distincta ab intellectu possibili, qui est potentia cognoscitiva. Patet consequentia, quia si essent idem, actio productiva speciei realiter proveniret à potentia cognoscitiva, nempe, ab intellectu possibili. Confirmatur secundo. Materia, quæ in genere physico est pura potentia passiva, realiter distinguitur à principio activo physico: ergo intellectus possibilis, qui pro priori ad receptionem specierum est pura potentia passiva in genere intelligibili, realiter distinguitur ab intellectu agente, qui in tali genere est principium activum. Tandem ex P. August. num. 5. allegato, intellectus agens est lux respectu oculi animæ, nempe, intellectus possibilis; sed in oculo corporeo lux illuminans, est realiter distincta ab oculo illuminato: ergo intellectus agens illuminans possibilem, est realiter distinctus ab intellectu possibili.

13. Ad fundamenta contraria respondemus, & ad primum nego antecedens; non enim sufficit distinctio virtualis, aut penes munera, ut eadem potentia sit simul activa, & passiva respectu ejusdem. Dictum est in Philosophia, quòd agens non potest agere in se ipsum, & sic necessariò debet dari realis distinctio agentis à patiente: ergo potentia activa realiter distinguitur à potentia passiva; Nec sufficit distinctio virtualis, aut penes munera. Cum ergo

ergo intellectus agens sit potentia activa specierum, & intellectus possibilis sit passiva, aut receptiva; sequitur, utramque potentiam realiter distingui.

Ad Confirmationem respondetur, quod intellectus possibilis solus, & ratione sui est potentia receptiva speciei expressæ; sed solus non efficit speciem, sed ut informatus specie impressa, & ratione illius. Hinc sequitur, quod falsum est antecedens confirmationis, nam non est idem intellectus activus, & passivus speciei expressæ, sed est inadæquatè realiter distinctus, ea distinctione, qua complexum ex intellectu, & specie impressa, distinguitur à sola parte complexi, nempe ab intellectu solo. Unde jam datur realis distinctio, licet inadæquata potentia activæ speciei à potentia passiva illius.

14. Huic solutioni non acquiescit Magister Palanco, & contra illam arguit primò. Nam etiam dici poterit, quod intellectus possibilis, qui solus recipit speciem impressam, non producit illam solus, sed simul cum phantasmate; & sic dabitur sufficiens distinctio principij activi, & passivi speciei impressæ. Secundò: nam implicat, quod idem principium adhuc inadæquatè, possit immediatè efficere terminum in se ipso, tamquam in passo. Tertio: Nam si intellectus possibilis ratione speciei impressæ efficit speciem expressam, etiam ratione speciei impressæ continebit adæquatè expressam; ergo non potest esse

in potentia passiva ad illam. Patet consequentia. Nam quomodo est in potentia passiva ad id, quod actu præcontinet & respectu cuius præsupponitur in actu?

Ob id aliter respondet, nempe, quod intellectus possibilis, est productivus speciei expressæ sub ratione imaginis intentionalis, sibi objectivè præsentis; & receptivus illius sub ratione communi accidentis. Quare intellectus non est productivus, & receptivus speciei sub eadem ratione, sed sub diversa, quod latè explicat, & suadere intendit. At hæc solutio, quæ recedit à communi doctrina, plenè deficit ex doctrina ejusdem Magistri. Nam distinctio principij activi, & passivi speciei expressæ, non est distinctio realis, sed purè virtualis, quatenus idem intellectus est activus, & passivus ejusdem speciei sub diversa ratione accidentis, & similitudinis intentionalis: Hæc diversitas objectiva est purè per rationem, quia utraque ratio realiter identificatur in specie expressa; At qui distinctio per rationem est minor distinctio, quàm distinctio realis inadæquata: ergo si ista non putatur sufficiens à Palanco, in consequenter recurrit ad diversas rationes formales pro distinctione principij activi, & passivi speciei expressæ. Omittimus alias difficultates, quas patitur solutio ista.

Standum est primæ solutioni, quæ datur communiter à DD. nostræ sententiæ. Nec urgent motiva objectæ in

in contrarium. Ad primum dic, quod phantasma est mera causa instrumentalis speciei impressæ in nostra sententia, in aliorum autem nullo modo est causa. Cum autem assignanda sit causa principalis speciei impressæ, si illam efficeret intellectus possibilis, jam causa principalis activa, & passiva esset eadem realiter, tam adæquatè, quàm in adæquatè. Nec concursus phantasmatis argueret distinctionem adæquatam causæ principalis, cum phantasma in nullius sententia concurrat principaliter, sed merè instrumentally. Relatè autem ad speciem expressam causa principalis non est solum intellectus possibilis, sed etiam species impressa; quare concursus speciei impressæ diversificat realiter inadæquatè causam principalem activam, & passivam speciei expressæ. Ad secundum, nego antecedens, cujus instantia est in omni actu vitali, qui recipitur in eadem potentia, à qua eformatur; unde eadem potentia est principium activum, & passivum actus vitalis, & sic eadem est agens, & patiens. Cæterum non eadem adæquatè, sed cum distinctione inadæquata reali, quatenus potentia sola recipit, sed non sola efficit, sed associata objecto efficit actum vitalem.

Ad tertium concedo, quod intellectus possibilis actuatus per speciem impressam continet adæquatè expressam, alioquin non posset illam producere; cum effectus non possit produci, nisi à causa in qua

adæquatè continetur: nego autem, quod non possit esse in potentia passiva ad illam. Instantia est in voluntate, quæ est potentia effectiva suorum actuum, & sic illos continet adæquatè, alioquin non possit illos efficere. Et cum illos etiam recipiat, est in potentia passiva ad actum, quæ continet. Quomodo autem sit in potentia passiva ad actum, quem continet, bene explicatur à Magistro Palanco tom. de Providentia, q. de constitutivo prædeterminationis. Continet ergo voluntas suos actus virtualiter adæquatè, antequam illos efficiat: sed semel effecti recipiuntur in voluntate, quæ est potentia passiva ad actus suos in esse formali, quos ante productionem continet in actu virtuali. Sic intellectus cum specie impressa, continet virtualiter adæquatè speciem expressam, & est in potentia passiva ad illam in esse formali. Quare Palanco hic arguens contra communem solutionem, sibi ipsi contrariatur.

15. Ad secundam conf. ex positio num. 12. dic, quod in actibus etiam spiritualibus principium activum, & passivum debent distingui saltem realiter inadæquatè. Pater de intellectu, qui solus recipit intellectionem, sed non solus efficit, sed cum objecto, quod est concausa intellectionis; nam ab objecto, & potentia paritur notitia. Similiter voluntas sola est receptiva volitionis, sed non sola efficit volitionem; quæ etià efficitur ab objecto in sententia P.

August. & B. Egidij: ergo quia in spiritualibus agens, & patiens perunt realem distinctionem, licet minorē, quā in corporalibus, ubi agens, & patiens distinguuntur realiter adæquatē, quando agens transeunter operatur. Ad 3. concessa majori, & minori, nego consequentiam. Intellectus noster medians inter Angelicum, & sensum, aliquid participat ab utroque medio, sed hoc non est, quod contendit arguens. Non enim species sunt passionēs intellectus nostri: ergo non dimanant ab intellectu nostro, sicut ab Angelico, cujus sunt passionēs.

Fiunt ergo species tam impressæ, quā expressæ in nostro intellectu per veram efficientiam: quarē debet dari verum principium activū speciei impressæ nostræ: tale autem non potest esse intellectus possibilis, ut probatum est: ergo debet esse intellectus agens distinctus à possibili: Participat ergo intellectus noster ab Angelico spiritualitatem, & in statu separationis intelligit etiam modo Angelico per species infusas, & sine dependentia à phantasmate. A sensu autem participat aliquale materialitatem, non formaliter, sed præsuppositivè, quatenus nihil intelligit, nisi quod fit in sensibus, & motus à phantasmate, & per conversionem ad phantasmata. Ad ultimum dic, quodd intellectus agens non est otiosus in anima separata, nam ibi deservit pro illuminatione intellectus possibilis, qui non potest intelli-

gere sine luce sui generis, ut ex Patre Augustino dictum est.

§. III.

Explicantur alia munera intellectus agentis.

1. **U**ltra producere speciem; quod est munus notissimū intellectus agentis, sunt alia munera minùs nota intellectus agentis, quæ hic explicanda sunt. Primum est, illuminare phantasmata; secundum est, efficere res actu intelligibiles; tertium est, abstrahere species à phantasmatis. Aliqui addunt quartum, nempe, illustrare prima principia. Et juxta doctrinam Augustinianam ponendum est quintum, nempe, illuminare potentiam intellectivam, quæ est oculus animæ. De solis tribus agit D. Thom. 2. contra G. cap. 77. ubi ait: inesse animæ vim activā in phantasmata, facientem ea intelligibilia in actu. Istam actionem vocant Thomistæ esse illuminationem phantasmatis. An autem tria munera prima sint tres actiones distinctæ, vel sola, & unica actio, dubium est, quod pendet ex explicatione horum munerum.

Caëtanus 1. p. quæst. 79. art. 3. & quæst. 85. art. 1. vult, intellectum agentem habere actionem quamdam circa phantasma, illuminando illud, non formaliter, sicut

illuminatur à luce, recipiēdo lucē; nam phantasma est materiale, & non potest recipere spiritualem lucem intellectus agentis. Illuminatur autem objectivè, quia ex assistentia extrinseca locis intellectus agentis aliquid apparet in phantasmate, quod non apparebat sine tali luce, nempe, quidditas rei materialis sine conditionibus individuāntibus. Consequenter ad istam expositionem patet secundum munus intellectus agentis, nempe, efficere res actu intelligibiles. Nam quādiū quidditas rei materialis est conjuncta in phantasmate cum conditionibus individuāntibus, tunc est intelligibilis in potentia; sic autem actu intelligibilis, quando denudatur ab illis conditionibus, & sic spiritualizatur. Hinc patet tertium munus. Nam denudatio speciei à phantasmatis individuāntibus, est quædam abtractio quidditatis à singularitate, & conditionibus individuāntibus. Quo patet, quodd intellectus agens unica actione illuminat phantasmata, reddit objectum actu intelligibile, & illud abstrahit à phantasmatis.

17. Pater Suarius lib. 4. de anim. cap. 2. num. 5. impugnat Caëtanī sententiam, nec oportet in præsentī expēdere illā, aut Suarij impugnationes. Satis erit in re difficili, & obscura dilucide explicare quid à nobis tenendum sit. In primis, quando dicitur, quodd intellectus agens abstrahit speciem à phā-

tasmatis; vel illam denudat ab eis, non est intelligendum, quodd species illa, quæ ab intellectu agente abstracta univèrsim intellectui possibili, sit illamet, quæ in phantasia erat immixta phantasmatis, & illis quasi vestita, à quibus postea dicitur denudata. Sic cogitare abstractionem, dicitur puerile à Suario. Et patet, quia species abstracta per intellectum agentem, & univèrsim intellectui possibili, est purè spiritualis: ergo ista species non fuit illa, quæ erat in phantasia, quia hæc est purè materialis. Nec in phantasia erat aliquid spirituale admixtum corporali, aut materiali; nā talis admixtio impossibilis est. Nec datur causa effectiva illius spiritualis admixti in specie phantasia; nā species illa causata fuit ab objecto materiali, & recepta per sensus externos intravit sensum communem, & inde pervenit usque ad phantasia: ergo cum objectum materiale non possit producere, nisi speciem adæquatè materiale, restat, quodd species in phantasia, est adæquatè materialis, & sic non habet spiritualitatem admixtam; quam possit intellectus agens deputare à materialitate.

Existente jam in phantasia specie objecti cum phantasmatis, aut conditionibus individuāntibus, inde quasi occasionaliter movetur intellectus agens ad producendam novam speciem spirituale, representantem objectum, quod

erat in phantasia. Hæc species nova repræsentat quidditatem objecti sine singularitate, & sine dependentia à loco, & tempore, quæ sunt conditiones individuales, quæ explicantur per *hic & nunc*. Iste conditiones individuales vocantur phantasmata, quia sunt quædam ornamenta, quibus contegitur in phantasia quidditas objecti ibi repræsentata. Ex quo colliges, quod idem objectum repræsentatur in specie intellectus agentis, & in specie phantasiæ; sed cū hoc discrimine, quod in specie phantasiæ repræsentatur quidditas cum sua singularitate, & cum suo *hic, & nunc*, item cum alijs sensibilibus individuantes, ut sunt color, magnitudo, forma, figura &c. Omnia hæc, præter quidditatem, vocantur phantasmata. In specie autem intellectus agentis repræsentatur sola quidditas objecti.

Ex hoc discrimine plura sequuntur. Primum est, quod species phantasiæ est adæquatè materialis, tum, quia causatur ab objecto adæquatè materiali, & per sensus recipitur adæquatè materiales. Tum, quia repræsentat objectum eum omnibus conditionibus materialibus, qualiter per sensus cognitum est; sed per sensus cognitum est objectum specie adæquatè materiali: ergo in phantasia species illa est adæquatè materialis. E contra. Species intellectus agentis fit à potentia spiritali adæquatè: ergo est species adæquatè spiritalis. Rursus: spe-

cies illa, licet repræsentet quidditatem materialem, non repræsentat materialiter, sed spiritaliter: ergo est adæquatè spiritalis. Hinc sequitur, quod species phantasiæ directè repræsentat singularitatem objecti, indirectè autem ejus quidditatem: contra species intellectus agentis directè repræsentat quidditatem, & indirectè singularitatem. Tandem: species phantasiæ indirectè repræsentans quidditatem, id habet, quatenus movet intellectum agentem, & illi deservit instrumentaliter ad efficiendam speciem spiritalis, repræsentativam quidditatis. Hęc species directæ quidditatis indirectè repræsentat singularitatem, quatenus movet intellectum, ut convertatur ad phantasmata, & sic videat singularitatem, & alias conditiones individuantes.

18. Ex hac doctrina facile explicatur munera intellectus agentis. Primum munus, nempe, illuminare phantasmata, hoc nihil aliud est, quam producere speciem spiritalis repræsentantem quidditatem objecti, quæ erat in phantasia. Patet hoc, quia lux spiritalis nihil aliud est in objecto, quam cognoscibilitas illius; sicut lux corporalis in objecto visibili, nihil aliud est, quam visibilitas proxima, qua objectum redditur actu visibile; sed objectum actu redditur intelligibile proximè, quando repræsentatur per speciem spiritalis, & sine materialibus, ob-

curantur

curantibus ejus intelligibilitatem: ergo intellectus agens non aliter illuminat phantasmata, quam producendo speciem repræsentantem immaterialiter quidditatem objecti phantasiati. Si dicas, hoc non est illuminare phantasmata, sed objectum, quod erat in phantasmate. Respondeo, revera sic esse; dicitur tamen phantasmata illuminari, quia quod præcipue est in phantasia non est objectum, sed phantasmata; quare dum intellectus agens illuminat phantasiatum, dicitur illuminare phantasmata. Dicitur etiam illuminare phantasmata, quatenus ea elevat ad productionem speciei spiritalis, de qua questione sequenti.

Secundum munus, nempe, reddere res actu intelligibiles, nihil est aliud, quam producere speciem spiritalis rerum. Patet hoc, nam res non potest actu intelligi, nisi per speciem spiritalis unitam potentie cognoscitivæ, quæ spiritalis est: ergo dum actu producitur species spiritalis, fit res actu intelligibilis. Hinc phantasia erat res intelligibilis in potentia, quia per phantasiam disponitur objectum, ut de ipso formetur species ab intellectu agente, qui solum potest illam formare de objectis phantasiatis. Per actualem productionem hujus speciei transit objectum de intelligibili in potentia ad esse intelligibile actu.

Tertium munus intellectus

agentis, nempe, abstrahere species à phantasmatis, est producere speciem spiritalis objecti phantasiati. Patet hoc ex dictis, nam hæc abstractio non est denudatio speciei phantasiatæ; quia cum illa sit adæquatè materialis, si denudetur à materialitate, nihil remanet: ergo est productio nova speciei spiritalis, quæ, quoniam repræsentat quidditatem solam, & sine ulla materialitate, dicitur abstrahere à phantasmatis materialibus.

Quartum munus, quod est illuminare prima principia, consistit in illuminatione terminorum, quibus constant prima principia. Patet hoc, quia prima principia sunt primæ veritates innegabiles, quæ, si forsitan ab aliquo negantur, non aliter comprobantur, quam explicando terminos. Sic teste B. Egidio, quidam negavit, quod totum sit majus sua parte: nec potuit sic negare, nisi ignorando quid sit totum, quid pars. Quare non aliter comprobatur hoc principium, quam explicando terminos illius: ergo non aliter potest intellectus agens illuminare hoc, & alia principia, quam illuminando terminos illorum.

Ultimum munus intellectus agentis, nempe, illuminare potentiam cognoscitivam, quæ est oculus animæ, consistit, non in sola productione speciei, sed in unione illius cum intellectu possibili. Pro-

batur. Nam intellectus agens, illu-

310
 illuminans possibilem, aliquid agit in
 illam, & aliqua actione operatur;
 sed intellectus agens nihil agit in
 intellectum possibilem, nisi specie
 impressam objecti, & unionem ejus
 cum potentia. Rursus: non habet
 intellectus agens aliam actionem res-
 pecta intellectus possibilis, quam
 productivam speciei, & unitivam
 ejus cum intellectu possibili: ergo
 non aliter illuminat, quam pro-

ducendo speciem, & uniendo
 illam cum intellectu possibili. Obier-
 va, quod intellectus agens produ-
 cit speciem impressam actione edu-
 ctiva; sed educio est productio
 formæ de potentia passiva sub-
 jecti: ergo intellectus agens pro-
 ducit speciem impressam, il-
 lam educendo de potentia
 passiva intellectus
 possibilis.



QUESTIO QUINTA.

An phantasmata concurrant effective ad productionem
 speciei impressæ?

§. Primus.

Quibusdam notatis proponitur sententia negans.

PHantasmata de quibus in
 antecedentibus dictum est, &
 præses est questio, nihil aliud
 sunt, quam materialis similitudo
 rei corporalis. Cum ergo cognitio
 nostra incipiat à sensibus, quia ni-
 hil cognoscimus, nisi prius per sen-
 sus perceptum sit, & etiam spiri-
 tualia, quæ per sensus percipi non
 possunt, percipimus adinstar re-
 rum corporaliū; nihil cognosci-

mus nisi dependenter à phantasma-
 tibus, quia nihil intelligimus, nisi
 dependenter à materiali similitudi-
 ne rerum corporaliū. Hanc de-
 pendentiam cognitionis nostræ à
 phantasmatibus, & etiam phantaf-
 matam quidditatem explicuit P.
 August. lib. 6. de magis cap. 11.
 ubi habet sequentia.

Arbitror tamen, quod si num-
 quam humana corpora vidissem, nullo
 modo

modo ea possem visibili specie cogi-
 tando figurare. Quod autem ex eo,
 quod vidi, facio, memoria facio, &
 tamen aliud est in memoria invenire
 phantasia; aliud de memoria facere
 phantasma: quæ omnia vis anime
 potest. Sed verè etiam phantasmata
 habere pro cognitis, summus error est.
 Nempe, quia phantasma est imago
 objecti; imago autem non est ip-
 sum objectum, & sic non est res
 cognita, sed medium in quo cog-
 noscitur. Quare errat, qui non
 distinguit imaginem illam ab obje-
 cto cognito.

Prosequitur S. P. Patrem de-
 nique me habuisse, & avum, non temere
 possum dicere. ipsos autem esse, quos
 animus meus in phantasia, vel in
 phantasmate tenet, dementissime di-
 xerim. Sequuntur autem nonnulli
 phantasmata sua, tam præcipites, ut
 nulla sit alia materies omnium falsa-
 rum opinionum, quam habere phan-
 tasia; vel phantasmata pro cognitis,
 quæ cognoscuntur per sensum. Videatur
 lib. 8. de Trin. cap. 6. ubi
 docet, quomodo imaginamur villa,
 & ex visis non villa, ut ea intelli-
 gamus. Quod prosequitur lib. 9.
 cap. 6.

2. Dependentia nostri in-
 tellectus à phantasmate, ita ut nihil
 possimus intelligere sine tali de-
 pendentia, traditur à B. Egídio.
 lib. 3. de anim. tex. 30. §. dubi-
 taret forte. Et probatur ab ipso
 duplici ratione. Primò, quia obje-
 ctum intellectus, quod est univer-

sale, non reperitur in natura, nisi
 conjunctum cum singulari; sed in
 intellectus ut quærat universale con-
 junctum cum singulari, debet
 converti ad phantasia, ubi re-
 peritur species objecti cum singula-
 ritate, & alijs conditionibus mate-
 rialibus, representantibus obje-
 ctum, ut est in re extra: ergo
 ut intellectus intelligat, dependet
 à phantasmatibus. Secundò. Nam
 postquam intellectus acquisivit
 speciem objecti cogniti, & eam
 conservat in memoria, non sem-
 per est in actu cognoscendi, quare
 non semper habet scientiam actua-
 lem de objecto, sed habitualem:
 ergo ut fiat actu cognoscens obje-
 ctum debet excitari, & moveri ab
 aliquo principio; sed hoc non est
 species objecti cogniti, quæ erat in
 memoria, nam cum illa intelle-
 ctus habebat solum scientiam ha-
 bitualem: ergo restat, quod spe-
 cies illa excitetur à phantasmate,
 à quo, etiam intellectus move-
 tur, ut fiat in actu secundo intel-
 ligens.

3. Eandem doctrinam do-
 cent reliqui Philosophi cum D.
 Thoma, de cujus mente sic proba-
 tur. Intellectus agens non potest se-
 solo producere speciem intelli-
 gibilem; sed præter intellectum non
 est aliud, quod concurrat, nisi
 phantasma: ergo sicut intellectus
 non potest intelligere sine specie,
 sic ut intelligat dependet à phan-
 tasmate. Major probatur. Intelle-

Aus agens se solo nullius objecti continet similitudinem: ergo se solo non potest illam producere; & sic nec speciem, quæ est similitudo objecti. Minor autem probatur. Quidquid, præter intellectum agentem desideratur, est illud solum, quod sit representatio objecti, ut sic possit formari similitudo intelligibilis objecti; sed phantasma est similitudo materialis objecti, quæ per sensus recepta est, & ad eam instar intellectus agens format similitudinem intelligibilem: ergo præter intellectum agentem nihil est, quod concurrat, nisi solum phantasma.

Si dicas, intellectum agentem habere in se ipso similitudinem generalem omnium rerum, quare se solo, & sine dependètia à phantasmate potest producere quamcumque speciem intelligibilem. Contra est. Nam ut diximus quæst. 4. num. 2. anima nostra solum habet similitudinem genericam, aut analogam cum rebus cognitis, non tamen ratione sui habet similitudinem specificam: ergo etiam intellectus agens ratione sui, solum habet similitudinem analogam; sed ex primo probatum est cum D. Thoma animam indigere specièbus superadditis ad cognoscenda objecta secundum essentias specificas: ergo ex secundo probatur, quod intellectus agens indiget aliquo superaddito, ut producat speciem intelligibilem, re-

presentativam objecti quoad sua specifica prædicata. Hoc additum est solum phantasma, nempe, imago materialis objecti representans ejus quidditatem cum singularitate & conditionibus individuans.

4. Supposito concursu phantasmatis cum intellectu agente ad productionem speciei intelligibilis, dubium est, quomodo concurrat. Plures RR. cum P. Suariorum negant, phantasmata concurrere efficienter, vnicè concedentes, concurrere objective, quasi ministrando materiam intellectui agenti, ut producat se solo speciem intelligibilem, vel ipsum determinando, ut producat potius speciem hujus objecti, quam alterius: Hæc sententia quoad 1. partem probatur ex P. August. lib. 12. de Genesi ad litt. cap. 16. ubi ait: *Non est putandum aliquid agere corpus in spiritum, tamquam spiritus corpori facienti materiam vice subdatur, omni enim modo præstantior est, qui facit, ea re de qua aliquid facit.* Sed phantasma est quid materiale, & corporeum; intellectus autem possibilis, in quo fit species intelligibilis, est quid spirituale: ergo phantasma non potest efficienter producere speciem in intellectu possibili. Præterea: Theologi, dum disputant de poenis damnatorum, laborant in explicando, quomodo ignis corporeus potest agere in Demones, & spiritus damnatos, ut instru-

strumentum Dei: ergo gratis fingitur, quod phantasma corporeum possit agere in anima spirituali speciem intelligibilem, adhuc instrumentaliter.

Probatum ratione. Phantasma nequit concurrere ad productionem speciei intelligibilis propria virtute, nec virtute derivata ab intellectu agente: ergo nullo modo. Antecedens quoad primam partem patet, nam agens propria virtute est causa principalis; nihil corporeum potest esse causa principalis effectus spiritualis, ut patet. Quoad secundam probatur. Virtus illa derivata ab intellectu agente in phantasma, vel est spiritualis, vel corporea. Non corporea, quia restat difficultas, quomodo per virtutem corpoream possit produci effectus spiritualis. Non etiam spiritualis, nam hæc non potest recipi in subjecto corporeo; sed si non recipitur intrinsecè virtus illa in phantasmate corporeo, manebit phantasma intrinsecè sicut antea; & sic manebit intrinsecè impotens producere speciem spiritualem: ergo phantasma nec propria virtute, nec derivata ab intellectu agente potest concurrere efficienter ad productionem speciei intelligibilis.

5. Confirmatur. Si phantasma concurrat ad productionem speciei, phantasia, aut sensus internus medio phantasmate etiam concurrat; sed sensus internus medio

phantasmate non potest concurrere ad productionem speciei: ergo nec phantasma. Major patet ex D. Thom. 1. part. quæst. 85. art. 1. ad 3. ubi dicit, phantasma virtute intellectus agentis imprimere speciem intellectu possibili. Minor probatur. Sensus internus nequit concurrere vitaliter, nec non vitaliter: ergo nullo modo potest concurrere. Antecedens quoad 2. part. patet, nam potentia vitalis concurrens media sua operatione vitali, concurrat vitaliter, & sic nequit concurrere non vitaliter, sed sensus internus concurrens medio phantasmate, est potentia vitalis concurrens media sua operatione vitali: ergo nequit concurrere non vitaliter. Quoad primam probatur antecedens. Concursus instrumenti, non est vitalis, quia instrumentum agit, ut motum, & non se movet, vivens autem est se movens; sed sensus internus, si concurrat, est instrumentaliter, & ut instrumentum intellectus agentis: ergo non vitaliter.

Confirmatur secundo Operatio phantasmatis in speciem intelligibilem, nec est immanens, nec transiens: ergo nullo modo efficienter operatur. Antecedens quoad secundam part. patet, nam operatio phantasmatis est vitalis; nulla autem operatio vitalis est transiens. Quoad secundam partem probatur. Actio, quæ ex se ordinatur ad producendam terminum in subje-

cto extraneo, non est immanens, sed transiens; sed actio phantasmatis, si producit speciem, ex se ordinatur ad illam producendam in subiecto extraneo, nempe, in intellectu possibili, qui est potentia realiter distincta ab omni seu su interno: ergo non est actio immanens.

Tertio. Si phantasma concurreret efficienter ad productionem speciei, concurreret, ut similitudo specifica obiecti, & sic concurreret, assimilando sibi speciem intelligibilem; sed non potest sic concurrere assimilando: ergo non concurrat efficienter. Probat minor. Causa instrumentalis, non assimilat sibi effectum, sed causae principali, cui subordinatur; sed phantasma est causa instrumentalis sub ordinata intellectui agenti, qui est causa principalis productiva speciei: ergo &c.

6. Jam verò, quod phantasma concurrat, & qualiter concurrat, probatur à Suariorum lib. 4. de anim. cap. 2. Et primò quod concurrat. Nam intellectus agens nunquam efficit speciem, nisi prius determinetur à cognitione phantasmatis: ergo nunquam efficit speciem sine concursu phantasmatis. Antecedens probatur. Intellectus agens est indifferens ad formandas varias species: ergo ut efficiat has, vel illas, indiget aliquo determinante; sed non datur aliud, nisi cognitio sensitiva: ergo &c.

Quod autem hæc determinatio, non sit per influxum aliquem phantasmatis in speciem, supra probatum est: ergo est concursus obiectivus, & materialis, per quem phantasmata præbent materiam, & quasi exemplar intellectui agenti, ut vi ejus producat speciem intelligibilem, quæ sit similitudo spirituales obiecti phantasiati.

Hoc probat ex D. Thom. 1. p. quæst. 84. art. 6. ubi ait: *Non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis, & perfecta causa intellectualis cognitionis, sed magis quodammodo est materia causæ.* Accedit ratio, nam phantasma concurrat cum intellectu agente, ut probatum est; sed non concurrat efficienter, nec formaliter, aut finaliter: ergo concurrat materialiter, præbendo materiam, aut exemplar &c. Rursus. Eo modo se habet phantasia ad cognitionem, sicut cognitio se habet ad appetitum, quem præcedit; sed appetitus est totalis causa sui actus, nec pendet à cognitione, nisi materialiter, & præsuppositivè: ergo intellectus unice pendet à phantasmate præsuppositivè, & materialiter.

§. II.

Præfertur sententia affirmans, phantasmata concurrere efficienter instrumentaliter.

7. **H**ÆC Conclusio est communis inter Thomistas,

tas, & expressa in Div. Thom. quodlibet. 8. art. 3. ubi ait: *In productione specierum intelligibilium intellectus agens concurrat principaliter, phantasma vero concurret instrumentaliter.* Sic etiam habetur 1. p. quæst. 84. art. 6. ad 1. & 2. contra G. cap. 77. & de verit. & alibi sæpè, ubi vocat phantasma instrumentum productionis speciei. Eandem sententiam docent nostri DD. cum Beat. Ægidio quodlib. 3. quæst. 14. in corp. ubi dicit, *Quod phantasma non potest immediate causare intellectionem in intellectu, sed prius causat ibi speciem intelligibilem, & mediante hac speciei causat intelligere seu actum intelligendi.* Eandem sententiã probare possumus ex P. Aug. varijs locis, de quibus infra, dū sermo sit de speciebus.

Probat ratione. Phantasma, vel obiectum in phantasmate concurrat effectivè ad productionem speciei intelligibilis; sed non concurrat principaliter: ergo instrumentaliter. Minor patet, quia causa principalis concurrat virtute propria, continet effectum, & illum æquat in perfectione; sed phantasma, cum sit materiale, nequit habere virtutem propriam ad effectum spirituales, nec continere, aut æquare perfectionem effectus spiritualis, qualis est species intelligibilis: ergo nequit concurrere efficienter principaliter, sed merè instrumentaliter.

Major principaliter probatur

contra Suarium; & alios. Obiectum verè effectivè concurrat ad cognitionem sui, ut cum P. August. infra probabitur: ergo verè concurrat effectivè in phantasmate ad productionem speciei intelligibilis. Probat consequentia. Non aliter concurrat obiectum effectivè ad cognitionem, nisi quatenus mediatè, vel immediatè concurrat ad speciem, qua sit cognitio: ergo si obiectum efficienter concurrat ad intellectionem, efficienter concurrat ad efficiendam speciem.

Hæc ratio fundatur in doctrina P. August. & B. Ægidij, nam fundatur in hoc syllogismo: Obiectum concurrat effectivè ad intellectionem; sed non concurrat immediatè, sed quatenus concurrat effectivè ad speciem intelligibilem, & media specie influit in cognitionem: ergo cum obiectum solum concurrat ad speciem medio phantasmate, phantasma efficietè concurret ad speciem. Major est P. Aug. dicentis, 10. de Trinit. *Quod ab obiecto, & potentia paritur novum.* Hoc assertum explicat Theologi communiter de concursu effectivo. Minor expressè habetur in verbis allegatis B. Ægidij.

Confirmatur. Species expressa non producit effectivè à solo intellectu possibili, sed etiam ab obiecto representato in specie impressa: ergo species impressa non producit à solo intellectu agente, sed etiam ab ipso obiecto intentionaliter præsentate. Patet consequentia

quentia. Tum à paritate, tum etiam, quia sicut intellectus possibilis non potest exprimere similitudinem objecti, nisi habeat in se similitudinem mediatae specie impressa; ita intellectus agens non potest producere speciem impressam, quae est similitudo objecti, nisi habeat in se etiam similitudinem objecti. Illam autem non habet intellectus agens, nisi existentem in phantasia, quia ut dictum est, num. 2. Intellectus agens non habet, nisi similitudinem analogam rerum cognoscibilium, quare ut habeat similitudinem specificam, oportet, quod illi uniatur aliqua imago objecti. Sed ante productionem speciei impressae nulla datur imago objecti, nisi illa, quae existit in phantasia, & vocatur phantasma: ergo species impressa producitur non à solo intellectu, sed etiam ab objecto existente in phantasmate. Paritas utriusque speciei unicum habet discrimen, nempe, quod species expressa producitur ab intellectu, & objecto, ut à concavis principalibus, secus species impressa. Discrimen nascitur, ex quo phantasma materiale, in quo existit objectum, non potest concurrere principaliter ad productionem effectus spiritualis.

8. Jam vero, quod phantasma non possit concurrere aliter, probatur. Nam primo non concurrat, ut materia ex qua. Materia ex qua forma educitur, est subiectum,

in quo formaeducta recipitur; sed species intelligibilis non recipitur in phantasmate, sed in intellectu possibili: ergo phantasma non est materia ex qua, respectu speciei intelligibilis.

Nec etiam ex materia circa quam, aut exemplar. Nam exemplar solum concurrat, ut cognitum, quando concurrat ut exemplar ad aliquem effectum; sed intellectus agens dum format speciem, nihil cognoscit, siquidem potius format speciem, ut cognoscat: ergo intellectus non utitur phantasmate, ut exemplari, & sic non est exemplar.

Nec contra hoc urgent fundamenta posita num. 4. Ad auctoritatem P. Augusti, dic, non esse contra nos, nam ibi negat corpori, quod sit causa principalis agens in spiritum, item quod spiritus sit causa materialis subiecta corpori agenti. Neutrum docet nostra sententia, quae solum ponit phantasma materiale instrumentaliter concurrere; nec potentia intellectiva est causa materialis respectu phantasmatis, sed respectu speciei intelligibilis, quam recipit, & respectu intellectus agentis, qui illam causat principaliter. Et licet causetur etiam à phantasmate, hoc non est virtute propria, sed virtute intellectus agentis, qui spiritualis est. Ad aliud de igne torquente spiritus, difficultas Theologorum non est de concursu instrumentalium ignis, sed de principali: nam causa principalis

principalis torquens, non est Deus, qui per se ipsum immediatè non torquet creaturam, sicut, nec iudex humanus immediatè torquet reum, sed medio carnifice. Sicut enim carnifex est instrumentum iudicis, & iustitiae vindicativae, sed est causa principalis torturae, & poenae; ita ignis est instrumentum iustitiae Divinae, sed principalis causa torturae, & combustionis. Ob id laborant Theologi, ut explicent, quomodo ignis corporeus sit causa principalis, agens in spiritum. Nostra sententia non dat phantasmatei corporeo concursum causae principalis.

9. Ad primam rationem nego antecedens quoad secundam partem cum D. Thom. 1. p. quaest. 85. art. 1. ad 1. ubi docet; phantasma concurrere virtute intellectus agentis. Ad probationem in contrariam dic, virtutem illam derivatam ab intellecta agente, esse spirituale, sed in completam, & per modum transeuntis communicatam phantasmatei corporeo. Nec inconvenit, virtutem spiritualemente communicati subiecto materiali transeunter praesertim quia anima rationalis, quae spiritualis est, corpori communicatur permanenter: ergo facilius virtus illa transeunter. Haec dicta sunt juxta sententiam docentem, instrumenta elevari transitivè. Si tamen teneas nostram sententiam, propugnata 2. Physicor. quaest. 11. §. 2. de elevatione intransiti-

va, tunc non est necessaria aliqua virtus spiritualis, aut corporalis pro elevatione phantasmatis, sed intransitivè elevatur per puram subordinationem causae principalis, nempe intellectui agenti.

Ad primam confirmationem dic, quod sensus internus concurrat ad productionem speciei concursu praesuppositivè vitali, sed non formaliter vitaliter. Sicut enim Sacerdos consecrans profert verba vitaliter, sed prolatio ista in se vitalis, non est vitalis, quatenus instrumentum Dei ad conversionem panis, & vini in corpus Christi; ita actio sensus interni, producens phantasma, est formaliter vitalis; ceterum quatenus deservit intellectui agenti pro productione speciei intelligibilis, sic non est vitalis, quia ad illam sic non se movet sensus internus, sed movetur ab intellectu agente.

Ad secundam confirmationem dic, operationem phantasmatis in speciem intelligibilem esse immanentem, si comparetur respectu totius suppositi. Si tamen comparetur praesertim cum phantasia, sic est transiens, quia producit terminum in subiecto extraneo. Hoc modo motus localis, quo una pars corporis movetur ab alia, est immanens respectu totius suppositi, sed transiens respectu partis moventis, quia imprimat motum in parte mota, realiter distincta à movente. Vel dic, non esse contra rationem ac-

tionis immanentis, & vitalis, producere terminam in subiecto extraneo: nam generatio est actio immanens, & vitalis, cum tamen producat terminum in subiecto extraneo, nempe, formam substantialem in genito.

Ad tertiam dic, phantasma concurrere assimilando speciem intelligibilem intellectui agenti, non ipsi nudè sumpto, quia sic est causa æquivoca potens producere diversissimas species, cum quibus secundum se solùm habet similitudinem analogam. Assimilat ergo speciem intellectui agenti, ut determinato per similitudinem specificam materialem objecti, que est in phantasmate. Quare phantasma dupliciter concurret, primò formaliter extrinsecè, determinando indifferentiam intellectus agentis, ut dictum est num. 3. & 6. Rursus: deserviendo intellectui agenti instrumentaliter ad productionem speciei intelligibilis. Dum sic concurret, assimilat speciem intellectui agenti, ut determinato per phantasma, & ut continenti similitudinem specificam objecti cognoscibilis, jam phantasmati.

§. III.

Explicatur, quare intellectus in omni operatione sua pendet à phantasia?

10. **N**ON est dubium, an intellectus pendeat à phā-

tasia, & sensibus in acquisitione specierum, id enim satis constat ex antecedentibus. Dubium est de dependentia intellectus à phantasia, & sensibus in usu specierum, jam acquiritarum. In hac re Albertus 3. de anim. & aliqui antiqui citati à Suariorio. 4. de anima cap. 7. docent, intellectum pendere à phantasia in communibus operationibus, sed non in operatione abstractissima, qua cognoscimus Deum, & Angelos. Sanct. Bonaventura asseruit, in altissima contemplatione posse intellectum abstracti ab omnibus sensibus, etiā interioribus, & sine ulla imagine Deum contemplari. Alij dixerunt, intellectum in cognitione sui, & suarum specierum, non pendere à phantasia. Noster Venetus 3. de anima tex 33. docet, intellectum pendere à phantasia, quando operatur per species elicitas à phantasmatibus, sed non quando operatur per species, quas ipse sibi formavit.

Cōmunis sententia docet oppositū cū Arist. asserente, intellectū nihil cognoscere sine conversione ad phantasmata. Ita Thomistæ cum Div. Thom. 1. p. quæst. 84. art 7. & 1. contra G. cap. 65. Scotistæ cū Subtili Doct. in 4. dist. 45. quæst. 2. omnes nostri cum B. Agid. 3. de anim. tex. 38. Et est expressa sententia P. August. lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 7. ubi dicit, quòd quando numerū cognoscimus, aliud

corporeus sensus, aliud ratio attingit.

Hæc sententia habetur expressè in Arist. 3. de anim. tex. 39. dicente: *Qui contemplatur, necesse est, unà cum phantasmate contemplatur.* Accedit experientia duplex. Prima, quia læsa phantasia læditur rationis usus; & impedita somno, impeditur etiam intellectus: ergo hic habet manifestam dependentiā à phantasia. Secunda, quando aliquid perfectè intelligere conamur, sensibilem imaginem illius intranos formamus: Etiam quando alteram docere intendimus, sensibilia exempla quærimus, quæ materia phantasiæ suppeditantes, à qua intellectus in docendo pendet. Vtraque experientia cōvincit à posteriori dependentiā intellectus à phantasmate in omni sua operatione.

11. Difficultas est in assignanda ratione à prio i. Scorus loco laudato, impugnata ratione D. Thomæ, alias inventit. Prima est, istam dependentiam, datā esse in pœnā peccati originalis. Supponit enim, eam dependentiam non esse naturalem, sed ex peccato descendere. At hæc suppositio est falsa, quia etiam in statu innocentie intellectus nosset eandem habere dependentiam; est enim illa intellectui connaturalis, & sic conveniēs in omni statu: ergo ex peccato nō descendit.

Secunda ratio Scoti est, huiusmodi dependentiam nasci ex sub-

ordinatione potentiarum animæ, ratione cujus una operante, aliæ operentur, quæ natæ sunt idem objectum attingere. At ista ratio est petitio principij, nam causam quærimus hujus connexionis, & ordinis potentiarū. Rursus. Ex hac ratione unicè habetur, intellectum operantem excitare phantasia, ut cum ipso simul operetur: At non habetur, quòd in omni operatione pendeat intellectus à phantasia, ut experimur; nec redditur ratio, cur læsio unius redundet in alterum.

12. Suarius ubi supra reddit rationem hujus dependentie dicens, provenire ex imperfectione status presentis vite, in quo intellectus non intelligit nisi per species receptas à sensibus; insuper, quia ambæ potentie in eadem anima radicatur, sibi que idèò mutuo deserviunt, aut impediunt. Quare dum phantasia læditur, & insanit, secum tradit intellectum, & animæ attentionem, & sic impeditur usus rationis. Econtra, quòd melius imaginativa apprehendit, eò meliores species impinguntur intellectui.

Hæc ratio quoad primam partem non est ad rem, quia quæstio est de dependentia intellectus in usu specierum, jam acquiritarum, sed pro tali dependentia nihil facit, quòd intellectus pendeat à phantasia, & sensibus in acquisitione specierum: ergo hoc est præter rem. Alterum, si nihil superaddi-

tur, est insufficientis; nam visus, & auditus in eadem anima radicatur: & tamen inde non sequitur, quod vidente visu, auris audiat. Præterea, quod imaginatio, & intellectus in eadem anima radicentur, probaret mutuam dependentiam: ergo sicut intellectus non potest intelligere sine operatione phantasmatis, ita phantasia non posset formare phantasma sine operatione, & concursu intellectus, quod est manifestè falsum.

13. Ratio D. Thomæ habetur 1. p. quæst. 84. art. 7. & q. 89. art. 1. & consistit in eo, quod objectum intellectus nostri est quidditas rei materialis; hæc non potest cognosci ab intellectu nostro secundum modum, quem habet in singularibus, nisi adjuvetur à sensibus: quare ad perfectam cognitionem rei materialis petit concursum potentiæ sensitivæ. Hæc ratio formatur sic. Objectum intellectus nostri pro hoc statu est quidditas rei materialis, ut abstracta ab hoc, vel illo individuo; sed hæc quidditas non plenè habetur ab intellectu, nisi occurrat phantasma huius, vel illius individui, à quo fuit abstracta: ergo, nisi occurrat phantasma, non potest intellectus quiddam perfectè cognoscere. Pater consequentia, quia non potest intellectus perfectè cognoscere, nisi habeat completè suum objectum intelligibile.

Si dicas, quod hæc ratio

nitur principio falso apud plures; quia fundatur in eo, quod intellectus non percipit directè singularia. Præterea, hoc omisso, ex hac ratione solum probatur, quod intellectus sine phantasmate non possit cognoscere singularitatè, non tamen probatur necessitas phantasmatis pro cognitione naturæ in abstracto: ergo non probatur dependentia à phantasmate in omni cognitione,

Respondemus, illam sententiam D. Thomæ, postea esse probandam, & ostendendam, quod intellectus non cognoscit directè singularia. Sed eo prætermisso adhuc est necessariò phantasma ad cognitionem naturæ in abstracto. Ratio est, quia pro tali cognitione necessaria est species, ita representans naturam abstractam à tali individuo, ut possit intellectus, si velit cognoscere illud, à quo fuit natura abstracta, & cujus materialitè, & singularitatem semper connotat natura abstracta; sed pro hoc est necessarius concursus phantasmatis, ubi habetur materialitas, & singularitas individui, à quo fuit natura abstracta: ergo pro omni cognitione etiam naturæ in abstracto, est necessarius concursus phantasmatis.

14. DD. citati num. 10. contra communem sententiam, fundatur primò, quia intellectus jam constitutus in actu per species est potentia perfectior, quàm phantasia

fi; insuper habet ex se virtutem, & lumen sufficiens ad operationè: ergo sic constituta non dependet à phantasia. Et confirmatur ex Arist. 3. de anim. tex. 8. ubi dicit, intellectum jam acquisita scientia, posse operari, cum vult, nec indigere extrinseco motivo: ergo licet in acquisitione specierum pendat à sensibus, non pendet in usu illarum.

Secundò. Intellectus sæpè, intelligit ea, quorum phantasia nullas habet similitudines, v. g. rationem communem rerum spiritualium: ergo saltem in ea operatione non pendet phantasia. Tertiò, quia aliàs impediretur intellectus à sua operatione, ligatis externis sensibus, quod esse falsum patet in viris contemplativis, qui in ecstasim rapti, perfectè contemplantur, ligatis sensibus externis. Sequela probatur, quia ligatis sensibus externis, ligatur phantasia; immò, nisi ligetur phantasia, quæ est principium omnis sensationis exterioris, non ligantur sensus externi.

Tandem: intellectus dormientis aptior est ad recipiendas impressiones specierum à substantijs separatis, etiam ad percipiendas revelationes Divinas, ut docet D. Thom. 2. contra G. cap. 81. Et traditur à Sacra Scriptura docente, revelationes fuisse factas Prophetis, & S. Ioseph in somnis: at in somnis est ligata phantasia;

ergo sine phantasmate potest intellectus noster intelligere.

15. Ad primum respondetur, intellectum in actu primo constitutum per species, non indigere motore extrinseco ad operandum; cæterum propter conjunctionem cum corpore, & propter completam noticiam sui objecti, indigere concomitantia corporeæ potentiæ, nempe materialis phantasiæ. Per hoc patet ad confirmationè ex Arist. totele. Ad secundum dic, quod quando intellectus versatur circa spiritualia, etiam imaginatio laborat circa ea, Quod insinuavit S. Dionysius cap. 7. de Divin. nominib. & de Cælesti Hierarchia. cap. 10. ubi ait: *Impossibile est nobis superlucere Divinum radium, nisi varietate sacrarum velaminum circumvolutum.* Undè semper intelligit, aut quæ formaliter repræsentantur in phantasmate, aut quæ ex illo aequaliter deduci possunt. Ob id intelligentibus Divina, concurrat imaginatio, typos, & figuras opponens.

Ad tertium dic, quod si sensus externi, simul & interni impediuntur à sua operatione, etiam impeditur intellectus, ut contingit in dormientibus. Si tamen impediuntur sensus externi non propter impedimentum imaginativæ, sed ob vehementem attentionem illius ad rem disparatam, tunc intellectus non impeditur. Ita contingit in ecstasi.

Ad ultimum dic, intellectum in

in somno esse aptiorem ad accipiendas species à Deo; tùm propter quietem majorem; tùm nè illa impressio specierum referatur ad ea, quæ exterius sentiuntur, vel proprio discursui tribuatur, ut docet Divus Thom. secunda secunde quæst. 173. art. 3. & de verit. quæst. 12. art. 3. ad 1. Est tamen intellectus in somno minus aptus ad ferendum judicium

de rebus revelatis, quia inter dormiendum non habemus de lege ordinaria liberum usum rationis, ut notavit D. Thom. prim. part. quæst. 84. art. 3. ad secundum. In his casibus, Deo suppleto concursu phantasiæ, intellectus intelligit modo Angelico per species infusas, durante somno, & phantasiæ ligamine.



QUÆSTIO VI.

Quid sit intellectus possibilis, quid intellectio, quid ejus objectum?

§. PRIMVS.

Deciditur, an sit intellectus pura potentia taliter, ut non concurrat activè ad intellectionem.

I. **A**CTVRI de intellectu possibili, qui absolutè vocatur intellectus, & est prima, ac præcipua potentia animæ rationalis, notanda sunt quæ diximus quæst. quart. de intellectu agente. Vbi probata est ejus existentia, spiritualitas, & distinctio realis ab intellectu agente. Ibi etiam dictum est, quod solus intellectus possibilis intelligit: quare de illo sic intelligente plura

inquirimus sub præsentis titulo, brevitate consulentes, quæ varijs quæstionibus, & difficilissimis exagitantur ab Animasticis. Nec melius dignosci potest natura hujus potètiæ, quàm ex ejus activitate, exercitio, & objecto. Quare primò quærimus, an intellectus possibilis sit taliter passibilis ut nihil agat, sed merè patiat, dum intelligit? Et cum à Philosopho dicatur noster intellectus pura potentia in genere intelligibili,

si-

sicut materia prima est pura potentia in genere phisico; quærimus, an sit taliter pura potentia, ut nullam activitatem habeat in intellectionem.

Prima sententia docet, intellectum possibilem nullam habere activitatem, respectu intellectionis, quæ, vel sit ab objecto, vel ab intellectu agente, & recipitur in intellectu possibili. Hæc sententia æquè philosophatur de potètia cognoscitiva, ac de sensitiva; quare sicut libro 2. quæst. 7. diximus, potètiæ sensitivas esse purè passivas, ita dicitur ab his DD. potètia cognoscitiva purè passiva. Rursus: sicut receptio speciei sine attentione est receptio mortua, & non sufficit ad visionem, ut patet in speculo, recipiente species, & in oculo dormientis, aut nimium distracti; ita receptio speciei in intellectu sine attentione animæ est receptio mortua, quæ non est intellectio: cæterum, si adsit attentio animæ, receptio speciei est vera intellectio. Quare cum ad receptionem speciei se habeat intellectus purè passivè, sic se habet ad intellectionem, quæ in hac sententia est mera receptio speciei intelligibilis cum attentione animæ. Ita noster Venetus 2. de anima tex. 60. & in summa de anima libro 2. tract. 4. capit. decimo. Nyphus. libro de sensu contra Landunum. Casetanus. 2. de anima cap. 5. Joannes de Ripa, Gabriel, & plures Nomi-

nales, citati à P. Suatio in præfenti.

2: Hæc sententia probatur 1. à paritate. Nā visio ocularis est mera receptio speciei visibilis in oculo corporali cum attentione animæ, ut latè probatum est quæstione 7. citata; sed intellectus juxta P. August. est oculus animæ: ergo intellectio, quæ est visio spiritualis, nihil aliud est, quàm receptio speciei intelligibilis in oculo animæ, cum animæ attentione. Sed ex 1. constat, quod oculus se habet purè passivè ad visionem: ergo ex paritate sequitur, quod intellectus se habet purè passivè ad intellectionem.

Confirmatur. Idem omnis sensus est potètia purè passiva, quia in linea cognoscitiva datur activum, & passivum, & nulla potètia potest esse activa simul, & passiva; alioquin agens non distingueretur à patiente; cujus contrarium docetur 3. Phisicorum; sed hæc ratio æquè probat de intellectu, ac de sensibus: ergo sicut sensus cognoscitivus est purè passivus, ita intellectus possibilis, qui est cognoscitivus, erit purè passivus. Probatur minor. Si intellectus iste esset etiam activus, ageret intellectionem, quam reciperet in se ipso; & sic esset activus, & passivus respectu ejusdem intellectionis, unde esset per identitatem simul agens, & ptiens.

Probatur secundò ex P. Aug.

Te

lo

locis datis lib. 2. quæst. 7. ad probandum, quod potentia sensitiva sunt purè passiva. Nam à paritate, & à ratione probatur idem de potentia intellectiva. A paritate, quia sicut intellectio est cognitio spiritalis, ita sensatio est cognitio sensitiva: ergo si sensatio est pura receptio speciei sensibilis, ita intellectio est pura receptio speciei intelligibilis. A ratione, quia idèd sensatio, & omnis cognitio sensitiva, est pura receptio speciei sine entitate superaddita, quia sensatio est perceptio objecti sensibilis, & posita specie, recepta in sensu cum attentione animæ, nihil aliud requiritur ad perceptionem objecti sensibilis; atqui etiam intellectio est perceptio objecti intelligibilis, & ad hanc perceptionem nihil aliud requiritur, quàm receptio speciei intelligibilis cum attentione animæ: ergo sicut cognitio sensitiva est pura passio, & receptio speciei, sic intellectio.

Et confirmatur ex Aristot. 3. de anim. text. 5. ubi intellectum vocat puram potentiam, & subdit, nullam aliam esse illius naturam, quàm quod possibilis est. Hic modus loquendi frequens est in Div. Thom. præsertim in 1. p. quæst. 87. art. 1. Si ergo pura potentia est, nullam profectò habet activitatem juxta Philosophum, & Div. Thom. ergo respectu intellectiois nullam habet activitatem, sicut nec materia prima respectu formæ,

quam tantum recipit:

Confirmatur ex D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. ubi ait: *Quod intelligere importat solum habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulli ratio originis importatur, sed solum informatio quedam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per similitudinem rei intellectæ.* Ecce intellectio non est operatio, nam importaret rationem originis à principio operante, quod negat D. Thom. Est ergo tantum informatio in intellectu nostro; sed respectu informationis se habet intellectus, ut potentia purè passiva, quæ informatur: ergo intellectus se habet purè passivè respectu intellectiois.

Confirmatur secundo à ratione. Nam si potentia cognoscitiva esset principium activum intellectiois, ipsa invariata, non variaretur ejus actio, aut intellectio; sed hoc est falsum; nam eadem potentia meliorem actum elicit solum propter extrinsecum Dei auxilium, aut propter meliorem speciem. Imò unus Beatus clariùs videt Deam, quàm alius, qui meliorem intellectum naturalem habet, eo præcisè, quia à Deo magis adjuvatur, qui inferioris est intellectus: ergo signum est, quod potentia non efficit intellectioem, sed illa aliunde recipit.

4. Secunda sententia traditur à N. Gavardi lib. 3. de anim. quæst. 8. & in Theologia tom. 1. quæst. 1. de

de invisibilitate Dei art. 6. ubi citat B. Egid. quodlib. 5. quæst. 15. & in 2. sententiarum dist. 23. quæst. 2. art. 1. dub. 1. laterali. Hæc sententia distinguit in intellectu duos conceptus, nempe, quod *qualitas est*, recepta in intellectu; & quod *actio est*, qua intellectus tendit in objectum, quod cognoscit. Sub primo conceptu intellectio unicè causatur ab objecto, quare respectu illius, ut *qualitas est*, se habet merè passivè. Respectu autem intellectiois ut *actio est*, se habet activè.

Fundamentum hujus sententia est, quod intellectus, juxta Philosophum, est pura potentia in genere intelligibili: ergo antequam agat intelligendo, debet constitui in actu per aliquid actuans potentiam passivam, & illam determinans ad hoc objectum præ alio. Sed hoc determinativum, & actuativum intellectus non est lumen; quia lumen est etiam indifferens ad omnia objecta, & sic non potest determinare. Rursus. Hoc determinativum, & actuativum non est species, vel objectum: ergo est quid causatum ab objecto. Hoc ultimum probat. Nam actuativum potentia est actus primus intellectus; sed actus primus, & actus secundus potentia agentis immanenter non distinguuntur realiter: ergo cum species, vel objectum non sit actus secundus intellectus, non est id, quod primo actuatur intellectum. Proba-

tur hæc minor, ex qua totus pendet discursus. Nam actus primus, & secundus potentia immanenter pertinent ad eandem lineam, & speciem ejusdem potentia, & sub jectantur in eodem subjecto; sed duo accidentia solo numero diversa non possunt recipi in eodem subjecto: ergo actus primus, & secundus potentia intellectiva, & cujuscunque immanenter agentis non sunt realiter distincti, alioquin different solo numero, & reciperentur in eodem subjecto; quod implicat.

Si ergo actus primus, & secundus potentia intellectiva sunt idèd realiter: ergo cum species, vel objectum non sit actus secundus intellectus, non est actus primus: ergo restat, quod actus primus intellectus sit aliquid causatum à solo objecto. Probat hæc consequentia, quia intellectus ante illum actum primum, est pura potentia passiva, & sic nihil potens causare. Secundo. Quia si intellectus causaret illum actum primum, quem recipit; esset simul agens, & patiens respectu ejusdem, quod etiam implicat: ergo ille actus primus causatur à solo objecto; sed ille actus primus est idem realiter cum actu secundo intellectus, ut supra probatum est: ergo actus secundus intellectus, qui est intellectio, causatur à solo objecto. Ecce coincidit hæc sententia cum prima allegata.

Ab ea differt, quia dicit objectum

jectum, esse unicam causam intellectionis sub munere qualitatis; & quod intellectus, qui est solus intelligens, est causa ejusdem actionis, ut actio est. At non explicat Gvardi, quomodo intellectus est causa intellectionis, jam productæ ab objecto pro signo actus primi. Nā si est causa efficiens, agit jam actū efficienter ab objecto. Agere actū, superfluū est, aut impossibile. Si nō est causa efficiens, sed ut ab ipso dicitur *causa formalis*; plenē incidit in sententiam primam allegatam, & videtur abuti terminis; quia respectu qualitatis causatæ ab objecto, intellectus est causa materialis recipiens, non formalis. Si autem ut videtur, intellectus se habet activè ad intellectionem, quia licet non efficiat illam, per illam tamen se movet activè, tendendo in objectum, & reflectendo supra se. Si hoc dicat; Non sufficit ad vitalitatem intellectionis, quæ si activa est, ut infra probabitur, petit egredi, & recipi in eodem principio vivente. Quidquid sit.

3. Tertia sententia asserit, actum cognoscendi fieri à potentia informata specie, ita tamen, ut potentia ex se nullam activitatem habeat, sed tota ratio efficiendū sit species: sicut in aqua calida tota ratio calefaciendū est calor. Hanc opinionē tribuit Scotus D. Thom. quam certè indicat 1. p. quæst. 56. art. 1. & quæst. 79. art. 3. ad 1. & quæst. 85. art. 2. ad 3. Fuit

etiam opinio Alberti, & Thienensis, quos citat Suarius. Eandem ferè docet Caietanus 1. part. quæst. 14. art. 1. quæst. 79. art. 2. & quæst. 87. art. 1. dicens, potentiam cognoscentem per speciem fieri ipsum cognoscibile, atque ita factam, elicere actum; & licet tota ratio agendi sit species, tribuitur tamen potentia, quatenus facta est objectū intelligibile. Fundamēta hujus sententiæ, partim sunt ab auctoritate, & quæ à ratione adducuntur, coincidunt præcedentibus.

6. Quarta sententia est Scoti in 1. sententiarum distinct. 3. q. 7. dicentis, cognitionē effici simul à potentia, & à specie, tanquam à duabus causis partialibus integratibus unum principium activum. Probatur. Nā species integralis necessaria est ad cognitionem, ut infra probabitur: ergo habet efficientiam circa actum cognoscendi; aliās frustra necessaria diceretur. Si dicas, requiri ad determinandam potentiam ad cognitionem objecti. Rectè quidē; ceterum determinatio est cooperatio speciei cum potentia.

Confirmatur. Quia si solus visus, aut intellectus præsentē visibili, aut intelligibili, efficit visionem, aut intellectionem, poterit illam efficere sine specie: ergo cum hoc sit falsum, restat, quod intellectus, & species efficiunt cognitionē.

Rursus. Forma constituens rem in actu primo, concurrat cum illa ad productionem actus secundij

di; sed species constituit potentiam in actu primo ad cognoscendum: ergo cum illa efficit cognitionem.

Tandem in patria. Essentia Divina, quæ est, tanquam species intelligibilis, concurrat simul cum potentia ad visionem: ergo species creata, ita concurrat.

7. Quinta sententia asserit, speciē nihil efficere, sed potentiam habere totam activitatem respectu intellectionis. Ita Henricus quodlib. 4. quæst. 7. & de intellectu. Jabellus lib. 3. de anima. Probatur, quia actus cognoscendi perfectior est, quàm species: ergo species non potest effectivè ad illum concurrere. Hoc argumentum potissimè probat de sensibus æternis, quorum species imperfectissimæ sunt, cum causentur à materialibus objectis. Sed argumentum hoc solutum est lib. 2. q. 7.

Confirmatur primò. Actus cognoscendi est vitalis: ergo tantum procedit à potentia vitali; sed species non est principium intrinsicum vitale, cum imprimatur ab objecto extrinseco: ergo cognitio non fit à specie. Secundò. Potentiæ animæ vegetativæ solæ efficiunt actiones suas, neque indigent juvamine objectorum; sed potentiæ cognoscitivæ sunt perfectiores: ergo solæ efficiunt actiones suas.

8. Ultima sententia, quam tenere debemus, docet, potentia activè concurrere ad intellectionē,

sed non solam, sed etiam speciem influere in cognitionem. Hæc sententia est expressa in P. August. D. Thom. & B. Agidio, & cōmunis est in Scholis, illaque posita, facilius intelligitur, quæ Theologia docet de actibus supernaturalibus intellectus, & voluntatis. Et patet: nā lumen fidei, & lumen gloriæ ponitur in intellectu, ad supplendum defectū virtutis potentiæ pro actibus fidei, & visionis. Similiter habitus spei, & charitatis in voluntate pro actibus sperandi, & amandi; sed tales habitus supernaturales sunt virtutes activæ, efficienter influentes ex parte potentiæ in actus, ad quos dantur: ergo quia potentia influit activè efficiēt in omnes actus suos, virtute naturali in actus naturales, & virtute supernaturali in actus supernaturales. Præterea. Concilium Trident. damnat asserentes, voluntatē se habere merè passivè ad suos actus: ergo tenendum est, voluntatem, & intellectum esse potentias activas suorum actuum. Quod attinet ad influxum speciei, infra probabitur directè, dum sermo sit de concursu specierum. Generaliter autem de utroque concursu probabitur nunc assertio nostra.

Primò ex Aristot. 9. metaph. cap. 9. ubi hanc sententiam expressè docet. Et lib. 2. de anim. cap. 2. ubi ait: animam esse principium intelligendi, & sentiendi, sicut, & vegetandi, non immediatè, sed per

potentias suas; sed anima est principium activum suarum operationum & per illas vivit; licet de operationibus sensitivis sit specialis ratio, data lib. 2. quæst. 7. ergo intellectus, qui est potentia animæ, est principium activum. Quod si locis datis num. 3. vocat intellectam puram potentiam, id debet intelligi relatè ad species, quas non efficit, sed recipit; quare ibidem subdit de intellectu, *nihil est actu eorum, quæ intelligit*. Ergo juxta Philosophum, semel in actu constitutus intellectus per speciem, simul cum illa influit in intellectiōnem.

Probatum idem ex P. August. 9. de Trinit. cap. ult. ubi ait: *Liquidò tenendum est, rem, quam cognoscimus, generare in nobis notitiam sui, quod ab utroque notitia paritur*. Primum in his verbis fundatur axioma illud Theologicum Augustinianum, *Ab objecto, & potentia paritur notitia*: ergo juxta P. August. cognitio efficienter est, non à sola potentia, nec à solo objecto, sed ab utroque. Idem traditur à D. Thom. 1. p. quæst. 14. art. 2. & quæst. 54. art. 2. & 2. 2. quæst. 31. art. 5. & 1. contra G. cap. 20. & lib. 2. c. 1. & quodlib. 8. q. 3. art. 3.

De mente B. Ægidij constat quodlib. 5. quæst. 15. ubi non tradit sententiam pro qua allegatur, sed nostram; & in solutione ad argumentum *in contrarium*, supponens, quod intellectio fit efficienter ab intellectu, & in illo recipi-

tur, ex quo videtur, quod idem sit agens, & patiens, cujus contrarium ibi statuit: respondet designando distinctionem agentis à patiente, quia agens non est sola potentia, sed simul cum objecto; patiens autem est sola potentia recipiens intellectiōnem. Addit etiam, quod intellectio non recipitur in intellectu, ut agens est, sed ut patiens; quia voluntas recipiens non est agens, sed patiens. In utraque solutione supponit voluntatè agentè intellectiōnem. Hæc sententia est conformiter à nobis dicta quæst. 4. num. 8. & lib. 2. quæst. 11. num. 8. Vbi ostensum est, nullam esse consequentiam de cognitio-
ne sensitiva ad cognitio-
nem intellectivam: quare licet potentia sensitiva sit purè passiva, secus potentia cognoscitiva.

A ratione probatur directè eis rationibus, quæ datæ sunt pro sententia Scoti. Concurfus autè activus speciei probabitur infra quæstione speciali. Concurfus activus potentiæ probabitur, dum expendamus sententias, illi negantes. Quare.

9. Ad fundamenta primæ sententiæ posita numero 2. respondemus. Concessa majori, & minori, nego consequentiam. Nam licet intellectus dicatur oculus animæ, & illa videre, quæ cognoscit intuitivè; at est oculus similitudinariè cum summa dissimilitudine, & dissimilitudo infert ejus activitatem. Oculus enim omnia æquè videt; intellectus non sic; nam quædam

dam apprehendit, alia judicat, alia componit, alia infert, diccurrendo, sciendo, opinando, indagando; quæ omnia per plures actus, & discursus specificè efficiuntur. Impossibile est, quod tanta diversitas actuum sit sola receptio speciei in intellectu: sicut visio ocularis est sola receptio speciei visibilis in oculo: ergo restat, quod sit quid aliud, causatum à potentia, & specie informantè.

Ad confirmationem, nego majorem. Non enim sensus est potentia purè passiva, quia nulla potentia potest esse simul activa, & passiva, sed propter alias rationes datas lib. 2. quæst. 7. Et licet ponatur intellectus causa activa intellectiōnis, non sequitur, quod idem sit agens, & patiens; quia ut vidimus ex B. Ægid. patiens est sola potentia recipiens intellectiōnem, agens autem est potentia simul cum objecto, aut specie.

Ad secundam probat. Concessa doctrina P. August. data lib. 2. quæst. 7. de sensibus purè passivis, nego consequentiam ad intellectum, quæ nec probatur à paritate, nec à ratione. Non à paritate, quia licet sensatio, & intellectio sint cognitiones; data est disparitas loci citato. Cui addimus, quod sensatio semper fit eodem modo; intellectio autem non sic, ut patet ex varijs cognitionibus supra enumeratis. Non etiam à ratione, quia intellectio non est mera perceptio

objecti, sed aliquando est apprehensio, aliquando judicium, aliquando discursus. Nec discursus potest fieri, nisi diversis cognitionibus, quarum una inferatur ex alia. Hujusmodi multiplicatio cognitionum non est mera receptio speciei, quæ est unica passio, nec est illatio: ergo restat, quod licet cognitio sensitiva sit mera receptio speciei, secus cognitio intellectiva.

Ad auctoritatem Aristot. & modum loquendi D. Thom. constat ex dictis pro nostra sententia. Ad confirmationem ex D. Thom. quæ difficilis est, plene constabit §. sequenti, ubi explicabimus, quomodo intellectio est qualitas, habens modum actionis. Dic etiam juxta doctrinam datam lib. 2. quæst. 7. quod intellectio est etià dictio, & productio verbi: ut productio est, & dictio, habet veram rationem actionis, quia est via ad terminum productum, & sic importat rationem originis. Ut autem est intellectio, & perceptio objecti, non est via agentis ad terminum, & sic non importat rationem originis, sed potius perfectionis potentiæ, quæ perficitur contemplando objectam. Isti conceptus in intellectiōne sunt varia munera ejusdem, quæ realiter identificantur: ergo intellectio realiter sumpta importat rationem originis. & sic est actio, ad quam potentia comparatur activè.

Ad secundam confirmationem, nego sequelam majoris. Nam licet

licet potentia sit principium actuum suarum operationum, pendet tamen à specie, ut à principio, & in actibus supernaturalibus pendet à lumine, gratia, & habitibus supernaturalibus, quæ in schola Thomistarum, & nostra, sunt tota ratio agendi. Ob hæc dicitur in nostris principiis, quod intellectus inferior, si habeat majus lumen gloriæ, elicit meliorem visionem; hoc non ideo, quia intellectus non concurrat activè, sed quia virtus naturalis intellectus nullam habet activitatem in actus supernaturales, sed tota virtus venit à lumine, & auxilio supernaturali.

10. Impugnatur hæc sententia, quia ponit intellectionem, vel non esse actionem, vel effici ab intellectu agente, vel ab objecto, & recipi in intellectu possibili. Primum est plene falsum, quia actus credendi est intellectio; & ut ait P. August. plura sunt, quæ nisi credantur, non cognoscuntur, ut Mystrium Trinitatis, Incarnationis, & Eucharistiæ &c. sed actus credendi, qui est intellectio non est mera passio, aut receptio speciei: ergo intellectio non est mera passio, sed actio. Probat minor. Actus credendi est meritorius, & sic est actus liber; sed actus liber est vera operatio, ad quam activè se habet potentia, ut definitum est contra Hereticos, negantes meritum, & libertatem, dum asserbant, non tram potentiam à Deo motam, &

excitatam, se habere merè passivè: ergo &c.

Jam verò si intellectio conceditur actio, sed quæ recipitur in intellectu possibili, & fit à potentia distincta, nempe, ab objecto, vel ab intellectu agente, ut vult Gofredus. Contra est. Nam quæ potentia intelligit, an quæ efficit intellectionem, an quæ recipit? Non quæ recipit tantum, quia cognoscere est vitaliter operari, & in actibus fidei, qui liberi sunt, & meritorij, est operari liberè: recipere tantum non est agere liberè, nec agere. Non etiam potentia, quæ tantum agit, & non recipit: quia intellectio est perfectio intrinseca intelligentis; & sic debet recipi intrinsece intelligentem: ergo impossibile est, cognitionem effici tantum ab uno principio, & recipi tantum in alio.

Præterea: in eo casu cognitio respectu principij agentis esset actio transiens; respectu verò principij recipientis esset pura passio: ergo cum intellectio sit vita, & actio immanens in omni sententia, restat, quod ab omnibus refutanda est positio, quam impugnamus.

11. Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 4. respondemus, præcipuum, in quo illa fundatur, nobis non probari. Illud est, quod in omni potentia immanente actus primus & secundus non distinguuntur, sed sunt idem realiter. Hoc putamus falsissimum ob illas rationes,

rationes, ob quas Theologi, & Philosophi docent, quod in solo Deo operatio identificatur cum principio operante: En unica ex multis. Potentia quæ secum identificat ultimam actualitatem cujuscumque lineæ est infinita in illa lineæ; sed actus primus de lineæ operandi, identificans actum secundum, identificat ultimam actualitatem de lineæ operandi: ergo est actus primus infinitus in lineæ operandi. Hoc concedere de Deo, docet fides; sed applicare id ipsum creaturis, etiam immanenter agentibus, & ideo modo operandi perfectissimo, falsissimum est.

Nec ratio adducta à Nostro Gavardi quidquam probat. Nam actus primus, & secundus potentia immanentis pertinent quidem ad eandem lineam, sed non ad eandem speciem. Uterque enim est de genere qualitatis, sed pertinent ad diversas species, quia actus primus est qualitas natura sua permanens, quæ dicitur *habitus*; intellectio autem, & actus secundus immanens, est qualitas natura sua fluens, & transiens, quæ dicitur *dispositio*. Istæ qualitates specie differunt, & sic nil mirum recipiantur in eodem subjecto. Exemplum de igne nil probat: Nam calor, quo ignis est calidus in se, licet non differat specie à calore, quo agit in externam materiam, sed solo numero; recipitur tamen in diverso subjecto, quia calefactio in nostris principiis indistincta à termino, reci-

pitur in passio, & est ipse calor productus in passio realiter distincto. In agentibus transiens actus primus, & secundus differunt solo numero, quia recipiuntur in diversis subjectis, & sic realiter differunt: ergo paritate quidquam probante, sequitur, quod actus primus, & secundus realiter differunt in agentibus immanentibus tantum; sed cum recipiantur in eodem subjecto non possunt distingui solo numero: ergo differunt realiter, & specificè, ut ostensum est.

Præterea. Actus primus intellectus est sola receptio speciei; per hoc enim præcisè, quod species recipiatur in intellectu, completur hic in actu primo. Ob id dicitur, quod intellectus sæcudatur ab objecto, quia nempe adæquatè completur in actu primo per unionem objecti; sed intellectio, quæ est actus secundus, realiter differt à potentia, & objecto unitis: ergo in intellectu, & in quacumque potentia immanenter agente, realiter distinguuntur actus primus, & secundus.

12. Dissoluto præcipuo fundamento secundæ sententiæ, reliqua, quæ pro eadem adducuntur à Nostro Gavardi, spontè cadunt. Nec oportet immorari in impugnatione directa talis sententiæ, quæ satis evertitur ex dictis num. 4. in fine. Distinctio illa intellectionis, ut *qualitas*, & ut *actio est*, traditur communiter ad explanandum, quia intellectio non est actio propria de prædicamento actionis, sed

revera est qualitas habens modum actionis, qua propter dicitur actio grammaticalis. De hoc §. sequenti. Interim dicimus, doctrinam hujus sententiæ, quæ in Philosophicis difficilis est, quia ponit actum secundum operandi esse constitutum potentia in actu primo; & confundit actum primum, & secundum de linea operandi; præter hæc Philosophis invisæ, Theologis etiam novas addit difficultates, si ad Theologica transferatur, ut de facto transfertur à Nostro Gardi. Dicit enim loco laudato Theologiæ, quod de facto visio beata producitur à Deo in genere causæ efficiens, ut est qualitas informans, actuans, determinans, & constituens in actu primo intellectum beati potentia ad videndum Deum; licet formaliter, ut actio vitalis est, sit essentialiter à solo intellectu creato.

Hoc in Theologia plures addit difficultates, è quibus aliquas hic insinuare breviter, non erit importunum. Prima difficultas est, quod apud Theologos lumen gloriæ est tota ratio agendi visionem, vel saltem ad visionem sub conceptu supernaturalitatis lumen est tota ratio: ergo per lumen constituitur intellectus Beati in actu primo adæquato ad visionem. Ut quid ergo visio illa sub ratione qualitatis producta à Deo? Si enim per lumen adæquatè constituitur actus primus intellectus, superfluit visio sub ratione qualitatis; vel si per visionem,

ut qualitas est, elevatur intellectus, actuatur, & completur in actu primo, superfluit lumen, quod est contra omnes DD. Rursus. Visio illa sub ratione qualitatis producta à Deo, vel elevat intellectum beati, vel supponit elevatum. Si elevat: ergo superfluit lumen elevans. Si supponit elevatum: ergo non est actus primus, sed secundus. Patet consequentia, quia actus supponens primum jam completum, est secundus; sed qualitas visionis supponit intellectum elevatum per lumen, & sic supponit etiam unionem intellectus elevati cum essentia Divina, quod totum est actus primus completus ad visionem beatam, juxta Theologos: ergo &c. Tandem in actibus liberis fidei, & charitatis, qui petunt procedere à principio indifferenti, & libero, hæc sententia est difficilior. Nam actus procedens à principio non indifferenti, sed determinato ad unum, non est actus liber; sed in hac sententia actus charitatis procedit à principio non solum determinato ad unum, sed à principio identificato cum actu: ergo non est liber. Probatur minor. Actus secundus charitatis procedit à principio completo in actu primo; sed principium ad actum charitatis completur per ipsum actum charitatis, sub ratione qualitatis, productum à Deo: ergo procedit à principio non solum determinato ad actum, sed idè identificato cum actu. De his satis.

13. Circa tertiam sententiam, dicendum est, eam non esse D. Thom. quæ si fortè insinuat locis datis num. 5. exponendus est juxta doctrinam datam locis à nobis citatis num. 8. Et patet, sic debere exponi ex ipso exemplo adducto pro hac sententia. Aqua calida sustentans calorem, solum est causa per accidens calefactionis: ergo si intellectus recipiens speciem, sic est causa intellectionis, solum erit causa per accidens sui actus vitalis, quod est contra bonam philosophiam. Immò indè sequitur, quod intellectus non sit vivens per se, sed per accidens. Nā eo modo intellectus vivit quo agit: ergo si solum agit per accidens erit vivens per accidens. E contra. Sicut calor in aqua est per se causa calefactionis, ita species unita intellectui erit causa per se intellectionis: ergo erit per se intelligens, & vivens. Illa autem unio intellectus cum objecto, qua fit unā cum ipso in esse intelligibili, non est tanta, quantā dicit Caietanus; nec facit ad intentum qualicumque sit.

Non est tanta, ut non distinguant Philosophi, & Theologi duas virtutes, unam ex parte intellectus, quæ est lumen, naturale, vel supernaturale juxta qualitatem actus; & alteram virtutem ex parte objecti, cum ipso plenè commensurata: ergo non est tanta unio intellectus cum objecto, ut plenè confundantur virtutes utriusque, quæ realiter distinguuntur. Rursus: qua-

liscumque sit unio intellectus cum objecto, debet distingui realiter virtus activa utriusque. Patet hoc nam lumen gloriæ (& idè de omni habitu supernaturali) est virtus ad visionem beatam, non requisita ex parte objecti, sed ex parte potentia: ergo pro intellectione naturali requiritur etiam virtus activa ex parte potentia, distincta à virtute activa objecti: ergo quātuncūque potentia, & objectum fiant unū in esse intelligibili, tota virtus activa non est virtus objecti, sed etiam virtus ex parte potentia. Quam si non assignat Caietanus, impugnatur argumentis datis contra præcedentes sententias.

14. Quarta sententia Scoti plenè conformatur nostræ, hoc tantum notato, quod potentia, & objectum non sunt causæ partiales ejusdem speciei relatè ad intellectionem. Nam potentia est principium virtuale adæquatum, & adæquatum vivens, & intelligens: objectum autem nec vivit per intellectionem productam, nec intelligit per illam. Concurrunt autem ut com principium ad actum vitalem, & ob id dicitur principium vitale, ut quo; sed non est vitale, ut quod. Rationes substantiales Doctoris positæ num. 6. sunt pro nobis, licet non multum urgeant.

Restat expendere quintam sententiam positam numero 7. & licet vberius discutienda sit, dum disputemus de specie impressa, hic dissolvemus fundamenta Henrici,

ex ibi dicendis. Ad primum nego, quòd species sit imperfectior, quàm cognitio. Dùm enim Angelus cognoscit se, cognitio est acidens, & species est substantia Angeli. Idè patet in visione beata, cujus species est essentia Divina, & sic infinitè perfectior, quàm cognitio beati. At quia alijs objectis species immixtae sunt accidentia, & idè concedi possunt inferioris perfectionis ad intellectionem; dic, quòd illud inferioris potest esse comprincipiũ, & partialis causa influens in intellectionem perfectiorem. Causalitas solùm petit, quòd principium adæ quatum sit majoris, aut æqualis perfectionis cùm objecto; sic contingit in principio adequato intellectionis, quòd est potentia, & species: Nam hoc complexũ æqualis, aut majoris perfectionis est, ac intellectio. Vel dic, quòd species est virtus objecti, & ejus vicaria, quare vices gerit objecti, & in ejus virtute operatur; sed objectum est perfectius, quàm cognitio ex terminis objecti, quidquid sit, de entitate objecti, quæ aliquando nulla est, ut quando cognoscitur ens rationis, falsitas, aut chimera. Imò dùm hæc cognoscuntur, quæ non habent speciem propriam, sed cognoscuntur per speciem entis realis, quo privant; adhuc species tunc est nobilior intellectione, quia est virtus illius entis realis, per cujus speciem cognoscitur chimera, aut ens rationis. Quod additur de speciebus

sensuum externorum solutum est lib. 2. quæst. 7.

Ad primam confirmat. concessò antecedenti, distingò consequens. Ergo tantum procedit cognitio à potentia vitali, vitali, ut quo, vel ut quod, concedo; ut quod precisè, nego. Species est principium vitale, modo quo lumen gloriæ, ab extrinseco infusum intellectui, vitale est. Est ergo vitale principium, ut quo, quatenus intimè unitur potètiæ vitali per inhesionem, aut terminationem ad efficiendos actus vitales. Ad secundam confirmat. Concessa majori, & minori, nego consequentiam; potentia enim vegetativæ non sunt assimilativæ: & idè non indigent objectis ad efficiendos suos actus. Potentiæ autem cognoscitivæ, quæ assimilativæ sunt, & idè perfectiores, indigent uniri suis objectis ad efficiendos actus suos.

§. II.

Deciditur, an intellectio sit vera actio, & distinctio ejus à verbo mentis.

15. **P**rima sententia asserit, intellectionem esse veram actionem de prædicamento actionis, quia est vera causalitas producens terminum, nempe, verbum mentis, quod dicitur species

cies expressa. Ita Conimbricenses 3. de anim. cap. 8. art. 3. Fonseca 5. metaph. cap. 15. quæst. 10. sect. 2. Et aliqui etiam ex Thomistis. Probatur primò, quia si intellectio non esset de prædicamento actionis, esset de prædicamento qualitatis; sed Philosophus negat actus immanentes, esse qualitates; dicit enim 10. Metaph. cap. 3. *Nec enim virtutis operationes qualitates sunt*: ergo intellectio est vera actio de prædicamento actionis. Et confirmatur ex Philosopho 9. metaph. cap. 9. ubi dividit veram, & propriam actionem in immanentem, & transeuntem: ergo utraque debet esse propria actio.

Confirmatur secundò. Si intellectio non esset propria actio, sed qualitas, fieret per aliam actionem; sed hoc negat Thomistæ contra Suarezium, & alios adducendos pro secunda sententia: ergo intellectio non est qualitas, sed actio. Probatur major. Si esset qualitas fieret per veram actionem, aut per emanationem; sed qualitas illa non potest fieri per emanationem: ergo fieret per aliam actionem. Probatur minor. Quod emanat, vel dimanat, ut proprietas essentia; & sic fit per actionem agentis, producentis essentiam, ut diximus, 2. Physicor. Intellectio nostra non potest sic emanare, ut patet, quia omnes cognitiones nostræ fierent à solo generante. Vel dimanant per modum propriæ actionis, quæ cùm sit

actio, non fit per aliam actionem, sed se ipsa dimanat à principio. Intellectio autem, si non est actio, sed qualitas, non potest dimanare à principio per modum actionis: ergo si est qualitas non potest fieri per emanationem, sed per aliam actionem, quod docetur à secunda sententia alleganda.

16. Probatur secundò eadè sententia. Vel intellectio est vera, & propria causalitas productiva verbi, vel non? Si primum. Ergo est vera actio prædicamentalis, nec potest dici qualitas. Patet consequentia. Qualitas dicitur entitatem in facto esse; actio, vel causalitas, dicitur rem in fieri, & sic aliquid vitale, & imperfectum; & ob id 3. Physicor. diximus, quòd actio est via ad terminum; sed si intellectio est productiva verbi, est via ad terminum: ergo est vera actio, & non potest esse qualitas.

Si dicas, actionem non solum importare fieri, sed etiam fluxum, & motum, quem non habet intellectio. Contra est. Nam illuminatio, & aliæ actiones instantaneæ, sunt verè, & propriè actiones, cùm tamen sint sine motu: ergo ad veram actionem non requiritur motus successivus, sed mutatio. Hæc datur in intellectione, quæ intrinsecè informat intellectum, & mutat ipsum de non intelligente in intelligentem. Præterquam quod gratis requiritur motus, & fluxus ad veram actionem, quæ solum petit

esse causalitatem agentis, ipsum constituentis in actu secundo causandi; ergo cum hoc totum habeat intellectio, si est productiva verbi, erit vera, & propria actio.

Si tamen non sit productiva verbi: ergo verbum producitur alia actione distincta à cognitione. Patet consequentia. Quia verbum productum debet effici per veram actionem: ergo intellectio non est vera actio, fiet verbum per aliam actionem, distinctam à cognitione. Hoc si dicatur, incidimus in sententiam Scoti, asserentis, dictionem productivam verbi, esse actionem distinctam ab intellectio-
ne. Vel incidimus in sententiã Suariz, non distinguentis intellectio-
nem à verbo mentis, & totum pro-
duci propria actione distincta.

17. Secunda sententia docet, intellectio-
nem consistere in qualitate, sed non distingui à verbo mentis. Hæc qualitas producitur per veram actionem, quæ distinguitur ab intellectu, sicut omnis actio à suo termino. Ita Suarez lib. 1. de Trinit. cap. 6. & 3. de anim. cap. 5. Vazquez 1. p. disp. 141. cap. 4. quest. 3. Eis favet Scotus in 1. sententiarum. dist. 3. q. 6. 7. & 8. ubi dicit, verbum mentis non esse aliud, quàm actus intelligendi in facto esse. Addit Scotus in 1. distinct. 2. quest. 1. & 2. quod dicere, & intelligere sunt distinctæ actiones ex natura rei.

Nota, quod Suarez redar-

guit Thomistas, ponentes intellectio-
nem, & verbum esse duas quali-
tates, & aliunde negantes distinc-
tionem Scoti inter dicere, & in-
telligere. Si enim intellectio, &
verbum sunt qualitates distinctæ:
ergo fiunt per distinctas actiones,
quarum una est dicitio, nempe,
productiva verbi; altera intelligere,
nempe productiva intellectu-
nis. Etiam redarguit Scotum, quia
si juxta ipsum intellectio, & ver-
bum sunt idem: ergo per quam
actionem producitur verbum, pro-
ducitur etiam actus intelligendi; &
sic eadem actio erit dicere, & in-
telligere.

Probat hanc sententia primò
de mente Scoti, quatenus distin-
guit dictionem ab intellectu. Nam
dicitio est actio distincta
ab intelligere: ergo intelligere, ut
sic distinctum, est pura qualitas,
non habens modum actionis. Pro-
batur antecedens primò. Nam intel-
ligere in nostra sententia est quali-
tas distincta à verbo: ergo distinc-
ta actione procedit, ac verbum; sed
verbum procedit per dictionem:
ergo intellectio distinguitur à dic-
tione. Rursus. Dicitio supponit
intellectionem, quia ex hoc, quod
intelligitur, procedit verbum, ut
dicit D. Thom. 1. p. quest. 29.
art. 1. & patet, quia prius est cog-
noscere, quàm verbum proferre.
Ex alia parte intelligere, ut est
contemplatio, supponit dicitio-
nem; quia in verbo dicto fit con-

tem-

templatio: ergo dicitio, & in-
tellectio se invicem supponentes,
sunt actus distincti.

Tertio. Dicere importat ra-
tionem originis; intelligere dicit
habitudinem informationis, qua
intellectus actuatur ab objecto: er-
go distinguuntur, ut actio, & non
actio. Tandem. Intelligere potest
separari à dicere, quia datur ali-
quando intellectio sine eo, quod
producat verbum, ut patet in Fi-
lio, & Spiritu Sancto, qui intelli-
gunt sine productione verbi, quod
tantum producitur ab æterno Patre:
ergo non sunt eadem actio intelli-
gere, & dicere.

18. Jam verò eadem sen-
tentia, quatenus non distinguit in-
tellectionem à verbo mentis, pro-
batur. Ipsa intellectio habet quid-
quid requiritur ad rationem verbi:
ergo præterquam sequitur, quod
ipsa non sit dicitio, sicut ver-
bum dicitio non est, sed termi-
nus dictionis; sequitur, quod
intellectio non differt à verbo
mentis. Probat primò. Quia ver-
bum est noticia, ut illud vocat D.
Thom. 4. de verit. art. 2. ad 2.
Et sic vocatur à P. August. 9. de
Trinit. & à Theologis cum ipso, di-
centibus, *ab objecto, & potentia pa-
ritur noticia*. Intellectio autem no-
ticia est. Rursus. Intellectio etiam
manifestat objectum, sicut verbum,
quia actu per illam attingit objec-
tum intellectus. Est etiam qualitas,
& non dicit rationem originis, sed

informationis: ergo habet quid-
quid requiritur, ut sit expressa re-
presentatio, & qualitas manifestas,
non per modum tendentiæ, & viæ,
sed per modum qualitatis informan-
tis, & termini; quod, & nihil
aliud habet verbum, ut verbum.

Hinc sequitur, quod qualitas
intellectionis debet fieri ab intel-
lectu per aliam actionem. Nam si
intellectio est indistincta à verbo,
petit, quod verbum: sed verbum
petit fieri per actionem distinctam:
ergo & intellectio. Rursus. Si intel-
lectio est qualitas informans per
modum termini, non importat ra-
tionem originis: ergo non est actio
dimanans à principio, sed verus ter-
minus, productus per actionem dis-
tinctam.

19. Tertia sententiã docet, ver-
bum realiter distingui ab intelle-
ctione; & quando producitur, fit
per intellectio-
nem, cujus entitas
est de predicamento qualitatis,
ceterum habet modum actionis;
tùm quia est virtualiter productiva
verbi, tum quia dimanat ab intel-
lectu sine nova actione. Ita præci-
pui Thomistæ, quos sequitur Ma-
gister Sancto Thoma in præsent.
quest. 11. art. 1. & hæc sententia
videtur expressa in P. August. D.
Thom. & B. Aegid. qua propter
ipsi plenè subscribimus,

Et quidem distinctio verbi
mentalis ab intellectu expressè
traditur à P. August. lib. 9. de Tri-
nit. cap. 7. ubi ait: *in illaigitur*

eter-

æterna veritate, ex qua temporalia facta sunt omnia, formam secundum quam sumus, & secundum quam, vel in nobis, vel in corporibus vera, & recta ratione, aliquid operamur visu mentis, atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tanquam verbum apud nos habemus, & dicendo intus gignimus, nec à nobis nascendo discedit. Cum autem ad alios loquimur, verbo intus manenti, ministerium vocis adhibemus, aut alicujus signi corporalis, ut per quamdam commemorationem sensibilem tale aliquid fiat in animo audientis, quale de loquentis animo non recedit. Nihil itaque agimus per membra corporis in factis, in dictisque nostris, quod non verbo apud nos intus edito prævenimus. Nemo enim volens aliquid facit, quod non in corde suo prius dixerit.

Hic plura habemus. Primò constat distinctio verbi ab intellectione, quia verbum gignitur per intellectionem juxta P. August. ibi, dicendo intus gignimus; sed generatio in omnium sententia realiter distinguitur à termino genito: ergo intellectio realiter distinguitur à verbo mentis genito, & producto.

Quòd autem actio generativa hujus verbi sit, intellectio, docetur à P. August. ibi, formam secundum quam, vel in nobis, vel in corporibus vera, & recta ratione aliquid operamur visu mentis, atque inde conceptam rerum veracem notitiam, tanquam verbum. &c. En visus men-

tis est actio, qua aliquid operamur, nempe, verbū, & notitiā veracē; sed visus mentis est intellectio, quia intellectus, qui est oculus animæ, juxta P. August. non aliter videt, nisi intelligendo: ergo actio, qua producitur verbum, est intellectio.

Rursus. Quòd hæc intellectio non sit actio distincta à dictione verbi, patet juxta Aug. nam visus mentis, aut intellectio, est actio qua producitur verbum; sed verbum gignitur, & producitur dicendo, ibi: *Dicendo intellectus gignimus*: ergo juxta August. dicitio verbi nō est actio distincta ab intellectione, ut contendit Scotus, sed eadem intellectio, aut visus mentis, quæ operatur verbum mentis, illud dicit, quia dicere nihil aliud est, quàm producere verbum, aut intra nos illud operari.

Constat etiam juxta P. August. quòd intellectio est actio, nam est vera causalitas, qua intellectus operatur, qua gignit, & producit verbum: sed causalitas principij operantis, gignentis, & producentis, est vera actio: ergo intellectio habet veram rationem actionis, licet cū limitatione infra assignada. Si tamen quæras de entitate intellectionis, an sit de prædicamento actionis, an de prædicamento qualitatis, dicendum est de mente P. August. esse de prædicamento qualitatis, unde est vera qualitas, habens modum actionis. Hoc patet, nam vera actio, ita est via ad ter-

mi:

minum, ut cesset acquisito termino; sed cognitio, qua verbum producimus, non cessat, producto verbo, sed verbum retinet, ut in illo objectum contempletur; ibi, *Dicendo intus gignimus, nec à nobis nascendo discedit*: ergo intellectio non est actio de prædicamento actionis, sed est qualitas perficiens subjectum, habens modum actionis, & æquivalens actioni veræ, quatenus est virtualiter productiva verbi.

20. Licet dicta sufficiant pro confirmanda nostra sententia, placet tamen breviter insinuare qualiter P. August. demonstrat mysteria fidei ex doctrina philosophica presentis questionis. Dicit sic, lib. 9. de Trinit. cap. 12. ad explicandum Trinitatis mysterium. *Est quædam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia ejus, quæ est proles ejus, ac de se ipsa verbum ejus, & amor tertius; & hæc tria unum, atque una substantia. Nec minor proles, dum tantam se novit mens, quanta est: nec minor amor, dum tantum se diligit, quantum se novit, & quanta est.* Hoc clariùs, sed prolixius habet lib. 15. de Trinit. cap. 10.

Insuper lib. 15. de Trinit. cap. 14. dicit: *Verbum nostrum necnunquam simile est in hoc enigmate illi verbo Dei, quod etiam Deus est; quoniam sic, & hoc de nostris nascitur, quemadmodum illud de scientia Patris natum est.* En explicata generatio verbi ex modo, quo verbum

mentis nostræ producitur: quare sicut per intellectionem, & scientiam Patris producitur verbum, ita per cognitionem nostram; sed cum discrimine, quòd Verbum æterni Patris, est Patris substantia, & unus Deus cum illo; secus in nobis, quorum verbum est accidens de genere qualitatis, sicut scientia, & cognitio nostra qualitates sunt.

Mysterium Incarnationis dilucidè explicatur varijs locis à P. August. ex doctrina presenti nostræ verbi. Sed præcipuè serm. 24. de diversis, ubi ait: *Ecce ego verbum; quod vobis loquor in corde meo prius habui: processit ad te, non recessit à me: Cæpit esse in te, quod non erat in te; mansit apud me, cum exiret ad te. Sicut ergo verbum meum prolatum est sensui tuo, nec recessit à corde meo; sic illud verbum prolatum est sensui nostro, nec recessit à patre suo. Verbum meum apud me erat, & processit in vocem; verbum Dei erat apud Patrem, & processit in carnem.* Ita in mysterio arcano dilucidè loquitur P. August.

21. Nostram assertionem plenè docuit D. Thomas varijs locis, de quibus infra. Consonat B. Egid. varijs locis, sed præsertim 2. sententiarum dist. 24. quest. 2. art. 2. per tot. ubi agit de memoria, & intelligentia. Et licet unica assertionem possit satisfieri quæsito, ob claritatem tamen, illam dabimus tripartitam.

Sit prima conclusio *Intellectio est vera operatio, & verus actus secundus potentie intellectivae.* Ex quo sequitur, quod intellectio realiter differt à verbo, & specie expressa. Sequela patet contra Suarezium, quia verbum apud omnes non est actio, sed terminus actionis, qui apud Suarezium, & alios distinguitur realiter ab actione, quam terminat: ergo si intellectio est vera operatio realiter distinguitur à verbo, & specie expressa.

Si quæras, qua distinctione? Dicendum esset ex doctrina nostra 3. Philosophicor. quæst. 2. dari distinctionem purè quidditivam, quam diximus intervenire inter actionem immanentem, & terminum. Cæterum adest specialis ratio, ut intellectio differat entitativè à termino producto. Patet distinctio entitativa, quia verbum, quod est species expressa, & similitudo objecti in actu secundo, est qualitas; sicut species impressa, quæ est similitudo objecti in actu primo, qualitas est: ergo distinctio verbi ab intellectione est distinctio duarum qualitatum, nam intellectio qualitas est, ut infra probabitur; sed distinctio qualitatis à qualitate, est entitativa, & rei à re: ergo differunt entitativè intellectio, & verbum. Ratio autem exceptionis est, quia doctrina data 3. Phys. de actione in communi procedebat de actione, & realitate reducenda potius ad prædicamentum actionis,

quàm ad aliud; sed ut dicemus in tertia conclusione intellectio pertinet formaliter ad prædicamentum qualitatis, & solum virtualiter eminenter ad prædicamentum actionis: ergo stâte doctrina data de actione in communi, differt tamen entitativè intellectio à verbo producto.

Probatur conclusio nostra ex D. Thom. 12. metaph. text. 39. ubi ait: *Vnum quodque in quantum est in actu, est agens; unde sequitur, quod intellectus in quantum attingit intelligibile fit agens, & operans, id est, intelligens.* Ex his sumitur ratio præcipua conclusionis. Quod est verè exercitium, & actus secundus potentie activæ, & operativæ, est actio, & operatio; sed intellectio est actus secundus, & exercitium potentie intellectivæ, quæ activa, & operativa est, ut probatum est 5. præced. ergo intellectio est vera operatio, & actus secundus potentie intellectivæ. Vergetur. Intellectio est vita intentionalis in actu secundo; nam intellectus intelligendo vivit, & non vita in actu primo, sed in actu secundo; sed vita in actu secundo est actio, & operatio, maximè in communiore sententia negante vitam sensitivam, esse purè passivam: ergo &c.

Confirmatur ex D. Thom. 1. 2. q. 3. ubi docet, beatitudinem esse ultimam perfectionem, quæ consistit in operatione; ex quo inferret art. 4. quod beatitudo nostra

con-

consistit in actu intellectus, qui est intelligere: ergo intellectio est actio, & operatio. Hinc art. 2. ad 1. dicit: *Alio modo dicitur vita operatio ipsa viventis, secundum quam principium vite in actum reducitur. Et hoc modo vita aterna dicitur ultimus finis. Ioann. 17. hæc est vita aterna, ut cognoscant te.*

Brevius. Beatitudo in vera Philosophia consistit in operatione; sed beatitudo nostra supernaturalis adæquatè, vel inadæquatè, ut à sententijs abstrahamus, consistit in cognitione Dei, juxta illud Joan. 17. *Hæc est vita aterna, ut cognoscant te:* ergo cognitio, & intellectio, juxta Philosophiam, & Theologiam, est vera operatio.

Ob id D. Thom. 1. p. quæst. 54. art. 1. loquens de intelligere Angeli dicit, *quod est actio, & propriè actualitas virtutis, sicut esse est actualitas substantiæ;* sed esse est ultima actualitas essendi: ergo intellectio est ultima actualitas operandi; quare est actio, & operatio. Ob id etiam cum D. Thom. docent Theologi, quod Angelus non intelligit se per suam substantiam, sed per accidens superadditum, quia nulla creatura identificat secum suam operationem, & ultimam actualitatem de lineæ operandi.

Confirmatur secundò. Dicitio, quæ est productio verbi est vera operatio apud omnes; sed intellectio non differt ab intellectione, ut probabitur in secunda conclusio-

ne: ergo intellectio in omnium sententia debet esse vera operatio. Hoc suadent argumenta posita pro prima sententia num. 15. licet exponenda sint de operatione, quæ, attenda entitate, est qualitas formaliter, & solum actio eminenter.

Si dicas, D. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. ad 3. dissentis verbis negare, quod intellectio importat rationem originis: ergo negat, quod sit actio, quæ constituitur per conceptum Ab, & originem ab agente. Respondemus ex S. Dre. quæst. 4. de verit. art. 2. ad 5. ubi ait: *quod dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc, quod est exprimere aliquam conceptionem.* Ex his patet, quod dicere est intelligere; undè est eadem actio, & operatio, ut infra dicemus; cæterum habet varios respectus, nam ut intellectio, est perfectio agentis non ordinata ad terminum, sed ad subiectum, quod perficit. Ut dicitio ordinatur ad terminum, & dicit egressum sui, & termini ab agente; quare ut dicitio importat originem, quam nõ dicit, ut pura intellectio. Hoc nõ est negare, quod intellectio sit vera actio, sed est negare, quod sit actio pura de prædicamento actionis.

22. Secunda conclusio: *Dicitio, quæ est actio productiva verbi, non est actio distincta ab intellectione.* Probatur, tum ex quæst. 4. de verit. laudata, ubi ait D. Thom. quod *dicere non solum significat intelligere, sed intelligere cum hoc,*

Xxx

quod

quod est exprimere aliquam conceptionem: ergo dictio non est actio distincta ab intellectione, ut expressiva verbi. Ad idem 4. contra G. cap. 11. dicit D. Thom. *Est autem de ratione interioris verbi, quod procedat ab intelligere secundum suam intelligentiam, cum sit quasi terminus intellectualis operationis.* En conclusio, & ratio probativa.

Formator sic. Dictio productiva verbi, est operatio intellectualis; intellectus enim producit verbum, & producit per operationem suam, non per alienam; sed omnis operatio intellectualis est in intellectio: ergo dictio est realiter intellectio, & unica actio intellectus. Probatur minor. Omnis operatio virtutis adæquatè intellectiva, est intellectio; sed intellectus est virtus potentia adæquatè intellectiva: ergo &c. Probatur minor. Intellectus, licet non sit adæquatè apprehensivus, vel judicativus, vel discursivus; est tamen adæquatè cognoscitivus: ergo intellectus est potentia adæquatè intellectiva. Antecedens probatur. Formare species, & illas abstrahere à phantasmatibus, ac aduare intellectum possibilem, sunt actus intellectus, in quibus non exercetur vis cognoscitiva; ceterum attribuuntur intellectui agenti, qui est adæquatè potentia activa, sed non cognoscitiva, ut vidimus quest. 4. ergo quia intellectus possibilis est potentia adæquatè cognoscitiva, & om-

nis ejus actio cognoscitiva est; quare vel dictio indistincta est à cognitione, vel si non est actio cognoscitiva, pertinebit ad intellectum agentem, non ad possibilem.

Confirmatur. Dicitio verbi nõ est dictio utcumque, sed dictio rei intellecta; sed res non est intellecta, nisi per intellectionem: ergo verbum dictum procedit per intellectionem, & sic non distinguitur à dictione. Rursus, Intellectus non solum est cognoscitivus, sed manifestativus, & communicativus sui, sed manifestat res intellectas, dicendo eas, ut intellectas: ergo dictio illa est substantialiter intellectio. In hoc fundatur assertum illud D. Thom. 1. p. quest. 27. art. 1. *Quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, producit verbum:* ergo per hoc precisè, quod detur intellectio, datur dictio, & superfluit actio distincta.

23. Dices. Si intellectio esset dictio, non posset stare sine verbo producto; quia implicat productio termini sine termino; sed in Filio, & Spiritu Sancto stat intellectio sine verbo producto: quia intelligunt Deitatem, sed non producant verbum, quod à solo Patre producitur: ergo intellectio non est dictio, aut productio verbi. Idè patet in beatis, quorum visio est intellectiva, sed non productiva verbi, juxta communiolem sententiam. Idem juxta eandem sententiam contingit in Angelo se ipsum cognos-

cognoscente. Secundò. Intellectio supponit verbum jam productum, nam est contemplatio objecti in verbo producto; sed supponit verbū productum per dictionem: ergo supponit dictionem, & sic ab illa distinguitur. Tertio. Si essent eadè actio, eodè modo denominarent dictū, & intellectum; sed hoc non est verum, nam intellectus intelligit objectū, sed nõ dicit objectum, sed verbum, verba enim loquimur, non res. Similiter. Intellectus producit verbum, sed non objectum: ergo idem.

Propter hæc Magister Sancto Thoma asserit, dictionem esse modum additum intellectioni, quare admittit distinctionem modalem. Ceterum cum Scotus ponat solam distinctionem formalem ex natura rei; & distinctio modalis sit major, quàm distinctio formalis; ut diximus in Philosophia, videtur majorem distinctionem poni ab hoc Doctore, quàm à Scoto. Quidquid sit, sanè hæc argumenta non probant actiones distinctas, sed munera distincta cognoscendi, & dicendi.

Ad primum dic, quod intellectio est productio verbi formaliter, aut exactivè, sed non essentialiter, maximè in sententia citata Theologorum, in qua necessitas verbi est tantum ad suppleendam absentiam objecti. Quare cū essentia Divina sit intimè unita beatis, sicut substantia Angeli proprio intellectui; idè in ea sententia,

nec beati, nec Angelus producit verbum. Unde tunc stat cognitio, quæ est actualis productio sine termino, quia non est actualis productio formaliter, sed exactivè, quando scilicet objectum est absens. In sententia autem docente, quod intellectio est formaliter productio, tam beati, quàm Angelus producant verbum: & sic cessat argumentum quoad hoc. In Divinis autem dicit illa sententia, quod non stat intellectio sine productione termini; nam Filius, & Spiritus S. intelligunt per eandem intellectionem Patris; sed in Patre est productio Verbi: ergo in Filio, & Spiritu S. non producentibus, stat intellectio cum productione, non ab ipsis, sed à Patre.

Ad secundum dic, quod intellectio habet diversa munera penes quæ servant ordinem prioris, & posterioris; nam primò est cognitio, deindè dictio verbi, & tandem contemplatio objecti in verbo producto. Hic ordo prioris, & posterioris non probat distinctas actiones, sed distincta munera ejusdem actionis: Ad ultimum dic, eas diversas denominationes oriri ex distinctione verbi ab objecto representato per verbum, vi cujus distinctionis, verbum dicit, non objectum; objectum autem intelligitur, non autem verbum, quod est mediū in quo cognitionis, nõ autem mediū quod. Si ergo distinctio objecti à verbo causet varias illas de-

nominationes, non est aut refundantur in distinctionem intellectio- nis à dictione.

24. Tertia conclusio. *Intellectio est vera qualitas, habens modum actionis; vel formaliter est de predicamento qualitatis, & eminenter de predicamento actionis.* Probat ex D. Thom. 1. p. quæst. 34. art. 1. ad 3. ubi ait; *Quòd intelligere solum dicit habitudinem intelligentis ad rem intellectam, ubi nulla ratio originis importatur; sed quod non dicit originem, non dicit conceptum ab egressum ab agente, qui est formaliter constitutivus actionis, ut dictum est 3. Physic. quæst. 1. ergo intellectio propriè, & formaliter non est actio, sed qualitas perficiens subjectum, vide B. Egid. quæst. 10 de Mensura Angelorum, & locis datis à Nostro Gavar.*

Confirmatur. Actio, ut actio, est via ad terminum; via autem cessat, semel acquisito termino; sed intellectio non cessat post productam verbum; immò tunc perfectius se exercet contemplando objectam in verbo producto: ergo licèt intellectio sit eminenter actio, quatenus producit verbum; at ut intellectio, & perceptio objecti, non est actio formaliter, sed qualitas perficiens intellectum.

Confirmatur secundò. Intellectio, ut indistincta à dictione egreditur ab intellectu, ut causalitas ejus, insuper habet produce-

re verbum, ac tandem illud contemplari in verbo producto; sed intellectio non reddit intellectum intelligentem, quia egreditur, nec quia producit verbum, sed formalissimè, quia per illam intellectus percipit objectum: ergo intellectio ut talis, non est actio, aut productio, sed vera qualitas perficiens intellectum, dicens solam habitudinem intellectus ad rem intellectam, ut ait Divus Thomas,

Explicatur. Si intellectio non esset vitalis, perceptio objecti non peteret egressum à potentia intelligenti; similiter si non esset fecunda ad productionem verbi, non esset productiva illius: ergo quòd sit actio egrediens, non habet ex specifico conceptu intellectiois, sed ex generico vitalitatis ad omnes actus vitales, qui petunt egressum; similiter habet producere ex conceptu generico ad omnes potentias fecundas: ergo conceptus specificus essentialis intellectiois consistit in cognitione, & perceptione spiritali objecti, quæ præsuppositivè petit egressum, quia vitalis est; & concomitanter est productio verbi, quia fecunda est. Restat, quòd sit potius qualitas, quàm actio, vel causalitas productiva termini. Vide plura in Joanne à S. Thom.

25. Ad fundamenta primæ sententiæ posita num. 15. dic. Philosophum loqui de qualitatibus per-

permanentibus, quæ dicuntur habitus. Vnde sensus est actus immanentes non esse qualitates pertinentes ad habitum, sed ad dispositionem. Hoc non est contra nos, qui dicimus, intellectiois esse qualitatem, sed non permanentem, & constitutivam actus primi, ut numero 11. ostensum est, sed esse qualitatem, supponentem actum primam plenè constitutum, & ob id de linea actus secundi, qui debet dici dispositio.

Ad primam confirmat. dic. Philosophum esse pro nobis, ut explicatum est 3. Physicor. quæst. 1. num. 8. Actio immanens dicitur *Grammaticalis*, quia plus habet de nomine actionis, quàm de re. Divisio autem actionis in immanetè, & transeuntem, non est univoca, sed analogica; unde actio immanens non est propria actio, sed qualitas, habens eminentiam actionis.

Ad secundam confirmat. dic; quòd qualitas intellectiois non fit per aliam actionem, ut contendit Suarius, sed per se ipsam dimanat ab intellectu. Nec dimanat ut passio intellectus, sed ut causalitas ejus; quia actiones se ipsis dimanant, nè ad unam actionem detur alia. Intellectio enim, cum sit eminenter actio, dimanat ab intellectu per modum causalitatis, sicut alix actiones. Cur autem non sit propria actio formaliter, patet ex dictis, & ex dicendis statim.

26. Ad secundam fundamentum positum num. 16. dic. intellectiois esse veram, & propriam causalitatem productivam verbi; sed non esse propriam actionem propter duo. Primò, quia actio propriè, & formaliter talis, quæ ponitur in predicamento, est sola via ad terminum, quæ cessat, producto termino; sed intellectio non cessat, producto termino, sed potius perfectiori modo se exercet, contemplando objectum in verbo producto: ergo non est actio formaliter, sed eminenter. Patet consequentia, quia continet totam perfectionem actionis, nempe, producere terminum, sed sine imperfectione; quia non deficit producto termino. In predicamento autem actionis solùm formaliter collocantur actiones formaliter tales.

Secundò, quia actio ut talis, non ordinatur ad perfectionem agentis, sed ad productionem termini, & perfectionem passivi, ut docet Philosoph. 9. metaph. tex. 15. sed intellectio ut talis non ordinatur ad productionem termini, nec perfectionem passivi; nam est perfectio intelligentis, & sic qualitas actuans, & perficiens potentiam. Nec ideo est intellectio, quia producit terminum, sed potius è contra, producit terminum, quia est intellectio fecunda: ergo intellectio non est actio formaliter, sed eminenter.

In hoc assimilatur nostra intellectio actioni Divinæ. Nam si-

Ad hoc dicitur productum ad
 actum, & hinc actiones transeuntes,
 & hinc intellectio formaliter tran-
 sientis, sed eminenter, quia forma-
 liter tenet in Deo, cum ipso iden-
 tificata intellectio nostra pro-
 ducit terminum distinctum, quod ha-
 bet actiones formaliter tales, ce-
 terum quia non cessat productio
 termino, nec est perfectio falsi, sicut
 alie actiones, ideo non est forma-
 liter actio, sed eminenter.

Ad fundamenta secun-
 de sententia posita num. 27. re-
 spondemus, & primo dicimus,
 quod non bene redarguere Tho-
 mas, nam licet in nostra, & co-
 muni sententia intellectio, & ver-
 bum sint duæ qualitates distinctæ,
 non petunt fieri per duas actiones,
 quia qualitas intellectio est si-
 milis eminenter actio, & sic se ipsa
 dicunt ab intellectu sine nova
 actione. Sunt ergo qualitates distin-
 ctæ, sed verbum procedit per intel-
 lectionem, intellectio autem se ipsa
 dicunt.

Ad primum fundamentum
 in favorem Scoti dicitur, intellectio-
 nem se ipsa dicunt ab intellec-
 tu, ut ostensum est. Ad secundum
 patet ex dictis, quod intellec-
 tio, ut cognitio, precedit verbum
 & subsequitur, ut contemplatio.
 Prioritas hæc, & posterioritas non
 arguit distinctas actiones, sed
 distincta munera ejusdem actio-
 nis, ut dicitur est num. 23. Ex his
 ad tertium dicitur, quod diversæ habi-

tudines repertæ in intellectu ad
 subiectam, & ad terminum, non
 arguunt distinctionem entitativam
 aut modalem in intellectu, vi-
 cius differat, ut actio, & non ac-
 tio, sed denotat, quod actio illa
 non exercet munus intellectio-
 nis, quia actio est, sed quia perceptio
 objecti est, percipiens intellectum,
 ut ostensum est num. 24. & se-
 quent. Ad ultimum dicitur, quod in-
 telligere potest separari a dicere in
 sententia admittitur num. 23. quia in
 illa non est productio formaliter,
 sed exactive; at quia nunquam est
 intellectio sine exigentia producen-
 di verbum in absentia objecti, re-
 quiritur, quod nunquam separatur a
 productione exactive, si dicitur
 de accidentibus, quæ etiam sepa-
 rata a subiecto, ut in Eucharistia
 sunt ens in alio exactive. In sen-
 tentia autem contraria, nunquam in-
 lectio separatur a productione,
 ut ibidem dictum est, quod cessat
 argumentum.

Ad argumenta posita
 num. 18. respondemus negando,
 quod intellectio habet quid
 requiritur, ut in se ipso. Et dicitur
 utrumque sit notitia, & utrumque
 manifestet objectum, & utrumque
 est notitia per modum terminum cog-
 nitio autem est notitia per modum
 operationis, ut docet Divus Thomas
 1. 2. q. 34. art. 1. Ex
 hoc discrimine ostenditur, quod
 verbum, quod per modum ter-

termini est notitia objecti, illud re-
 præsentat per modum imaginis, & si-
 militudinis dictæ, & expressæ. Cog-
 nitio autem, quæ est notitia per mo-
 dum operationis, non repræsentat,
 ut imago objecti, sed ut percep-
 tio vitalis activa objecti, contem-
 plati in specie. Quare, cum utrumque
 discrimen confirmet distinctionem
 intellectio- nis a verbo, supra com-
 probatam, cessant omnes sequelæ,
 quæ illatæ sunt ex identitate utri-
 usque.

§. III.

*Designatur objectum intellec-
 tas, & qualiter se habet
 relatè ad singularia.*

Objectum intellectus nostri est
 quidquid est, & sic est om-
 ne ens sub ratione veri; nam
 omne tale est cognoscibile, & sic
 objectum intellectus. In hac latitu-
 dine loquitur P. August. lib. 83.
 q. 32. ubi ait: *Objectum intellec-
 tus, quæque res.* Et q. 31. *intel-
 ligentia est, per quam ea perspicit ani-
 mus, quæ sunt.* Et lib. de duabus ani-
 mabus cap. 5. dicit: *Quidquid est,
 intelligibile est.* Hinc patet, objec-
 tum intellectus esse omne verum,
 quia omne ens, & quidquid est, ve-
 rum est, & sic cognoscibile ab in-
 tellectu, cujus objectum est omne
 verum, sicut objectum voluntatis
 omne bonum.

Si quæras. An falsum perti-
 neat ad objectum intellectus? Vi-
 detur dicendum de mente P. Ang.
 non pertinere, quia nihil est. Ita
 sem. 122. de diversis cap. 5. dicit:
*Qui enim intelligit, verum intelligit,
 qui autem putat falsum, non intelli-
 git.* Et lib. de vera Relig. cap. 34.
 dicit: *Nec quisquam intelligit falsa,
 quia verum esse oportet, quod intel-
 lectu contempletur.* Similiter lib. 83.
 q. 32. *Intellectus non fallitur: aut
 enim intelligit, & verum est, aut si
 verum non est, non intelligit.* Qua
 propter sicut privationes cognosci-
 mus per speciem entis realis, quæ
 privant; sic falsum cognoscitur per
 privationem veri, cui opponitur
 falsum, ut lib. 2. Logicæ diximus
 cum P. August.

30 Licet hæc sic generaliter
 dicta, communia sint apud Philoso-
 phos, est tamen duplex difficultas.
 Prima quomodo sit univocum ob-
 jectum intellectus nostri, si coalescit
 ex Deo, & ente creato, cui nihil
 est univocum? Secunda, quomodo
 Deus clarè visus contineatur sub
 objecto potentie nostræ naturalis?
 Nam cum sit de fide, nostrum in-
 tellectum posse elevari ad videndū
 Deum, restat, ut contineatur sub
 objecto specificativo intellectus nos-
 tri, vel non contineatur. Si conti-
 netur: ergo non indiget elevatio-
 ne intellectus noster ad clarè vidē-
 dum Deum: Patet consequentia:
 quia intellectus virtute propria po-
 test operari circa suum specificati-

vum, nam sic operatur intra propriam speciem, & essentiam. Si non continetur: Ergo non potest elevari ad videndum Deum clarè. Patet consequentia, quia nulla potentia adhuc per elevationem, potest exire extra suum specificativum. Præterquam quod debet assignari ratio, cur intellectus potest elevari ad videndum objectum, quod non continetur inter suum specificativum: & tamen oculus corporeus non potest elevari ad videndum sonum, aut Angelum, & res spirituales.

Præterea: intellectus noster specie differt ab Angelico: ergo debet habere diversum specificativum. Hoc autem non est assignabile, cum omne, quod cognoscitur ab Angelo, sit etiam cognoscibile ab homine. Rursus. Anima nostra pro hoc statu solum potest attingere res materiales, & sensibiles: in statu autem separationis potest directè percipere res spirituales per propriam speciem: ergo diversum objectum habet intellectus noster in statu contractionis ad corpus, ac in statu separationis.

Hæc omnia, quæ longam petunt discussionem, & partim Theologicam, breviter decidemus, Theologis remittentes, quæ sui juris sunt. Pro quo sit.

31. Prima Conclusio: *Objectum adequatum intellectus nostri est ens in tota sua latitudine.* Hæc conclusio comprehendit omne, ad quod intellectus potest se extendere, sive

sive objectum specificativum, sive extensivum, de quo postea. Probat. tur primò ex P. Aug. ubi supra, cujus doctrina intelligitur de objecto adæquato in tota sua latitudine. Ad idem D. Thom. 1. p. q. 79. art. 7. dicens: *Intellectus respicit suum objectum secundum communem rationem entis, eo, quod intellectus possibilis est, quo est omnia fieri: unde secundum nullam differentiam entium diversificatur intellectus possibilis.* Sic etiam B. Ægid. 1. sentent. q. 3. in Prolog.

Et ratione probatur. Illud est objectum adæquatum potentie, quod comprehendit omnia ad quæ se extendit potentia: sed intellectus possibilis est potens cognoscere omne ens, & quidquid est cognoscibile, & est potens juxta Philosophiam fieri omnia intelligibiliter: ergo ejus objectum adæquatum est ens in tota sua latitudine.

Secunda conclusio: *Objectum specificativum intellectus nostri non est ens, ut comprehendit ens reale, & rationis.* Probat. Ens rationis non est attingibile ratione sui ab intellectu nostro, sed ratione entis realis: sed objectum specificativum intellectus nostri debet attingi ratione sui: ergo objectum specificativum non est ens, ut comprehendit entia rationis. Confirmatur. Quod non attingitur ratione sui est objectum secundarium, sed nulla potentia specificatur ab objecto secundario: ergo intellectus non specificatur

atur ab ente rationis, quod secundario attingitur ab intellectu, & ratione entis realis. Hæc omnia constant ex dictis de objecto Logice lib. 1. & de ente rationis toto lib. 2. Logice.

32. Tertia conclusio: *Objectum specificativum intellectus nostri adæquatum est ens reale, ut finito modo attingibile.* Hæc conclusio præcindit à specificativo proportionato, vel improporcionado. Probat. Objectum sic specificativum est illud quod ratione sui est attingibile ab intellectu nostro; sed omne ens reale creatum, vel increatum, est finito modo attingibile ratione sui ab intellectu nostro: ergo ens reale finito modo attingibile est objectum specificativum intellectus nostri. Et confirmatur. Omne cognoscibile ab intellectu nostro, continetur sub objecto intellectus; sed quod ratione sui attingitur, non continetur sub objecto secundario, aut extensivo, de quorum ratione est solum attingi ratione alterius; ergo omne ens finito modo attingibile, si est attingibile ratione sui, est objectum specificativum intellectus nostri.

Quarta conclusio: *Specificativum intellectus nostri proportionatum, est ens reale per proprias vires attingibile.* Si tamen quæras quid sit ens propriis viribus attingibile à nostro intellectu: Respondemus, quod pro hoc statu est quidditas rei materialis; pro statu autem separatio-

nis animæ nostræ, in quo anima nõ intelligit dependenter à sensibus, sed sine phantasmatis, est quidditas rei spiritualis. Ita B. Ægid. loco laudato Prologi in 1. sentent. & communiter Thomistæ, cum D. Thom. Probat. Specificativum proportionatum intellectus nostri est illud, quod virtute propria potest attingere, & distinguit intellectum nostrum ab Angelico; ob id enim dicitur proportionatum; quia propriis viribus, & sine elevatione potest attingi. Rursus. Est proportionatum, quia convenit intellectui nostro, ut distincto ab Angelico, qui in virtute cognoscitiva superat naturam humanam; sed hoc tale est quidditas rei materialis pro hoc statu, quo intelligimus per conversionem ad phantasmata, & cum dependentia à sensibus, unice percipientibus materialia, & corporea: ergo &c.

33. Hinc dissolvuntur difficultates supra tractatæ num. 30. ad 1. dic, quod ens commune Deo & creaturis est analogum, non solum in ratione entis, sed in ratione veri, quia sicut ens à se non potest univoce convenire cum ente ab alio, ita prima veritas cum veritatibus secundis. At ratio illa intrinsecè analogæ, est extrinsecè univoce, quatenus potest præstare speciem extrinsecam, & unitatem specificam potentie specificatæ. Sic dicitur de Methaphysica, quæ est scientia vna in specie, & tamen agit de

ente ut sic, a quo sumit suam ontatatem specificam, quam non habet in ratione entis, sed habet illam extrinsecè, in ratione objecti.

Ad secundam plenè satisfecit Mag. Sancto Thomà 3. de anim. q. 10. art. 3. Cum ipso dicimus, Deum clarè visum contineri sub objecto specificativo nostri intellectus tam motivo, quam terminativo, sed non sub proportionato. Hanc conclusionem late defendit Illust. Illimus Godoy. tom. 1. Theologiæ q. 12. de visione disp. 7. Ex ibi dictis respondemus, quod quando intellectus noster elevatur ad clarè videndum Deum, non elevatur ad operandum extra suum specificativum adæquatum, sed solum extra suam specificativum proportionatum. Hinc fit, quod licet non exeat extra suam specificativum adæquatum, indiget tamen elevatione, quia Deus clarè visus non est attingibilis viribus proprijs ab intellectu creato, & ideo est specificativum improportionatum, non autem proportionatum.

Ad illud, quod objicitur de oculo corporeo respondemus, quod Angelus, & res spirituales non continentur uno modo intra objectum specificativum oculi corporalis, & sic non potest elevari oculus ad videndas res spirituales. Sonus autem, & quæcumque qualitas materialis, quæ non est visibilis, etiam est extra objectum adæquatum specifica-
rum potentie visivæ, & ideo non

potest elevari oculus ad illa videnda. Si dicas: intellectus habet specificativam proportionatum, & improportionatum attingibile viribus proprijs, & viribus alienis elevantibus: cur etiam oculus non habeat duo specificativa, unum attingibile viribus proprijs, & sic proportionatum, aliud attingibile viribus alienis, & sic improportionatum?

Respondetur cum Mag. Sancto Thomà, id provenire ex immaterialitate intellectus, quæ tanta est secundum conceptum genericam intellectus, ut possit percipere quodcumque intelligibile. Cumque alia sint intelligibilia proportionata virtuti naturali, alia improportionata; ideo intellectus noster ratione sue spiritualitatis habet duplex specificativum in adæquatum relatè ad potentiam, nempe proportionatum, & improportionatum. Oculus autem, & quicumque sensus materialis est determinatus ad certum specificativum, attingibile tantum viribus naturalibus. Hæc determinatio sumitur à materialitate, quia est limitatio, & limitatio sumitur à potentialitate. Quare cum sensus communis sit minus materialis, quam sensus externi, ideo se extendit ad species omnium sensuum externorum.

34. Ad tertiam differentiam dic, quod licet intellectus noster, & Angelicus differant specie, conveniunt tamen in specificativo adæquato, ut comprehendit proportionatam, & improportionatam.

Est quia conveniunt in hoc, ideo Godoy ubi supra secundam conclusionem ponit sic. Deus clarè visus non continetur sub objecto specificativo intellectus humani secundum ultimam differentiam illius, bene tamen sub objecto specificante rationem communem intellectui humano, & Angelico. Videatur in Godoy doctrina hujus asserti, quo habes intellectum humanum, & Angelicum convenire in ratione potètiæ, & in ratione generica intellectus creati, cujus specificativum est ens reale finito modo attingibile, ut dictum est conclusione 3. Et quia non differunt in hac ratione, ideo non habent diversum specificativum.

At quia differunt specificè per suas proprias differentias, ideo illis uterisque habent diversa specificativa. Intellectus noster pro hoc statu specificatur à quidditate rei materialis; Et ideo dum intelligit Deum, & Angelos, eos cognoscit ad modum rerum materialium, ne exeat extra suum specificativum. Intellectus autem Angelicus specificatur à quidditate rei spiritualis; Et ideo dum cognoscit res materiales, eas cognoscit ad modum spiritualium. Sic etiam anima nostra in statu separationis, nam intelligit modo Angelicos sine dependentia à phantasmatibus.

Si quæras. De specificativo uniuscujusque Angeli in particulari, qui cum differt specie ab alijs,

debet habere diversum specificativum? Respondetur, quod specificativam propriam intellectus Gabrielis est ipsa substantia spiritualis propria ejusdem, ad cujus imitar reliquas cognoscit. Hinc fit, quod Angeli distincti specie, & ideo inæquales in perfectione, habent inæqualem intellectum, & inæquale objectum specificativum proportionatum. Quare distinctio specifica intellectus Gabrielis à reliquis sumitur subjective à substantia Gabrielis, unde dimanat ut passio, & sumitur objective ab ipsa substantia specificante potentiam intellectivam secundum ultimam differentiam specificam talis potentia. Vide Joannem à Sancto Thomà, ubi supra.

35. Hic quæri potest, an sit possibilis intellectus, aliquorum solum entium cognoscitivus, & ita limitatus, ut non possit cognoscere omnia entia, sed certa, & determinata? Affirmat Pat. Ariaga disputat. 6. de anim. sect. 1. num. 5. ubi faterur, contrariam sententiam esse communem, nec pro sua aliquem citat Authorem. Probat 1. quia nulla est repugnantia in tali intellectu: ergo possibilis est. Antecedens patet, quia nulla ratio efficax adducitur ab authoribus communis sententiæ. Confirmatur. Nam non quilibet potentia materialis potest cognoscere omnia objecta materialia, ut patet in sensibus; ergo non quilibet potentia

spiritualis necessario debet posse cognoscere omnia objecta spiritualia. Patet consequentia, quia sicut se habet potentia materialis ad materialia, ita spiritualis ad spiritualia.

Confirmatur 2. Aliqua res spiritualis potest esse cognoscitiva omnium; aliqua nullius cognoscitiva: ergo non repugnat alia media cognoscitiva tantum aliquotum. Immo aliqua solum apprehensiva alia solum justificativa alia solum immediata intellectiva sine discursu. Advertit, non esse possibilem potentiam pure discursivam, quia discursus fit ex aliquibus propositionibus immediatis, ne detur processus in infinitum.

Dicendam tamen, plene repugnare talem intellectum, & manifeste ostenditur repugnantia sic. Implicat potentia spiritualis cognoscitiva, quae non sit spiritualis, quia implicat rem simul esse, & non esse; sed potentia illa cognoscitiva solum aliquorum entium, esset simul spiritualis, & non spiritualis: ergo est implicatio. Probatur minor. In primis esset spiritualis, alioquin non esset intellectiva, nec cognoscitiva intelligibiliter, & sic non esset intellectus. Aliunde non esset spiritualis: ergo &c. Et minor probatur. Limitatio potentiae cognoscitivae sumitur a materialitate, ut dictum est num. 33. ergo si intellectus ille non esset cognoscitivus omnium, sed aliquorum,

esset limitatus, & sic materialis, quare non esset spiritualis. Ultra hanc rationem sunt alia, quae sicut ostendunt intellectum nostrum esse omnium cognoscitivum, probant de quocumque intellectu.

Confirmatur. Non est possibilis materia prima diversae speciei a materia, quae de facto datur, ut probatum est de mente Aegidij, & P. August. 1. Physicor. q. 6. §. 5. quare non est possibilis materia, quae non sit receptiva omnium formarum: ergo non est possibilis intellectus, qui non sit cognoscitivus omnium entium. Probatur consequentia, quia sicut materia est pura potentia in genere physico, ita intellectus est pura potentia in genere intelligibili; sed propter primum non est possibilis materia determinata ad certas formas: ergo nec est possibilis intellectus determinatus ad certa intelligibilia. Confirmatur 2. Iuxta P. August. materia prima est prope nihil, & taliter infima in genere entis, ut non sit possibilis materia inferior; sed nec intellectus in linea intellectiva tenet infimum gradum: ergo non est possibilis intellectus inferior. Sed ille intellectus cognoscitivus tantum aliquorum entium, esset inferior, quia esset magis potentialis, limitatus, & ferè materialis, sicut sensus nostri: ergo est implicatio.

Hinc ad objecta respondemus. Ad primum nego antecedens. Constat enim satis clare ob rationes

dictas, & alias omittas, repugnans talis intellectus. Ad 1. Confirmationem, concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas sumitur ex probatione nostra. Limitatio ad certa objecta provenit a materialitate: ergo quia sensus nostri materiales sunt, ideo nullus potest percipere omnia objecta materialia, sed certa, & determinata. Intellectus autem spiritualis est, quod si non esset, non foret intellectus: ergo implicat, quod sit limitatus ad certa objecta, sicut implicat, quod sit simul potentia spiritualis, & materialis.

Ad 2. confirmat. concessio antecedenti, nego consequentiam. Intellectus noster est potentia spiritualis cognoscitiva omnium; voluntas autem est nullius cognoscitiva, quia est potentia spiritualis pure affectiva: quare sicut implicat potentia media spiritualis, quae sit simul cognoscitiva, & affectiva, vel quae nec sit cognoscitiva, aut affectiva; ita implicat potentia de qua est questio. Vel dic secundum, quod in potentijs cognoscitivis omnium, & nullius cognoscitiva, sed pure affectiva, nihil datur repugnans; datur tamen repugnantia potentiae aliquorum solum cognoscitivae, ut ostensum est. Ad ultimam dic, forsan non repugnare potentiam pure apprehensivam quia operatione intellectus non attenduntur pure secundum spiritualitatem potentiae, sed secundum lumen ad

dicum potentiae, quare melius apprehendit, judicat, & discernit, qui habet magis lumen. Non implicat forsan intellectus, qui ratione luminis sit determinatus ad solum simplicem apprehensionem omnium entium. Sed observa. Quod sicut discursus supponit apprehensionem primorum principiorum, ita iudicium apprehensionem terminorum: ergo sicut, teste Ariaga, implicat potentia pure discursiva, ita implicat pure iudicativa, quae non sit simul apprehensiva terminorum.

36. Hic quaeritur de intellectu nostro potente omnia cognoscere, quid sit ejus primum cognitum? De hoc egimus in Proemio Physicæ q. 2. proemiali §. unic. ubi decisum est cum P. August. Div. Thom. & B. Aegid. primum cognitum ab intellectu nostro esse universale, ita ut cognitio nostra incipiat ab universalioribus, & descendat ad singularia. Ibi promissimus, quaestionem istam hic amplius elucidare, sed praesens temporis non possumus promissa adimplere. Quae enim loco citato dicta sunt, & si breviter, sufficiunt tamen ad sciendum quid in presenti quaestione tenendum sit de mente nostro D. D.

37. Quaeritur etiam, an intellectus noster pro hoc statu cognoscat directe singularia? Lis magna est de hoc quaestio inter Scotum, & D. Thom. Scotus in 4. sentent. dist. 45. q. 3. docet, singularia cognosci directe ab intellectu nos-

tro per speciem rei singularis materialis directè, & propriè illam representantis. Scotum sequuntur omnes sui, & ex modernis Suanus lib. 4. de Anima cap. 3. disp. 6. Metaphysicæ sect. 6. Rubio, Valencia, & alij.

Probat hęc sententia multipliciter. Primò, quia intellectus format propositionem ex singulari, & univèrsali termino; v.g. *Petrus est homo*: ergo concipit utrumque extremum proprio conceptu. Præterea, intellectus distinguit hominem à Petro: ergo utriusque habet distinctam cognitionem. Patet consequentia, quia nemo discernit inter incognita. Et ob id Philof. 3. de Anima cap. 2. tract. 145. & seqq. ait, quòd nulla potentia discernere valet inter duo, nisi utrumque noverit; Sed intellectus verè discernit inter singularia, dicens: *Petrus non est Paulus*: ergo utrumque directè cognoscit.

Tertiò, Prudentia versatur circa singularia, scilicet, hoc, aut illud esse prosequendum, aut vitandum; sed prudentia est virtus intellectualis: ergo intellectus directè versatur circa singularia. Quartò, Fides divina sæpè est singulariù, ut quòd Beata Virgo est Mater Dei, quòd Christus est passus; sed Fides est virtus intellectualis: ergo intellectus &c. Quintò, Caritas ad singularia materialia tendit; sed Caritas est in voluntate, quæ sequitur intellectum: ergo intellectus proprio

actu concipit singularia. Tandem datur ratio à priori. Nam intellectus est univèrsalis potentia superior, & potens ad omnia, quæ possunt inferiores sensus, illos dirigens, & illorum errores corrigens; sed sensus percipiunt singularia: ergo multò melius intellectus.

38. Ultra has rationes, alias adducit B. Egidius in Defensorio D. Thom. ad 1. p. art. 2. quibus Corruptor erroris insinuat doctrinam D. Thom. contra quam arguit sic. Primò, quia secundum eam animæ separata, & Angeli in patria non cognoscerent Christum intelligibili cognitione; sed hoc est contra illud Ioann. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum.*

Secundò, quia hoc est contra August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 12. & contra rationem Philophorum, dicentium: *Ita mentis aspectu intelligentia videri, & sensu corporis corporalia; ut nec intelligibilia per corpus, nec corporalia se ipsam mens valeat intueri.*

Tertiò, ut dicit Seneca in Pto verbis: *Peccatum est actio voluntaria; sed actiones singularium sunt ergo peccatum actio singularis est; & hoc aliquando circa objectum quod non per sensus, sed per intellectum apprehendi potest. Si ergo intellectus non cognoscit singularia: ergo non potest poenitere, nec se corrigere de tali peccato. Patet con-*

consequentia, quia quòd homo non cognoscit, nec potest corrigere, nec de illo poenitere. Ob id Seneca ad Lucillum dicit: *Innum salutis est notitia peccati; qui enim in peccatum non cognoscit, corrigi non vult; nec huiusmodi peccatum potest corrigere, nec de eo poenitere.*

Quartò, Si intellectus non cognoscit singularia, tunc non poterit facere propositionem aliquam, in qua sit res singularis; & ita nec poterit syllogizare. Rursum, non posset ex multis singularibus colligere unum univèrsale; nam ex incognitis non potest cognoscens intentionem cognoscibilem abstrahere.

Tandem, non posset intellectus invenire, & determinare rectam rationem agendorum; cum omnis actio sit singularium, & circa singularia; ergo frustra esset consilium, & deliberatio, quod stultissimum est dicere.

Contraria sententia est D. Thomæ 1. p. q. 86. art. 1. ad 3. & varijs locis, quem sequuntur Thomista communiter, sed præ cæteris Magister Sancto Thoma q. 10. de Anima art. 4. vbi detegit varios errores circa intelligentiam sententiæ D. Thomæ, & vitat doctrinam singulari, quæ habetur in B. Egid. quodlib. 5. q. 28. ad explicandum, quomodo anima separata, quæ non intelligit per conversionem ad phantasmata, possit cognoscere singularia, iuxta illud

Lucæ 16. vbi dicitur, quòd dives iste in tormentis positus, Abraham, & Lazarum recognovit, & quinque fratres se habere recordatus est: quòd sine cognitione particularium esse non posset. Quia ergo doctrina Ioannis à S. Thoma est plenè Egidiana; idcirco ad præsentem omitemus ob brevitatem, in prælaudato Authore requirantur.

Observa, quòd D. Thomas non negat absolute, quòd intellectus noster cognoscat singularia, verò sò illi imposuit Corruptor, & videntur supponere argumenta prioris sententiæ. Quare B. Egidius in Defensorio dicit: *Vnde patet ex his, quæ hæc dicit Thomas, nempe 1. p. q. 86. art. 1. quòd non intendebat dicere supra q. 14. art. 11. in responsione primi argumenti, quòd intellectus noster nullo modo cognoscit singulare, sed solum, quòd non cognoscit singularia rerum materialium primo, & directè: vnde dicit ipse in ista q. 86. art. 11. in resp. ad 3. quòd singulare non repugnat intelligibilitati, in quantum singulare, sed in quantum est materiale, quia nihil intelligitur, nisi immaterialiter (& idè dicit) quòd singulare, quòd non est materiale, cuiusmodi est intellectus hominis, non repugnat intelligibilitati intellectus nostri.*

40. Supposita mente D. Thomæ, probatur directè de mente ipsius 1. p. q. 78. art. 4. ad 2. quòd intellectus noster cognoscit singularia

laria. Potentiā perfectē discernens inter duo obiecta, propriē, & perfectē cognoscit utrumque; sed intellectus noster etiā in hoc statu perfectē discernit inter universale, & singulare, & utrumque ad invicem comparat: ergo perfectē, & propriē utrumque cognoscit. Minor patet, tūm experientia, tūm in cognitione attingente singularia, ut subijcibilia speciei prædicabili. Tūm in pluribus propositionibus, quas de singularibus format, præfertim, cūm Eides divina residens in intellectu, sit de pluribus singularibus à Deo revelatis. Tūm in intellectu practico, qui non dirigeret ad operationem hanc, vel illam in singulari, nisi illam perfectē cognosceret: ergo intellectus cognoscit omnia singularia, non minùs quàm sensus, licet non nisi eminentiori modo, postea explicando.

41 Secundò supponendum est contra Caietanum 1. p. q. 86. art. 1. & Capreolum in 1. sententiar. dist. 3. q. 2. quòd intellectus non cognoscit singularia tantum confusè, sed etiā propriē, & clarè per conceptum proprium, & distinctum singularium. Ità docuit de mente D. Thomæ Ferrara 1. contra Gent. cap. 65. circa octavam rationem. Bañez 1. p. q. 86. art. 1. dub. 2. Ioannes à S. Thoma ubi suprà. Probatum ratione Divi Thomæ, quia intellectus cognoscit singularia, ut sunt extrema propo-

sitionum, quas format, & secundum quòd unum singulare discernitur ab alio; v. g. in his propositionibus: *Petrus est homo, Petrus non est Paulus, Ioannes non fuit Christus.* Sed si extrema illa non cognoscuntur determinatè, & conceptu distincto, sed in confuso pro aliquo homine, non certificabitur intellectus de illa veritate determinatè; nec poterit discernere unum individuum ab alio; nam non discernuntur per rationem confusam, in qua omnia conveniunt: ergo intellectus distinctè, & determinatè singularia cognoscit.

Adverte, quòd singulare potest dupliciter cognosci, nempe, in actu signato, & in actu exercito. Signatè cognoscitur, quando cognoscitur quidditas singularitatis, quæ etiā habet suam essentiam. Exercitè attingitur, quando cognoscitur singularitas, ut singularizans, & sub conditionibus singularibus, & materialibus modificat. Dubium non procedit de singulari signato, sed de exercito: & in sententia D. Thomæ supponendum est, quòd singulare cognoscitur, & propriē, & distinctè cognoscitur ab intellectu nostro, ut patet ex dictis. Hinc tota controversia est in modo cognoscendi, an, scilicet, cognoscatur directè, & per propriam speciem directè representantem singularitatem exercitam? Afirmat Scotus cum DD. primæ sententiæ, negat D. Thomas, cum quo

quo Thomæ, & Egidiani asserentes, singularia cognosci indirectè per conversionem intellectus suprà phantasmata.

Tandem observa, quòd sententia D. Thomæ de cognitione tantum indirecta singularium plenè est dicere, quòd intellectus pro hoc statu dependet à phantasmate in omni cognitione sua: sed ut vidimus q. 5. §. 3. hæc dependentia docetur à ferè omnibus Philosophis, etiā Scotis cum Subtili Doctore in 4. sententiar. dist. 45. q. 2. ergo non est, cū in presenti refugiant sententiam D. Thomæ. Maior expressè demonstratur à Ioanne à Sancto Thoma ubi suprà.

42 Sit nostra conclusio: *Intellectus noster pro hoc statu non potest directè, & primò cognoscere singularitatem in rebus materialibus.* Ità D. Thomas 1. p. q. 86. art. 1. cuius conclusio dicitur evidentè vera à B. Egidio in Defensorio. Rationem D. Thomæ proponit B. Egidianus sequentibus verbis.

Principium singularitatis in rebus materialibus est materia individualis: Intellectus noster intelligit speciem intelligibilem abstrahendo ab huiusmodi materia; quod autem à materia individuali abstrahitur, est universale: vnde intellectus noster directè non est cognoscitivus, nisi universalium. Indirectè autem, & quasi per quandam reflexionem potest cognoscere singularia: quia per species intelligibiles universales, quas abstrahit, non potest

actu intelligere, nisi convertendo se ad phantasmata singularium, in quibus species intelligibiles intelligit, ut in 3. de Anima. textu. 39. dicitur.

Explicatur ad nostram formam, ratio D. Thomæ: Intellectus nihil intelligit, nisi per species acceptas à phantasmatibus; sed species illæ non representant singulare, sed universale: ergo directè non cognoscit intellectus noster singularia. Probatum minor. Species illæ sunt abstractæ ab omni materialitate, & sic representant obiectum denudatum ab omni materialitate; sed singularitas exercita est materialitas, quia sumitur à materia in rebus materialibus; ergo species sic denudata representat obiectum sine singularitate, & sic non representat singulare, sed universale.

Iam verò cognitio indirecta singularium, & per reflexionem probatur sic. Intellectus pro hoc statu nihil cognoscit sine conversione ad phantasmata singularium: sed conversio ista est quædam reflexio, quæ communiter dicitur conversio ad phantasmata; & per talem conversionem, aut reflexionem cognoscit clarè, & distinctè singularitatem exercitam: ergo intellectus indirectè, & reflexè cognoscit singularia.

Confirmatur ratio D. Thomæ. Tunc obiectum incipit pertinere ad intellectum, quando incipit esse intelligibile, & discerni ab obiecto

sensibili: sed obiectum sensibile est res singularis; & materializata per conditiones individuantes; obiectum autem intelligibile est quidditas, & substantia rei denudata à singularitate, & conditionibus individuantibus: ergo obiectum directè attactum ab intellectu nostro non est res singularis, & individualis, sed quidditas universalis abstracta à singularitate. Maior patet, nam, cum intellectus, & sensus sint potentie distinctae, debent habere obiecta diversa; & sic obiectum, quod primò cognoscitur per sensus, vt quid sensibile, debet discerni à sensibilitate, dum incipit esse intelligibile. Minor est expressa in Philosopho 1. Physicor. textu. 46. vbi ait, quòd universale est notum secundum rationem, singulare secundum sensum.

Confirmatur ex D. Thoma 2. 2. q. 8. art. 1. vbi ait: *Dicitur intelligere, quasi intrus legere: & hoc manifestè patet considerantibus differentiam intellectus, & sensus; nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat vsque ad essentiam rei, obiectum autem intellectus est quod quid, vt dicitur 3. de Anima.* En intellectus dicitur talis, quia cognoscit res secundum quidditates, & non secundum exteriora individuantia, & singularizantia, quae pertinent ad sensus; sed hoc idè; quia cognoscit per speciem denudatam à conditionibus

materiae, & sic cognoscit quidditatem rei sine eius singularitate: ergo cognitione directà non attingit singularia, sed vniuersalia, & quidditates rerum.

Dices, singulare etià reddi intelligibile, quatenus representatur per speciem spiritualem, & modo spirituali, quòd non fit in sensu. Secundò. Quidditas rei non potest esse obiectum intellectus, quia non semper intelligimus quidditates, sed raro, & difficulter. Præterquamquòd, qui interiora penetrat, etià exteriora attingit; sicut qui intelligit essentiam, etià cognoscit passiones eius, & accidentia. Tandem, intellectus Angelicus respicit etià interiora rei, & quidditatem; sed hoc non obstat, vt indirectè attingat etià individua, vt docet D. Thomas 1. p. q. 57. art. 2. ergo nec debet obstat, quòd intellectus nolter feratur in quidditatem, vt directè cognoscat singularia.

Contra. Nam quod specificat, & discernit potentias, est obiectum representatum, non autem entitas speciei: ergo si obiectum sensus, & intellectus est idem singulare, licet per diversas species materialiam, & spiritualem representatum, nulla erit distinctio intellectus à sensu. Et vrgetur. Dum per speciem spiritualem tuam representatur obiectum sensus, vel manet sub eadem materialitate, & sub eisdem conditionibus, sub quibus erat

erat obiectum sensus, vel non. Si non manet, ergo relinquit illas, & sic non feratur intellectus in illas, sed abstrahit ab illis. Hoc intendimus, nempe, quòd singularitas relinquitur, & non attingitur directè ab intellectu. Si manet obiectum sub eadem materialitate: ergo non redditur obiectum intellectus, quòd erat obiectum sensus. Patet consequentia, quia potentia non specificatur ab entitate speciei, sed ab obiecto representato: ergo si obiectum representatum per speciem spiritualem est materiale, & singularizatum, qualiter specificat potentiam sensitivam, non specificat intellectivam.

Contra secundum adest, quòd, licet intellectus non semper intelligat quidditatem rei, semper tamen intelligit ad modum quidditatis; quia ex modo suo conatur interiora penetrare de qualibet re, vt vidimus ex Diuo Thoma. Hoc constat ex modo cognoscendi per abstractionem rei à conditionibus materialibus; sed res abstracta à conditionibus materialibus manet secundum quidditatem, vel ad modum quidditatis: ergo quiddid intellectus intelligit, vel est quidditas, vel est per modum quidditatis.

Contra tertium dic, tantum probare, quòd intellectus etià cognoscit singularia: saltè indirectè, & hoc non negamus, quia nihil est cognoscibile, quòd ab intellectu non cognoscat directè, aut

indirectè. Cognoscens essentiam, cognoscit etià directè passiones, & proprietates, quia possunt directè representari per speciem. At singularitas rei materialis non potest representari directè per speciem abstractam à conditionibus materiae: ergo cognoscens directè essentiam rei materialis, non potest directè cognoscere singularitatem, sed indirectè, & per conversionem intellectus ad phantasmata; vt probatum est.

Contra quartum habet B. Egidius integram quæstionem 9. de cognitione Angelorum, vbi quinque rationibus probat, Angelum cognoscere singularia, quæ non potest homo directè cognoscere: quare nulla sit paritas ex Angelo ad nos, propter multiplicem disparitatem. Pro nunc ex B. Egidio respondemus, quòd Angelus in verso modo cognoscit, ac nos. Nostra enim cognitio incipit à sensibus, & ab eis abstrahitur species nature vniuersalis, quam cognoscit intellectus, & per reflexionem convertitur ad cognoscendam singularitatem. Angelus autem primò incipit ab vniuersalibus, & directè tendit in cognitionem singularem per varias conversiones supra speciem intelligibilem. Præterea: Angelus habet species inufas directè representantes rem, vt est in se; sed res in se, & in propria natura sunt singulares: ergo Angelus directè cognoscit singularia. Ani-

ma nostra non habet species infusas, sed acquisitas per sensus, & abstractas per intellectum agentem à singularitate, & conditionibus materiæ. Ista species directè representant naturam, non ut est in se, sed ut est in specie, ubi est sine singularitate: ergo anima nostra per hanc speciem non cognoscit directè singularia.

Præterea, Angeli habent species derivatas ab ideis divinis, & sic representantes, quidquid est in re: quare totum directè cognoscitur ab Angelo. Nostræ autem species derivantur ab intellectu agente, denudante obiectum à singularitate, & conditionibus materiæ: ergo non possumus cognoscere directè, nisi obiectum sine singularitate. Præterea, Lumen Angelicum est ita forte, ut per speciem inditam penetret usque ad singularitatem obiecti. Nostrum autem lumen est ita debile, ut tantum, & difficulter accipiat, quod representatur directè per speciem. Directè autem non representatur singularitas. Vide *Ægidium* q. citata.

Ad argumenta contrariæ sententiæ posita n. 37. respondetur. Et ad primum dic, nihil probare: nam, ut intellectus formet propositionem de subiecto singulari, sufficit, quod distinctè, & propriè cognoscat singularia. Hoc non negat D. Thomas, nec veri illius Interpretes, & discipuli, ut n. 41. ostensum est. Quod si Caietanus

aliter sentit, non bene audit apud Thomistas; nec est, cum tribuatur D. Thomæ, quod præter mentem est Angelici Magistri. Idem dic ad reliqua obiecta n. 37. Nam omnia probant, quod intellectus cognoscit singularia propriè, & distinctè; quod totum concedimus. Negamus autem, quod intellectus cognoscat directè singularia, & sine reflexione, aut conversione ad phantasmata. Cæterum hoc non probatur ullo argumento ex positis n. 37.

Sola ultima ratio à priori poterat probare. Sed infirmatur, quia, licet intellectus possit omnia cognoscere, quæ cognoscit sensus, non tamen sub eadem ratione formali specificativa potentiæ; alioquin intellectus, & sensus non essent potentiæ distinctæ: ergo sub diversa ratione formali obiectum sensus est obiectum intellectus. Sed obiectum sensus est tale relatè ad sensum, quia singulare, & materiale: ergo relatè ad intellectum debet esse universale, & sine singularitate. Sic probat ratio à contrariis adducta, sed est plenè pro nobis.

Ad rationes adductas n. 38. respondetur ex B. *Ægidio* in *Defensorio*. Ad primum nego maiorem, nam Angeli, & animæ separate vident Deum per essentiam, quæ est summè immaterialis, & est ratio cognoscendi omnia, sicut sunt in se: ergo in essentia divina cognoscunt Christum, non solum ut Deum,

Deum, sed ut hominem; & in eadem essentia cognoscant quæcumque intelligibilia.

Ad secundum dic, quod P. Augustinus intendit, nostrum intellectum intelligere materialia, & sensibilia. Virtus enim cognoscitiva superior potest omnia illa, quæ potest inferior, sed altiori modo sibi congruo. Quare illa, quæ cognoscuntur à sensu sub conditionibus individuantibus, cognoscuntur ab intellectu per abstractionem ab his conditionibus, & sic sine singularitate.

Ad tertium dic, quod actio inferior, cum sit spiritalis, cognoscitur directè ab intellectu nostro. Nec hoc negat D. Thomas, qui solum loquitur de singularitate rei materialis, ut patet ex 1. p. q. 86. art. 11. ad 3. ubi ait: *Quod singulare non repugnat intelligibilitati, in quantum singulare, sed in quantum est materiale*. Et addit: *Quod singulare, quod non est materiale, cuiusmodi est intellectus hominis, non repugnat intelligibilitati intellectus nostri*. Actiones autem corporales cognoscuntur indirectè ab intellectu nostro, sed clarè, & distinctè; quare potest de illis dolere, & pœnitere.

Ad quartum patet ex dictis. Intellectus enim distinctè cognoscit singularia, licet indirectè, & per reflexionem: Nec amplius requiritur ad propositiones, & syllogismos de re singulari. Ad aliud negamus suppositum, supponitur enim,

quod ante cognitionem universalis cognoscit intellectus singularia, & hoc est falsum. Universale enim cognoscitur per speciem factam ab intellectu agente; ante cuius actionem nulla datur species intelligibilis, & sic nulla datur cognitio. Quomodo autem intellectus possibilis formet speciem naturæ universalis abstractæ à multis singularibus, dicemus infra. Ad ultimum patet ex dictis, nam supponit falsum, nempe, quod intellectus nullo modo cognoscit singularia.

47 Adhuc restat aliud dubium, nam quæstio decisa est de cognitione, quæ fit per species formatas ab intellectu agente. Cæterum, cum iuxta D. Thom. 1. p. q. 12. art. 9. intellectus possibilis possit formare alias species ex præconceptis speciebus, quæ manent in memoria, ut suo loco videbimus cum P. Augustino; dubium est, an per tales species possit cognoscere directè singularia. Rem explio sic. Postquam intellectus cognovit Petrum indirectè, & produxit verbum, vel speciem expressam Petri, quæ servatur in memoria: Postquam similiter cognovit Paulum, & eius speciem expressam reposuit in memoria: Postquam cognovit etiam alia individua, quorum species retinet; & à quibus potest abstrahere naturam universalem communem omnibus, & de illa formare speciem expressam: quærimus, an per istam

tam speciem expressam cognoscat directè singularia? Respondemus negativè.

Probat, quia species illa sic formata est immaterialis: ergo debet representare modo immateriali, secundum leges representationis immaterialis; sed modus representationis immaterialis est cum abstractione, & segregatione à conditionibus materialibus, & singularitate materiali: ergo species illa non representat directè singularitatem, sed indirectè, & sic cognoscitur. Et confirmatur, quia species illa est expressio primæ cognitionis, qua formata est; id enim exprimitur per verbum, quod cognoscimus, & sicut cognoscimus; sed prima cognitio, unde sunt tot species expressæ singularium, non cognoscit directè singularia, sed indirectè: ergo species omnes formatae non representant directè singularia, sed indirectè.

48 Quæres etiam, quomodo anima separata cognoscat singularia, quæ in hac vita cognovit, ut dicitur Lucæ 16. ad divitem Epulonem: *Recordare, quod recepisti bona in vita tua.* Et ipse recordabatur, se habere quinque fratres. Dubium est, quomodo sic cognoverit. Nam si cognitio illa sit per species, quas in hac vita habuit, illæ non videntur sufficere. Primò, quia non representant singularia directè, ut probatum est. Aliundè non possunt deservire ad

cognitionem indirectam; quia hæc fit per conversionem ad phantasmata: Anima autem non habet phantasmata, nec sensus corporales, ad quos convertatur. Nec dici potest, animam talia intelligere per novas species a Deo infusas. Quia licet hoc sit possibile; at huiusmodi cognitio non est recordatio, quæ fit per novam conversionem intellectus supra speciem repositam in memoria; etiam primò acquisite. De anima autem Epulonem dicitur, quod fuerit recordata.

Respondetur, quod species illa habita in hac vita non solum representat rem, quam cognovit anima, sed etiam reflexionem eius, quam habuit in hac vita, ad phantasmata, in quibus singularia representabatur. Representat etiam affectus inde secutos in voluntate, & reliqua omnia connotata, quæ explicabatur in illo conceptu formato, dum vixit. Quare, licet animam retinens eas species post separationem à corpore, non possit converti supra phantasmata, potest tamen indirectè cognoscere, & verè recordari singularium, quæ in hac vita cognovit, quatenus species retenta representat reflexionem, & conversionem, quam habuit in hac vita. Vide de hoc B. Aegidii.

dium quodlib. ci.

tato.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An sint, & quid species intentionales?

§. I.

Probat, earum existentia, & necessitas pro omni potentia cognoscitiva.

QVÆ de speciebus intentionibus dicenda sunt, partim conveniunt sensibus externis, & internis, partim intellectui possibili, quia etiam videtur talibus speciebus: quapropter hæc de utrisque differendum est, eo solum notato, quod species deservientes sensibus internis, & externis, materiales sunt, sicut sensus, quibus deserviunt: quæ verò intellectui uniuntur, spirituales sunt, sicut intellectus, alioquin ipsi non possent uniri. Quia autem disertatio de speciebus præcipue instituitur propter species intellectuales, idè de illis erit specialis cura, licet incidentè quædam dicemus, etiam de sensibilibus. De omnibus quaeritur, an sint, quid sint, & ad quid deserviunt. Inde plura, & difficilia excitantur dubia. Nos autem unice pro dignitate tractabimus sequentes quaestiones, nempe, an species

sit formalis similitudo objecti, an etiam concurrat efficienter ad intellectionem. In presenti quaerimus, an dentur species tales, quod est inquirere, an sint necessariae? Si enim potentia cognoscitiva illis non indiget, frustra darentur, & sic non darentur, quia natura nihil facit frustra.

Negant species intentionales, quotquot asserunt ad cognoscendum obiectum, non esse necessariam coniunctionem obiecti cum potentia cognoscente. Citatur Galenus à D. Gregorio Nissenò lib. de Viribus animæ cap. 2. pro hoc asserto. Seneca lib. 1. naturalium quaestion. Porphyrius de sensu, & tribuitur Platoni. Eidem subscribunt Ochamus 2. sententiar. q. 17. & 18. Gabriel, & Durandus dist. 3. q. 6. licet dist. 13. q. 2. aliquas species intentionales concedat.

Probat, primò, quia terminus

actionis non prerequisite ad actionem, ut propterea debeat esse coniunctus agenti; sed obiectum cognoscibile est terminus cognitionis: ergo non prerequisite. nec debet uniri potentia cognoscitiva ante cognitionem. Secundò, vel necessarium esset obiectum coniungi potentia secundum suam esse reale, vel secundum illius similitudinem: Non primum, nam intellectus cognoscit hominè, quem realitè non habet intra se. Rursus, de sensibus dicit Aristoteles, quòd super eos positum sensibile non causat sensationem. Non etiàm secundum, quia species ista, quæ dicuntur similitudines obiecti, factis videntur.

Confirmatur, quia, licet relatè ad sensus necessaria sit coniunctio obiecti cum potentia, vel per se, ut in tactu, & gustu, vel per sui similitudinem, ut in visu; at pro intellectu non est necessaria talis coniunctio cum obiecto: ergo species intelligibiles superflua sunt. Probatur antecedens. Licet visus non possit videre, nisi excitetur ab obiecto, & ob id sit necessaria coniunctio obiecti cum potentia, at intellectus, cum sit spiritalis, non potest excitari ab obiecto materiali, nec hoc est necessarium, quia excitatur à cognitione sensuum. Per hoc enim, quòd eadem anima sit, quæ sentit, & intelligit, si quid apprehendit per sensum, statim excitatur ad cognoscendum

ex alijs per intellectum. Rursus, Indifferentia intellectus ad cognoscenda varia obiecta, satis determinatur per cognitionem sensus, sicut per illam satis excitatur. Hæc opinio, ut monet Suarez, excogitata videtur ad fugiendas difficultates, quæ occurrunt in productione specierum intelligibilibus. Pro ea stant Durandus, Henricus, & Baconius.

Sic prima conclusio. *Unio obiecti cum potentia necessaria est in omni cognitione.* Ità communis sententia Theologorum, & Philosophorum, qui in potentijs cognoscitivis ponunt similitudines quasdam obiectorum, ut per illas obiecta uniantur potentijs. Ista vocantur species intentionales; species, quia sunt formæ repræsentantes: intentionales, quia, licet sint entia realia, deserviunt cognitioni, quæ dici solet intentio. Ità Aristotel. 2. de anima cap. 12. & 3. cap. 1. Divus Dionysius 7. de Divinis nominib. asserit, Angelos plenos esse à principio speciebus rerum omnium. P. Aug. lib. 2. de Genesi ad literam docet, Deum produxisse res omnes in se ipsis, & iterum in intellectibus Angelorum, dando illis similitudines earum.

P. Augustinus earum specierum existentiam, quam dicit tardioribus ingenijs difficillimè persuaderi, probat lib. 11. de Trinit. cap. 2. dicens: *Ratione colligimus, nequaquam*

quædam nos potuiss. scire re, nisi fieret in sensu nostro. ut qui similitudo conspectus corporis. Tardioribus hoc ing. n. j. difficillimè persuaderi p. test. formari in sensu nostro imaginem rei visibilis, eam eam videmus. Quod late proficitur, & experientijs probat. Ad idem lib. 12. de Genesi ad literam cap. 6. dicit: Homo, vel arbor, vel sol, & quæcumque alia corpora, sive caelestia, sive terrestria, & presentia videntur in suis formis, & absentia cogitantur imaginibus animo impressis, & faciunt duo genera visionum, unum per corporis sensus, alterum per spiritum, quo illa imagines continentur.

Probatur secundò inductione, & exemplis. Potentiæ cognoscitivæ quædam cognoscunt intuitivè, id est, obiecta sibi presentia, ut sensus externi, alij cognoscunt abstractivè, id est, obiecta absentia; sed in utroque genere potentiarum est necessaria coniunctio obiecti cum potentia ad cognoscendum: ergo tenet conclusio nostra, & inde necessitas specierum probatur. Probatur minor, & primò de sensibus externis. Nam tactus, & gustus requirunt obiecta materialitè coniuncta, vel per se ipsa, vel media specie immutante potentiam, ut dictum est lib. 2. q. 5. in 2. q. qui inter omnes sensus externos percipit obiectum magis distans, multis experimentis cognoscitur, habere species provenientes ab obiecto. Ut enim

lib. 2. q. 3. §. 3. dictam est, visio non fit per emissionem radiorum: ergo fit per receptionem speciei immixta ab obiecto. Aliter, quomodo posset oculus percipere Solem, & alia summè distantia, nisi vel per emissionem radiorum pertingeret usque ad altra, & hoc, ut impossibile reiectum est; vel per receptionem specierum, quæ ab Astris, & alijs visibilibus impinguntur. Vide dicta loco citato.

Ob id P. Augustinus lib. 12. de Genesi ad literam cap. 11. dicit: *Cum aliquid oculis cernitur, continuo fit imago eius in spiritu, sed non dignoscitur facta, nisi cum ablati oculis ab eo, quod per oculos videbamus, imaginem eius in animo invenimus.* Et cap. 16. de auditu, qui etiàm distantes sonos percipit, ait: *Itemque in auditu, nisi auribus perceptæ vocis imaginem continuo spiritus in se ipso formaret, ac memoria retineret, ignoraretur secunda syllaba, an secunda esset &c.*

Confirmatur alijs experientijs visualibus, nam visus est sensus, undè efficacitè præ cæteris probantur species. Sæpè nos videmus in pupilla alterius; nec posset accidere, nisi aliqua imago me ipsam repræsentans, impressa esset in alterius pupilla. Similis experientia est de speculo, ubi videmus obiecta, quæ sunt à tergo; sed illa obiecta non possunt videri à tergo; nisi per speciem immixtam, & in speculo refractam; nam oculo

lus non videt in se, nisi obiecta, quæ habet coram se: ergo si videt in speculo obiecta, quæ habet à tergo, ea videt per speciem, & similitudinē obiecti. Præterea, Obiectum propinquum apparet, quantum est; distans autem apparet minus, sed hoc causatur, quia aliter, & aliter emittit species distans, & indistans: ergo &c. Tandem, perspectivi demonstrant varias immutationes obiectorum, medijs perspectivillis, quibus obiecta iam parva, iam magna apparent; iuxta diversam crystalli dispositionē, quæ varia refractio fit specierum: ergo dantur tales species; & illis medijs, unitur potentia cum obiecto.

3. De potentijs abstractivè cognoscētib; probatur etiā experimento. Nam sensibus externis omninò quiescentibus, vt in somno, experimur intrā nos rerum imagines obversari, quibus res ipsas internè attingimus; ac si præsentees forent; sed illæ imagines nihil aliud sunt, quàm species intentionales rerum; non enim sunt res ipsæ in suo esse naturali existentes: ergo manifestè dantur. Accedit, quod in nobis datur memoria, & reminiscētia, tum eorum, quæ percipimus per sensus externos, vel inter nos, tum eorum, quæ per intellectum cognovimus; sed hæc reminiscētia non stat sine speciebus obiectorum: ergo &c. Ratio horum est, quia si in absentia rei nihil manet, nulla potest haberi cog-

nitio, & sic nulla reminiscētia; ergo si in absentia rei cognoscimus, & reminiscimur, dantur tales species, quas animo volvimus.

A ratione idem probatur ex Philosopho 3. de anima edicente: *Necesse est autem vni ipsa, (supple obiecta) aut spiritus esse; ipsa quidem non sunt: non enim lapis in anima est, sed species.* Ex quibus Divus Thomas ibi lect. 13. arguit sic. Omnis cognitio, & omnis sensatio, quæ fit intra animam sentientem, aut cognoscentem; debet habere intra animam obiectum, quod sentit, aut cognoscit; sed non petit habere intra animam obiectum secundum suum esse naturale, nam hoc est impossibile: ergo secundum esse intentionale, & sic medijs speciebus. Minor cum consequentia tenet, & maior probatur. Cognitio, & sensatio perficiunt animam intrinsecè, vnde sunt intra animam; non potest sentiri obiectum, ubi non est, quare si intra animam sentitur, ibi est. Secundò, anima in se est intrinsecè indifferens ad omnia obiecta: ergo, vt sentiam, & cognoscat hoc determinatum obiectum, debet intrinsecè immutari, & determinari ab obiecto. Ergo ab obiecto intra animam existente, vel per se, vel per speciem.

Ob id P. Augustinus libro de Trinit. cap. 5. dicit: *Visionis, quæ fit in visis cernentis, quasi parens est species corporis, ex qua fit; sed parens non proprie, & verè, vnde*

non ista vera proles est, sed quasi proles. Et dicitur 9. cap. 1. dat illud proverbium Theologis, & Philosophis certum: *Ab obiecto, & potentia paritur notitia:* ergo pro notitia sensitiva, aut intellectiva necessaria est coniunctio obiecti cum potentia; quæ, cum non possit esse obiecti secundum suum esse naturale, restat, quod sit secundum esse intentionale, & per species.

Aliud è probatur etiā à Div. Thoma necessitas specierum ex eo, quod omnis cognitio fit per assimilationem, vnde 1. p. q. 84. dicit: *Hoc animis omnium communiter inditum fuit, quod simile simili cognoscitur.* Ex quo sic. Modus cognoscendi est per assimilationem cognoscentis ad rem cognitam, quæ quasi trahitur ad cognoscentem, vt experimur, dum cognoscimus; sed vt fiat hæc assimilatio, necessarium est, quod obiectum unitur potentia: ergo talis unio necessaria est; & cum non possit esse obiecti secundum esse naturale, restat fieri per species intentionales. Quæ autem responderi possunt, recurrento, vel ad species infusas omnium obiectorum in anima nostra, vel ad opinionem asserentium, animam nostram esse similem omnibus obiectis: iam præoccupata sunt, & impugnata q. 4. huius libri.

4. Si dicas, intellectum nostrum non indigere speciebus (quid quid sit, de necessitate sensuum)

quia sufficienter determinatur per phantasma ad cognitionem obiecti. Contra est, primò, quia phantasma est quid materiale, & existens in potentia inferiori: ergo non est sufficiens ad operationem spirituales potentie intellectus ascendendò, phantasma non potest determinare intellectum, vt forma in hærens intellectui, quia materiale non in hæret spirituali, neque vt obiectum, quia intellectus non cognoscit rem in phantasmate: neque denique, vt cooperans intellectui, quia, cum sit materiale, non potest cooperari ad actum spirituales: ergo nullo modo.

Præterea, Intellectus est potentia altioris ordinis ab omni sensitiva potentia: ergo in proprio ordine habet omnia requisita ad cognitionem; sed hæc sunt potentia, & obiectum illi unitum: ergo in ordine proprio spirituali hoc habet. Habet ergo proprias species distinctas à sensibilibus. Tandem, sicut ponitur ab hac opinione, intellectum determinari per phantasmata, deberet poni sensus interior determinatus per cognitionem sensuum exteriorum: ergo sensus interior non haberet species proprias, quod est contra experientiam, quæ sentimus, nos percipere obiectum, & de illo cogitare in absentia illius.

Confirmatur. Vel intellectus noster est capax specierum intelligibilium, vel non? Si primum:

ergo recipiet illas, ne absurde dicatur, quod, dum est in corpore, caret semper forma sibi naturali, & perfectione necessaria ad intelligendum. Si non est capax: ergo separatus a corpore non poterit naturaliter recipere species intelligibiles; atque adeo nec poterit intelligere naturaliter, cum ibi non sint phantasmata, a quibus determinetur.

5 Ad fundamenta contraria posita n. 1. respondemus, & ad primum dic, quod terminus productus per actionem non potest esse principium actionis. Obiectum autem, quod potentia vnitur, non est productum per actionem potentia cognoscitiva; quare potest prerequisite ad cognitionem. Ad secundum dic, necessariam esse conjunctionem potentia cum obiecto secundum illius similitudinem: nec species, quibus sic fit similis, sunt fictitia, sed cognita a vera Philosophia, & evidentè comprobata.

Ad confirmationem dic, intellectum non posse determinari, nec excitari per operationes sensuum inferiorum, quæ materiales sunt, ut satis probatum est n. antecedenti. Quas autem difficultates habet productio specierum intelligibilium, dissolutas invenies q. 4. & 5. huius libri; unde immeritò ob eas dissentiant isti Doctores à comuni sententia.

comuni sententia.

§. II.

Explicatur, quid sint species intentionales.

6 Probata existentia specierum intentionalium, & earum necessitate ad quancumque cognitionem, restat explicare, quid sint tales species. Et primò supponendum est, esse entia realia. Quod patet ex dictis, nam dantur à parte rei in speculo, in aere, in terra sensus; & quæ deserviunt intellectui, non habent tantum esse obiectivum in intellectu, sed subiectivum: ergo sunt quid reale. Hoc supposito, quaeritur, an sint substantia, vel accidens, an ens materiale, vel spirituale, & quem modum essendi habeant?

Dicimus primò: *Omnes species sunt accidentia.* Probatèr inductione. De speciebus sensuum exteriorum constat, esse accidentia, quia fiunt ab accidentibus exterioribus sensibilibus, nempe à colore, sono, sapore &c. & ab eis pendent in conservari: ergo non sunt substantia, sed accidentia. Rursus. Illæ species ordinantur ad movendum sensum, & illum actionem; sed ad hoc sufficit esse qualitates; ergo sine fundamento fingentur substantia. Tertio, nullus est agens, à quo producerentur tales species; nec possent pervenire ad

sunt tam brevi matatione, quam perveniunt viabiles species. De speciebus autem intelligibilibus assertio est certior, nam, cum sint spirituales, deberent dici, esse substantias spirituales; nullam præter humanam animam denudè creati, certissimum est.

De speciebus sensus interioris, quæ appellantur phantasmata, fuit opinio quorundam, esse corpuscula quædam, hoc est, spiritus animales in cerebro existentes, representantes res ipsas sensatas, sive per suam substantiam, sive per accidentia ipsius spiritibus inhaerentia. Probatèr hæc opinio, quia, si phantasmata non essent isti spiritus transeuntes, sed qualitas permanens, & inhaerens interno sensui, semper illum moveret ad operandum, & ideo semper deberet cognoscere; sed hoc experientia constat, esse falsum: ergo phantasmata non sunt qualitates inhaerentes, sed corpuscula spirituum vitalium. Rursus. Læso cerebro, amittuntur phantasmata: ergo sunt corpuscula aliqua, quæ corrumpuntur.

7 Nihilominus probatur assertio quoad has species. Primò. Nam si in reliquis potentijs perfectioribus, & imperfectioribus, ut in intellectu, & sensibus externis, sufficient species accidentales; cur non etiã in phantasia? Maxime cum rationes supra factæ, etiã procedant de sensibus inter-

nis, nempe, quod ad munus suum sufficiat, esse qualitates; nec sit, à quo producantur substantia confictæ. Accedit specialis ratio. Nam si species illæ essent substantia, deberent esse materiales, & corporeæ: ergo occuparent locum; ac proinde innumera penè phantasmata nostra non possent recipi in angustissimo cerebro. Quis autem credat, posse cerebrum tot capere corpuscula locum occupantia?

Rationes posite in contrarium non videntur. Nam etiã intellectus species habet plurium rerum sibi inhaerentes; nec tamèn semper agit intelligit. Adde, eandem difficultatem esse de illis corpusculis. Quod autem potentia non semper intelligat species, quas habet, nascitur ex quo non semper cogitur representari omniùm specierum; vel quia ad alia distrahitur, vel ex libertate, ut aliquando contingit in homine.

Quod, læso cerebro, amittantur phantasmata, contingit, quia virtus cerebri inepta redditur ad utendum phantasmatis, vel quia phantasmata pendent in conservari à recta dispositione cerebri, quæ dissoluta, corrumpuntur: ergo universaliter verum est, omnes species intentionales esse accidentia, & sic esse qualitates, cum non possint pertinere ad aliud prædicamentum. Quomodo autem fiant per educationem, explicatum est à nobis lib. 1. Physicor. q. 12. §. 2.

8 Suarius lib. 3. de Anima cap. 2. impugnat Caletanum doctorem 1. p. q. 14. art. 1. quod est intelligibili, & intellectu fit magis unum, quam ex materia, & forma; nam per unionem materiae, & formae fit quoddam tertium, nec materia fit forma; ex obiecto, & intellectu non resultat tertium, sed intellectus fit ipsum intelligibile. De hoc etiam tractat Suarius lib. 2. de Attributis cap. 12. Impugnat sic. Unio materiae, & formae est substantialis, & ex illis fit unum per se; sed inter potentiam, & obiectum, maxime quando fit unio per species, non est unio substantialis, sed accidentalis, & per inhaesionem: ergo ista unio non est maior, sed longe inferior.

Ab hoc argumento, & ceteris concernentibus se expedit Caietanus, & ex ipso illius Sectatores, dicendo, unionem illam non esse maiorem in esse entitativo, nec per illam intellectus fit obiectum in esse entitativo, sed in esse intelligibili. Argumenta Suarii, & aliorum impugnant unionem, & transformationem potentiae in esse entitativo, sed non in esse intelligibili. Controversia est utrinque probabilis. De illa iterum q. seq.

9 Dicimus secundo, quod species non sunt eiusdem rationis cum obiecto, hoc est in entitate. Ita Aristot. 2. de Anima cap. 12. ubi ait, sensus recipere species sine

materia; materiam vocat ipsam naturam realem qualitatis: unde ait, visum non recipere ipsum colorem materialiter, sed quandam speciem illius representativam: ergo species, & color sunt qualitates specificè differentes.

Idem docuit P. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 2. dicens: *Species corporis, quae videtur, est impressa eius imago sensui, quod est visio, sensusque formatus, & voluntas animi, quae rei sensibili animum admovet, in eoque ipsam visionem tenet, diversa natura sunt. Horum primum, id est, res ipsa visibilis, non pertinet ad animantis naturam, nisi cum corpus nostrum cernimus. Alterum autem ita pertinet, ut in corpore fiat, & per corpus in anima: fit enim in sensu, qui nec sine corpore est, nec sine anima. Tertium vero scilicet anima, quia voluntas est. Cum igitur horum trium tam diversa substantiae sint &c.* Ecce obiectum, imago eius, & attentio animi sunt diversae substantiae, id est, diversae entitates.

De speciebus intelligibilibus res est clara, nam illa sunt accidentia spiritalia; obiectum autem representatum est substantia, & saepe res materialis. De sensibilibus speciebus idem ostenditur. Obiectum saepe habet contrarium, v.g. albedo nigredinem: sed species intentionalis albedinis non habet contrarium, & ideo in eadem parte mediis, sunt species albedinis, & nigredinis

gredinis sine contradictione; & sic sunt sine transmutatione, & motu; ergo species, & obiectum non sunt eiusdem rationis.

10 Contrariam sententiam tenit Durandus, & Valles, praesertim de speciebus sensibilibus. Probant primo, quia species, & obiectum se habent, sicut lux, & lumen; sed haec sunt eiusdem speciei: ergo & illa. Secundo. Species est similitudo rei; sed similitudo non est inter ea, quae differunt specificè: ergo obiectum, & species non differunt specificè. Tertio. Actio obiecti est univoca: ergo producit effectum univocum: ergo simile in essentia tam obiecto, quam speciei, & sic sunt eiusdem essentiae.

Quarto. Species visibilis, v.g. species coloris est visibilis; ergo species illa est color; alioquin non esset visibilis. Antecedens patet, tum in speculo, ubi quisque videt speciem de se ipso; species illa color est, & quid visibile. Tum etiam in radijs solaribus transmeantibus vitrum coloratum, qui conspiciuntur eiusdem coloris: talis autem color nihil est, nisi species visibilis à colore vitri causata.

Ad primum responde, maiorem esse fallam, & minorem dubiam. Dubium est, an lux, & lumen sint eiusdem speciei; sed plene falsum, quod sint eiusdem obiectum, & species. Ad secundum dic, quod

species representans calorem non est eiusdem speciei cum calore: ergo idem de alijs. Ratio omnium est, quia unitas specifica requiritur ad similitudinem in essendo, non tamen ad similitudinem in representando. Ad tertium dic, actionem obiecti producere speciem sensibilem, ut causa aequivoca, non ut univoca. Quomodo autem sic, explicatum est lib. 2. q. 8.

Ad ultimum, Suarius, explosa communi solutione dicentium, rem videri in speculo eo modo, quo videretur in sui imagine instrumentali, respondet, non videri speciem in speculo, sed reflecti in speculo, & pervenire ad oculum, & sic rem videri per speciem receptam in oculo, & quasi resilientem à speculo. Ad aliud de Solis radijs dic cum Suario, esse in vitro colorato splendorem quandam, qui apparet coloratus propter species rubei coloris, illi admixtas, & reflectentes ad oculum. Nec ipsae species videntur, sed per eas videtur color, à quo fiunt.

11 Hic quaeritur, an huiusmodi species sint indivisibiles? De intellectualibus nullum est dubium, quia, cum sint spirituales, sunt indivisibiles; nec aliter possent recipi in potentia intellectuali, quae spiritalis est, & cui debent proportionari accidentia in eo recepta. Dubitatur tamen de speciebus sensibilibus, quae ab obiecto materiali causantur, & recipiuntur

tur in potentia materiali, & corporea. De his docet communis sententia, esse entitative divisibiles. Contrarium tenuit Nollet Venetus 2. de Anima text. 127. & Pisanus, citatus à Suario.

Probatnr communis sententia. Nam accidens proportionatur potentia, in qua subiectatur; sed potentia omnes sensitiva sunt materiales, & extensa: ergo etiam species, quæ in eis subiectantur. Confirmatur experientijs. Species in speculo reflectitur modo divisibili; nam fracto speculo, in quo integra facies representabatur, pars speculi, partem faciei tantum reddit: ergo species illa est realiter divisibilis. Rursus. In parvo speculo apparet res minor, in maiori maior: ergo in maiori speculo producitnr maior species, & in minori minor. Si autem indivisibilis esset, semper æqualis produceretur.

Hinc oritur maius dubium, nempe, an species illa, quæ divisibilis est quoad entitatem, sit divisibilis quoad representationem, ita ut vna pars speciei correspondeat vni parti obiectivæ, cuius formæ sit similitudo, & sic de alijs partibus; an autem species in quilibet sui parte representet totum obiectum indivisibilitèr. Primum defenditur à Suario, Rubio, Hurtado, Arriaga, & alijs RR. Societatis; secundum docetur à Thomistis communiter, quibus adha-

rent Toletus, Conimbricenses, & alij. Hæc sententia est conformior B. Egidij, vatijs locis, & fere ubi cumquæ loquitur de esse intentionali specierum.

12. Cum his dicimus, *Species sensibiles indivisibilitèr representare*. Probatnr, Species sensibilis non commensuratur in modo representandi cum modo materiali, & divisibili sui obiecti; sed si esset divisibilis in representando, in commensuraretur cum obiecto modo representandi, ut patet: ergo representat indivisibilitèr. Probatnr maior. Species sensibilis representatnr modo intencionali, & immateriali: ut enim dicit Divus Thomas lib. de sensu, & sensato lect. 19. *Sensus, & intellectus recipiunt formas rerum spiritualitèr, & immaterialitèr, secundum quoddam esse intentionale*: ergo non commensurantur in modo representandi cum obiecto divisibili, & materiali. Secundo, Species illæ immutant, & causant in instanti effectus suos sine alteratione physica; quare habent affinitatem cum rebus spiritualibus in modo representandi; sed in spiritualibus modus representandi non commensuratur cum modo divisibili obiecti materialis: ergo nec in speciebus sensibilibus. Præterea. Si species divisibilis in essendo, esset divisibilis in representando, non posset in pupilla oculi recipi species Cæli, aut magni montis; Tunc enim

enim pars speciei corresponderet parti obiecti; & quantumcumque partes essent minutissimæ integrarent speciem totalem, quam non caperet oculi pupilla: ergo cum hoc sit contra experientiam, tenendum est, quantumcumque partem speciei representare totum obiectum.

Confirmatur. Totus aer illuminatur à toto Sole, & non pars à parte. Similiter quæcumque pars aeris propinqui illuminatur à tota lucerna: ergo cum species intencionalis sit magis elevata à materia, quàm exempla data, restat, quod producitnr non pars à parte obiecti, sed tota indivisibilitèr à toto obiecto, quod representat etiam indivisibilitèr.

13. Dicis, Species sunt in essendo divisibiles; ergo & in representando. Patet consequentia. Primum, quia modus representandi sequitur modum essendo. Secundò, quia species intelligibiles, quæ sunt indivisibiles in representando, sunt indivisibiles in essendo: ergo è contrariò, quæ sunt divisibiles in essendo, sicut in representando. Tertio. Nam, quod species montis recipitur in pupilla, non probat, quod sit indivisibilis in essendo: ergo nec in representando.

Confirmatur. Ut species indivisibilitèr producatnr à partibus, & à toto obiecto, petit, quod sit in singulis partibus obiecti eadem ratio producendi; sicut in igne, &

partibus eius eadem ratio est producendi calorem; sed in toto æthereogeneo, cuius partes sunt diversæ rationis, partes non habent eandem rationem producendi similitudinem, capat enim nequit producere similitudinem brachij, & è contrariò ergo &c. Explicatur. In toto cuius medietas sit alba, & altera nigra; tunc pars nigra nequit producere similitudinem, aut speciem medietatis albæ; imò cum diversis colores petant diversas species representativas, non possunt illæ duæ medietates producere indivisibilitèr eandem speciem. In toto autem homogeneo, partes, licet eiusdem rationis, non sunt tamen æqualitèr approximate visui, cui immittunt speciem: ergo nec in toto homogeneo species producitnr indivisibilitèr à toto obiecto. Hæc, & alia argumenta, quæ omittimus propter temponis penuriam, invenies apud Collegium Complutense S. Thomæ lib. 2. de Anim. q. 5. art. 2. Ex quo respondetur ad primum, negando consequentiam. Ad primam probationem dic, quod modus representandi subiectivè sumptus sequitur modum essendo; non autem obiectivè acceptus. Conclusio nostra non negat speciem divisibilem in partes, tam entitativas, quàm representativas, quare non negat, modum representandi esse subiectivè divisibile. Negamus autem, quod species dividatur in partes repræ-

sentantes partialiter; unde defendimus, modum representandi esse obiective indivisibilem. Ad secundam probationem nego consequentiam, quia non stat, speciem esse indivisibilem in essendo, & divisibilem in representando; stat autem, esse divisibilem in essendo, & indivisibilem in representando. Sicut ignis subiective, & in essendo divisibilis est; caterum indivisibiliter concurret ad productionem caloris. Species autem intentionalis elevatior est à materia, & sic potiori iure est activa indivisibiliter.

Ad tertiam, nego consequentiam, quia species, licet in esse entitativo commensuretur cum obiecto, à quo producitur, commensurari debet cum potentia, cui unitur, & quam adjuvat ad elicentiam sui actus; sed potentia, licet entitativè sit divisibilis, in operando est indivisibilis, quia in puncto oculus videt totum obiectum: ergo species entitativè divisibilis representat indivisibiliter. Hoc in nostra sententia amplius patet, in qua oculus non est potentia activa, sed passiva, ut dictum est lib. 2. q. 7. Visio non est actio, sed pura receptio speciei visibilis: ergo si visio sit indivisibiliter, receptio speciei, & illius representatio indivisibiles sunt.

Ad confirmationem dic, quod brachium seorsim sumptum, sicut potest, se solo, videri, sic se solo,

potest speciem producere, quia non esset representativa capitis, pariter contra. At brachium, ut est pars totius, quæ cum alijs compartibus unitis facit totum, sic habet eandem virtutem producendi speciem totalem; ac alia partes, quarum partes illæ, quæ seorsim æthereogeneæ sunt; ut tamen simul sumptæ, & unitæ faciunt totum, sunt homogeneæ, quia æqualiter sunt partes totius, & æqualiter unitæ componunt totum.

Ad aliud de toto constante ex medietatibus alba, & nigra, respondetur ex dictis. Nam si seorsim videantur, terminant visiones adæquatè distinctas, & representantur per diversas species. Si tamen utraque medietas sumitur, ut obiectum adæquatum, tunc terminat eandem visionem, & per eandem speciem. Sic dum videmus papyrum litteris formatam, eadem visione videmus albedinem papyri, & nigredinem litterarum: ergo quia partes illæ, quæ seorsim sunt diversæ rationis, ut unitæ faciunt totum, possunt dici eiusdem rationis, & in eis est eadem ratio producendi speciem totalem.

Ad ultimum dic, partes totius homogenei habere eandem rationem producendi speciem. Quæ autem sunt proximiores, clarius præcipiuntur, quam distantes. Sed hoc sine divisibilitate speciei in representando, quæ respectu proximorum partium est tota clarior, respectu

pectu

pectu distantiam est tota obscurior. Sic conceptus intellectus, qui indivisibilis est in essendo, & repræ-

sentando, potest esse clarus relatè ad animal, & obscurus relatè ad rationale. Vide alia in Collegio citat.

Ad tertiam, nego consequentiam, quia non stat, speciem esse indivisibilem in essendo, & divisibilem in representando; stat autem, esse divisibilem in essendo, & indivisibilem in representando. Sicut ignis subiective, & in essendo divisibilis est; caterum indivisibiliter concurret ad productionem caloris. Species autem intentionalis elevatior est à materia, & sic potiori iure est activa indivisibiliter.

QUESTIO OCTAUA.

An species sit formalis similitudo obiecti, & an univoca?

§. I.

Defenditur formalis similitudo obiecti.

Nemo vberius, & operosius disputavit de speciebus intelligibilibus, quam Noster Egidius Lusitanus tom. 2. de Beatitud. lib. 8. per totum. Ibi q. 2. art. 1. citat Suarez in Metaphysica disp. 6. sect. 6. & latius disp. 30. sect. 11. & lib. 2. de Attributis negativis cap. 12. & 13. docentem, quod species impressa non est formalis similitudo obiecti, sed virtualis; sicut fœmen generantis non est formalis similitudo illius, sed virtualis. Suarez sequuntur Rubio, Toletus, Hurtado, & Averfa.

Probat hæc sententia. Primum. Potentia habens in se formalem similitudinem obiecti, per hoc præcisè est formaliter similis obiecto;

sed potentia habens in se speciem impressam obiecti, non est per hoc præcisè similis formaliter obiecto: ergo quia species impressa non est formalis similitudo obiecti. Maior patet, nam simile est, quod habet similitudinem. Minor probatur. Potentia formaliter similis obiecto, est formaliter cognoscens obiectum; non enim cognitio consistit in alio, quam in assimilatione formali cum obiecto; sed potentia non cognoscit obiectum, per hoc præcisè, quod recipit speciem impressam; alioquin essemus in actuali cognitione, quando retinemus species impressas obiectorum: ergo &c.

Rursus. Præter speciem impressam requiritur expressa, ut potentia

ta cognoscat obiectum; sed si per impressam esset iam potentia formalis de simili obiecto, superflua esset species expressa, quæ est formalis similitudo obiecti; ergo quod species expressa sit formalis similitudo, probat, quod impressa est solum virtualis.

Præterea, Illa similitudo sufficit in specie impressa, quæ sufficit, ut producat verbum, quod est formalis similitudo obiecti; sed ad hoc sufficit in impressa similitudo, & contentia virtualis obiecti; sicut sufficit in semine similitudo virtualis, ut producat genitum, formaliter simile generanti: ergo &c. Hanc rationem dicit Suarez desumptam ex P. Augustino 10. Confess. cap. 14. & 9. de Trinit. cap. 17. ubi species vocat semina obiectorum, potentia cognoscitiva, tanquam vtero mandata ad formandos conceptus, & spiritua-lem generationem, ac mentis partum. Quo constat analogia seminis ad species impressas: ergo si in semine non est formalis similitudo, sed virtualis &c.

Confirmatur primo, Formalis similitudo non requiritur in specie impressa ex ratione communi speciei: ergo species impressa, ut sic, est solum virtualis similitudo. Probatur antecedens. Per speciem impressam creaturarum cognoscitur Deus à nobis; sed species creaturarum non est formalis similitudo Dei: ergo &c.

Confirmatur secundo. Species impressa non est eiusdem quidditatis, & naturæ cum obiecto, ut infra probabitur; ergo inter species, & obiectum non datur convenientia univoca, sed analogica. Sed similitudo analogica est solum virtualis; & infirma inter similitudines: ergo idem. Vergetur, Similitudo formalis representat formaliter obiectum; sed species impressa non representat formaliter obiectum; alioquin esset signum obiecti, quod negat Collegium Complutense S. Thomæ in disputatis Dialecticis q. 1. art. 1. n. 6. ergo.

2. Contraria sententia est omnium Philosophorum, teste Nostro Lusitano ubi supra, eam probans de mente Democriti, Platonis, Aristotelis, & aliorum. Videtur expressa in P. Augustino 8. de Trinit. cap. 6. ubi ait: *Fixi in animo meo imaginem Alexandria; atque intuens in ipsam, id est, imaginem, & quasi picturam eius* Et lib. 10. cap. 5. dicit: *Quoniam non potest omnia sequi intrinsecum in Regionem incorporam ipsa corpora Anima inferre, imagines eorum, cum non sit accipiens* Imago enim est formalis similitudo; & non est virtualis, ut in semine.

Ad idem lib. 12. de Genesi ad litr. cap. 23. ait: *Certum est esse spirituum quandam naturam à nobis, ubi corporaliu reru formatur, similitudines; sive cum aliquod corpus sensu corporis tangimus, &*

con-

*continuo formatur eius similitudo, in spiritu, memoriaque reconditur; sive cum absentia corpora iam nota cogitamus, ut ex eis formatur quidam spiritualis aspectus, quæ iam erant in spiritu, & antequam ea cogitamus. Videatur etiam 15. de Trinit. cap. 12. & cap. 27. ubi expressè docet, præcedere in nostra memoria similitudines rerum, ex quibus formatur verbum. Eandem sententiam docent Thomistæ cum D. Thomæ lib. de memoria, & reminiscencia lect. 3. & 1. contra Gent. cap. 53. ubi ait: *Quod utrumque est rei intellectæ similitudo, per hoc enim, quod species intelligibilis, quæ est forma intellectus, & intelligendi principium, est similitudo rei exterioris; sequitur, quod intellectus formet intentionem illi rei similem.* Ad idem Noster Egidius de cognitione Angelor. q. 4. cum quo omnes Nostri.*

A ratione multipliciter probatur à Nostro Lusitano. Breviter probatur sic. Species impressa est forma formaliter perficiens potentiam in esse representativo, & intentionali; ergo est formalis representatio obiecti. Probatur consequentia, quia nequit potentia reddi formaliter actuata, & perfecta ab eo, quod non est formaliter tale in esse representativo. Antecedens patet. Tum, quia species communiter dicitur actus, formaliter perficiens intellectum. Tum etiam, quia species est forma, quæ obiectum uni-

tur cum potentia, ut ab ipsa possit interiorius percipi; sed non est forma, quæ obiectum formaliter uniat in esse entitativo, sed in esse representativo: ergo.

Rursus. Iuxta omnes Philosophos *Simile simili cognoscitur*; sed hoc axioma malè intelligitur ab Antiquioribus Aristotele de esse entitativo, ut monet D. Thomas: ergo debet intelligi de esse representativo, ita ut quidquid cognoscitur, sit per speciem formaliter similem in esse intentionali. Et vergetur ex dicendis §. seq. ubi ex communi Philosophia suadebitur, quod intellectus non potest rem aliquam intelligere, nisi prius per speciem impressam fiat res ipsa; sed ut intellectus per speciem fiat res intellecta, oportet, quod species sit formalis similitudo rei intellectæ: ergo ex communi Philosophia tenendum est, quod species est formalis similitudo obiecti. Accedit experientia in sensibus externis, quorum species sunt formales similitudines. Sic patet in speculo oculis reddente formalem similitudinem obiecti visibilis presentis. Patet in speciebus, quas memoria sensitiva subministrat phantasia. Si ergo species sensibiles sunt formales similitudines, cur non etiam species intelligibiles?

3. Nec fundamenta Suarez videntur ad recedendum à communi sententia. Ad primum dicimus, quod habens speciem impressam, habet.

habet similitudine formale obiecti in actu primo habitualiter, & non virtualiter, non est ita similis obiecto. Cognoscens autem non est utcumque similis obiecto, sed in actu secundo, & vitaliter. Hanc distinctionem tradit D. Thom. 1. p. q. 79. art. 6. ad 3. ubi explicato, quomodo se habet intellectus, dum caret speciebus, & quomodo dum actu intelligit, dicit: *Aliquando modo se habet inter potentiam, & actum; & tunc dicitur esse intellectus in habitu, & secundum hunc modum intellectus conservat species, quando actu non intelligit.*

Occasione huius argumenti observari, quod tam species impressa, quam expressa, est formalis similitudo obiecti. Caterum species impressa est similitudo in actu primo, & habitualiter; expressa autem est in actu secundo per modum termini vitalis. Prima dicitur ad fecundandum intellectum, & per illam contrahitur intellectus completam principium intelligendi. Secunda est terminus cognitionis, ut productiva est, & medium, in quo intellectus contemplatur obiectum: pro quo est similitudo obiecti in actu secundo. Ultra has similitudines datur altera, nempe, cognitio, quæ est actus assimilativus, & exercitium potentie assimilativæ. Hæc similitudo dicitur vitalis, quia est in actu vitali; per illam intellectus fit similis vitaliter obiecto; & hoc est

fieri cognoscens obiectum. Quæ autem non semper intellectus est similis vitaliter obiecto, non semper est cognoscens obiectum, etiam si habeat speciem impressam, quæ redditur habitualiter; & in actu primo similis obiecto.

Ad fecundam probationem dicitur, quod ultra speciem impressam requiritur expressa: nam per impressam solum habetur similitudo obiecti in actu primo; requiritur autem similitudo etiam in actu secundo, quæ solum habetur per expressam. Et si cum Suario dicatur, quod potest intellectus contemplari obiectum in specie impressa, hæc est formaliter similis: quare superfluit expressa. Respondetur cum Ioanne à S. Thoma, quod species impressa non potest esse terminus cognitionis directæ, sed solum reflexæ, ut quando intellectus reflectitur supra species, quas habet in memoria. Pro cognitione autem directæ species impressa solum se habet, ut principium, non autem ut terminus: ergo pro termino cognitionis directæ oportet ponere speciem expressam.

Ad aliud de semine dicitur, quod speciem impressam non solum esse virtutem obiecti, sed etiam imaginem eius, quod non habet seminem generantis: unde analogia utriusque generationis naturalis, & intentionalis non tenet, quia omnia. In generatione naturali partus evadit similis generanti in esse

esse entitativo, & ob id seminem solum habet virtuales similitudines. In generatione intellectuali similitudo verbi geniti non est cum obiecto in esse entitativo, sed in esse intensionali, ut representato per speciem impressam: ergo ibi debet representari formaliter, & non tantum virtualiter.

Ad primam confirmationem dicitur, quod species impressa est ormalis similitudo obiecti, cuius est propria. Creatura autem, & eius species, per quam Deus à nobis cognoscitur in presenti vita, non est proprie species Dei, & sic non est eius formalis similitudo. Sic ens rationis cognoscitur per speciem alienam entis realis, quæ est formalis similitudo entis realis, cuius est propria, sed non est similitudo formalis entis rationis, cui est aliena. Nostra conclusio procedit de specie propria obiecti, contra quæ nihil probatur in prima confirmatione.

Ad secundam nego antecedens, cuius contrarium infra probabitur. Ad ultimum nego, quod species non representet formaliter obiectum. Quod autem species impressa non sit lignum obiecti, etiam à nobis probatum est 2. p. in Dialectica q. 4. §. 1. Tum, quia nullum datur lignum spirituale: tum, quia signum in esse obiecti debet distingui à signato, ut ibi probatum est ex P. Augustino. Species autem intelligibilis est spiritualis,

nec in esse obiecti distinguitur à re, quam representat, ut dicemus; quare signum non est relatè ad suum obiectum.

§. II.

Disquiritur, an sit univoca?

4. **Q**uaritur, an species fit ita similis obiecto, ut sit eiusdem nature, & quæ dicitur cum obiecto representato. Affirmat Caietanus 1. p. q. 14. art. 1. inde inferens, quod intellectus per speciem fit res intellecta, non quidem in esse entitativo, sed in esse intelligibili: quare ex intellectu, & specie fit magis unum, ut ait Commentator, quam ex materia, & forma: Nam ex his fit compositum, quod est unum tertium; ex obiecto autem, & potentia non fit unum tertium, sed potentia fit ipsum obiectum.

Hæc sententia videtur Philosophi 3. de Anima text. 14. 17. & 37. ubi ait, quod anima est omnia, quæ sunt; item probat intellectum agentem, quia ubi est omnia fieri, ibi est omnia facere; intellectus agens est omnia faciens: ergo intellectus possibilis est omnia fieri: ergo fit, quidquid intelligit. Ob id D. Thomas 12. Metaphysicæ lect. 8. dicit: *Et idcirco cum ipse intellectus fiat intelligibile; sequitur*

tur; quod idem sit intellectus, & intelligibile. Hoc confirmat Opusc. 14. dicens: *Anima quasi transformatur in rem per speciem, qua agit.* Hæc etiam communis sententia videtur, qua dicitur, quod intellectus intelligendo lapidem, fit lapis, sed qualiter exponendum sit, dicemus infra.

A ratione probatur. Habens quidditatem hominis in esse naturali, est homo per identitatem in esse naturali: ergo habens quidditatem hominis in esse intelligibili, est homo per identitatem in esse intelligibili: Sed intellectus habens speciem quidditativam hominis, est habens quidditatem hominis in esse intelligibili: ergo est homo per identitatem in esse intelligibili.

5 Iam verò, quod species intelligibilis sit eiusdem nature, & essentis cum obiecto representato, docetur à D. Thoma Quodlib. 8. art. 4. sic: *Species intelligibilis est similitudo ipsius essentia rei, & quodammodo ipsa quidditas, & natura rei; non secundum esse naturale, quod habet in rebus, sed secundum esse intelligibile.* Ad idem 4. contra Gent. cap. 14. dicit. *Verbum nostri intellectus ex ipsa re intellecta habet, ut intelligibiliter eandem numero naturam continet.* In hoc fundatur juxta D. Thomam, repugnantia speciei create representantis quidditatem Dei, nam implicat entitas creata, quæ sit eiusdem immaterialitatis cum Deo, & sit eiusdem nature

cum ipso in esse intelligibili. *Que ratio, cum probetur à B. Egidio in Defensorio D. Thomæ, tum ex propria mente eis locis, quibus negat possibilitatem speciei create representantis quidditativè Deum, tenendum est de mente ipsius, quod species, & obiectum sunt eiusdem essentia, & nature in esse intelligibili.*

6 Contrariam sententiam tenuit Suarius, impugnans Caietanum lib. 3. de anima cap. 2. n. 5. & lib. 2. de Attributis cap. 12. à n. 6. Ipsi plene subscribant DD. Societatis: Et quod mirabilis est, Curus etiam Complutensis S. Thomæ lib. 2. de anima q. 5. art. 3. ex professo impugnat sententiam Caietani varijs conclusionibus. Prima est, quod potentia cognoscitiva media specie obiecti non fit obiectum ipsum per identitatem. Hoc probat ex D. Thoma in 4. sententiarum dist. 49. art. 1. ad 10. Et ex Quodlib. 7. art. 2. in corpore. Quibus locis, & alijs ibidem citatis docet D. Thomas quod species informat intellectum, sicut forma substantialis materiam primam; sed materia non fit forma, sed realiter distinguitur à forma informante: ergo intellectus non fit res intellecta, sed realiter distinguitur ab illa informante per speciem.

A ratione multipliciter probatur. Intellectus ex se realiter distinguitur à lapide: ergo ut actuatus per spe-

speciem lapidis, non identificatur cum lapide. Patet consequentia, quia implicat realiter distincta, postea identificari; sicut realiter identificata, postea distingui. Confirmatur. Si intellectus, & obiectum identificantur, hoc erit, vel salvis eorum differentijs, vel non salvis. Si salvis: ergo manent realiter distincta, ut erant, & simul identificata; quod est implicatorium. Si non salvis: ergo vel utrumque, vel saltem aliquod eorum perit; & sic utrumque identificatum non manet. Hæc, & alia adducit pro hoc asserto citans Ferraram 1. contra Gent. cap. 44. & lib. 3. cap. 51. Cæterum ibi docet oppositum, & plene explicat mentem D. Thomæ ad sensum Caietani.

7 Secunda conclusio Collegij prælaudati est, quod species adhuc in esse intelligibili non est eiusdem nature cum obiecto. Probat primò, quia species secundum omnia sui prædicata potest existere sine obiecto; & sic separatur ab illo: ergo realiter distinguitur ab illo, etiam in esse intelligibili. Secundo. Entitas speciei identificatur realiter cum intelligibilitate speciei; sed entitas speciei realiter distinguitur ab intelligibilitate obiecti; nam hæc identificatur cum entitate obiecti, à qua distinguitur entitas speciei: ergo intelligibilitas speciei realiter distinguitur ab intelligibilitate obiecti; & sic non sunt idem in esse intelligibili.

Confirmatur. Intelligibilitas lapidis existit, & producit, cum producit lapis; sed cum producit lapis, non producit species lapidis, nec etiam intelligibilitas: ergo intelligibilitas speciei non est idem realiter cum intelligibilitate lapidis.

Confirmatur secundò. Species impressa lapidis iuxta Contrarios identificatur cum lapide in esse intelligibili; & species expressa lapidis similiter identificatur cum ipso in esse intelligibili: ergo species impressa, & expressa lapidis identificantur in prædicto genere. Hoc est falsum, cum in prædicto genere vna sit causa alterius, & ab illa separabilis. Idem argumentum fit in specie lapidis, quam habet Petrus, & specie lapidis, quam habet Paulus. Nam istæ realiter distinguuntur, cum sint in diversis intellectibus: cæterum non distinguerentur, si identificarentur cum lapide in esse intelligibili.

8 Tertia conclusio prælaudati Collegij est, quod species representans gradum individualem, non est individualiter identificata cum obiecto. Hæc conclusio est sequela secundæ conclusionis, & probatur eisdem rationibus, ac alijs, quæ ferè habent solutionem cum præcedentibus communem. Inde infert in ultima conclusione, quod species non habet convenientiam univocam, sed merè analogam cum obiecto representato, sicut imago

Cælaris non est verus Cæsar, sed representatio eius, analogicè cum illo conveniens. Hoc probat. Nam homo, ut in specie representatus, non est verus homo: ergo species illa solum analogicè convenit cum objecto. Probatur antecedens. Homo verè talis, est substantia, vivit, sentit, & intelligit; sed homo, prout in specie, non est substantia, sed accidens; itè, eis repugnat, prout in specie vivere, sentire, & intelligere: ergo.

§. III.

Defenditur convenientia univoca speciei cum objecto, & identitas in esse intelligibili.

Hæc controversia, quæ penuriâ temporis non potest à nobis plenè dilucidari, satis deciditur à Joanne à S. Thoma q. 6. de Anima art. 3. & 1. p. Theologiæ q. 12. vbi latissimè tractat de specie impressa representante Deum, quæ implicatoria est iuxta D. Thomam, & præcipua ratio repugnantiae sumitur, ex quo species quidditativa debet esse eiusdem immaterialitatis, & intelligibilitatis cum objecto; imò debet esse ipsam objectam in esse intelligibili, etiâ quoad ultimum gradum, & constitutum illius: ergo

si repugnat species corporea immediatè representans spiritum, magis repugnat, quòd species creata representet Deum. Hæc ratio, & principium D. Thomæ plenè evertitur à Collegio Complutensi.

Rursus communis sententia Thomistarum distinguit signum formale à signo instrumentali per hoc, quòd signum formale se ipso, & non mediante alio representat; instrumentale autè est, quòd præ existente cognitione sui aliquid representat. Vide dicta in Summulis q. 4. §. 1. Sed iuxta eosdem Thomistas species impressa, & expressa sunt signum formale: ergo sunt ipsum objectum in esse intelligibili. Totum hoc evertitur, si ponitur species distincta ab objecto in esse intelligibili, sicut imago Cæsaris à Cæsare distinguitur. Nam imago Cæsaris est signum instrumentale, quòd representat præ existente cognitione sui: ergo plenè tollitur signum formale. Hæc consequentia in nostris principiis vera, non sustinetur in Schola Thomistica; & contra eam stare videtur Collegium prælaudatum. Quidquid sit.

10 Pro vera intelligentia D. Thomæ in præfati, nota cum Joanne à S. Thoma vbi supra, quòd species dupliciter informat potentiam, nempe, entitative, seu inherendo; & intentionalitè participando, seu potius transformando.

potentiam in objectam. De prima activatione inheriva, & entitativa loquitur D. Thomas sup. q. 55. art. 1. ad 2. & eis locis, quæ allegat Collegium citatum, vbi D. Thomas dicit, quòd sensus non est ipsa similitudo, neque intellectus ipsa species, sed ex utroque fit unum: sicut ex actu, & potentia. De secunda unione loquitur, quando ait, quòd intellectus fit res intellecta, & non constituit cum specie aliquam naturam. Ità 1. p. q. 14. art. 1. & q. 2. de Verit. art. 2. & varijs locis, quæ vido in Joanne à S. Thoma.

Hæc duplex unio speciei cum intellecta probatur primò. Quia aliquando species unitur entitative, sed non intentionalitè, ut contingit, quando species est unita, sed intellectus nihil cognoscit: tunc enim species inheret, sicut alia accidentia; ceterum non unitur intentionalitè objectum, nec intellectus actuatur ab objecto contento in specie, nisi quando actu excitatur ad cognoscendum: ergo ultra unionem entitativam datur unio intentionalis objecti, media specie.

Secundò. Intellectus non unitur entitati speciei, tanquam principio specificanti actus suos; non enim specificatur actus ab entitate speciei, sed ab objecto representato; sed potentia debet actuari à suo specificativo, ut specificativa esset: ergo ultra unionem entitativam potentia cum specie de-

bet dari alia unio intentionalis objecti specificantis cum potentia specificata.

Tertio. Aliter agit calor, ut calefaciens, aliter ratio anima, vel ignis, cuius est instrumentum: ergo species, quæ est vicaria objecti, aliter informat rationem suam, nempe, entitative inherendo; aliter ratione objecti, cuius est vicaria, & instrumentalis causa ad determinandam, & specificandam potentiam. Hæc ultima unio est intentionalis, transformativa, & quasi per identitatem; per eam fit intellectus res intellecta; & de ista verum est, quòd est maior, quam unio materiæ, & formæ, ut docuit Caiëtanus cum Commentatore.

11 Si dicas cum Suarez, quòd omnis unio realis est substantialis, vel accidentalis; sed unio intellectus cum specie non est substantialis: ergo est accidentalis, & sic minor, quam materiæ, & formæ. Respondetur, quòd in re, & identicè omnis unio est substantialis, vel accidentalis; sed formalitè neutra est. Sic passiones entis, nempe, verum, & bonum sunt ens identicè; sed non formalitè; aliàs non essent passiones entis, sed ens ipsum, cui passiones conveniunt. Unio intentionalis objecti cum potentia pertinet ad rationem veri, & intelligibilis, quæ est passio entis: ergo licet præsupponitur, vel concomitanter petat unionem substantialem, vel accidentalem;

lem; in se tamen non est vultu substantialis, vel accidentalis formaliter. Nec cum obiecto potentia vnitur, sed quasi identificatur, & sunt idem intelligibilitèr.

12. Iam verbò, quòd species in esse intelligibili non differat ab obiecto, probatur. Primò, quia si differret, esset signum instrumentale, quod, præexistente cognitione sui, aliquid repræsental; sicut imago Cesaris repræsental Cæsarem, sed ipsa prius cognoscitur; sed iuxta sententiam communem, præsertim Thomistarum, species impressa, & expressa non sunt signum instrumentale: ergo non differunt ab obiecto in esse cognoscibili.

Secundò. Species repræsental hominem, non differat ab illo in esse obiecti: ergo non differat in esse intelligibili. Probatur antecedens. Qui cognoscit speciem illam repræsental hominem, non cognoscit obiectum distinctum ab homine; at cognoscit speciem illam in esse obiecti: ergo species illa in esse obiecti, non distinguitur ab homine. Tertiò. Dum cognoscitur species hominis, non cognoscitur entitas accidentalis, sed id, quod repræsental; sed id, quod repræsental, non est distinctum ab homine repræsentalo: ergo species illa non distinguitur ab obiecto repræsentalo in esse intelligibili. Tandem. Species vnit obiectum cum potentia; ad hoc enim datur; sed

non vnit in esse entitativo, sed in esse intentionali: ergo species est ipsum obiectum in esse intentionali. Patet consequentia. Quia aliàs non vniret obiectum, sed aliquid aliud distinctum ab obiecto.

13. Hinc solvuntur fundamenta contraria. Et Suarío impugnanti Caietanum, iam respondit Ioannes à S. Thoma. Collegio autem Complutensi respondemus, & primò dicimus, authoritates D. Thomæ ibidem adductas procedere de vnione entitativa, & inhærensiva speciei. Doctrina nostra non est de hac vnione, sed de intentionali suprâ explicata, & comprobata, pro qua stant authoritates D. Thomæ à nobis inductæ.

Ad primam rationem dic, quòd intellectus ante speciem lapidis receptam, realitèr entitativè differat à lapide: hanc distinctionem in esse entitativo conservat etiàm post receptionem speciei. Cum hac distinctione in esse entitativo stat identitas per speciem in esse intentionali: nec vna linea confunditur cum alia, sed vna præsupponit alteram, & quæ in vna distinguuntur, in alia identificantur. Sic species in esse entitativo realitèr differat ab obiecto, sed in esse intelligibili est idem cum illo.

Ad confirmationem dic, quòd potentia, & obiectum sunt idem in esse intelligibili, salvis eorum differentijs in esse entitativo. Inde sequitur, quòd sunt simul identif-

cata

cata in esse intelligibili, & realitèr distincta in esse entitativo. Cæterum hoc non est implicatorium, sicut implicatorium non est, quòd essentia hominis metaphysica sit realitèr indivisibilis, & essentia physica realitèr divisibilis, nempe, corpus, & anima.

14. Ad fundamenta posita n. 7. contra identitatem speciei cum obiecto respondemus, & ad primum dic, quòd species secundùm omnia sui prædicata potest existere sine obiecto in esse entitativo, sed non sine obiecto in esse intelligibili; nam per hoc præcisè, quòd existat species repræsental obiectum, existit obiectum intelligibilitèr, etiàm si non existat in sui natura: ergo species nunquam separatur ab obiecto in esse intelligibili; & sic ex separatione solum probatur distinctio in esse entitativo, sed hanc concedimus.

Ad secundam, concessa maiori, distinguo minorem. Entitas speciei realitèr distinguitur ab intelligibilitate obiecti radicali, concedo, proxima, & actuali, nego minorem, & consequentiam. Intelligibilitas radicalis obiecti est entitas eius, quia est veritas transcendentalis, quæ non distinguitur ab entitate, sed est passio entis. Quare, cum entitas speciei differat ab entitate obiecti, etiàm intelligibilitas speciei differat entitativè ab intelligibilitate radicali obiecti. Intelligibilitas proxima obiecti differat entitativè

ab ipso obiecto; nam obiectum est intelligibile in potentia, & fit proximè intelligibile per speciem impressam, per quam vnitur intellectui; sed species impressa est entitas distincta ab obiecto: ergo intelligibilitas proxima obiecti entitativè differat ab ipso obiecto.

Cum hoc stat, quòd intelligibilitas speciei sit idem cum obiecto in esse intelligibili. Argumentum confundit utramque, nempe, esse entitativum, & intelligibile, ut ex distinctione in esse entitativo inferat distinctionem in esse intelligibili. Cæterum illatio non est bona, nam, stante distinctione entitativa speciei ab obiecto, species non repræsental entitatem suam, sed quidditatem obiecti: ergo stante distinctione, species est repræsentalivè, & intelligibilitèr ipsum obiectum, ut dictum est in probatione nostra.

15. Ad primam confirmationem dic, quòd, cum producitur lapis, producitur eius intelligibilitas radicalis, quia entitas lapidis est radicalitèr, & in potentia cognoscibilis. At non producitur intelligibilitas proxima lapidis; vsque dum producitur species, per quam redditur lapis proximè intelligibilis. Hinc sequitur, quòd intelligibilitas proxima lapidis realitèr differat à lapide, sicut ab eo differat entitas speciei; sed species, & obiectum solum differant in esse entitativo, non autem in esse intelli-

telligibili: ergo intelligibilitas species non differt, nisi negativè ab intelligibilitate obiecti. Observa, quod species habet duas intelligibilitates, unam propriam suæ entitatis, & hæc non cognoscitur ab intellectu directè, sed reflexè: altera est alienæ speciei, qua representat obiectum distinctum, & hæc deservit cognitioni directæ. Hæc secunda intelligibilitas est proprius finis speciei, quæ non datur nisi propter obiectum representatum, cuius est vicaria, & instrumentalis. De hac intelligibilitate dicendum est, quod, licet materialitèr identificetur cum specie, obiectivè autem, & formalitèr identificatur cum obiecto, cuius est propria.

Ad secundam confirmationem dic, quod species impressa, & expressa identificantur cum obiecto in esse intelligibili, sed alitèr, & alitèr: nam impressa identificatur cum obiecto proximè intelligibili in actu primo; expressa autem cum eodem obiecto intelligibili in actu secundo. Iste species distinguuntur realitèr, quia etiã distinguuntur realitèr illæ intelligibilitates obiecti in actu primo, & actu secundo. Et sicut non implicat, quod obiectum reddatur proximè intelligibile per entitatem speciei realitèr distinctam; ita non implicat, quod idem obiectum habeat intelligibilitates in actu primo, & actu secundo realitèr distinctas. Ceterum distinctio illa est tantum in

esse entitativo, non autem in esse intelligibili. Quod hæc representationes eiusdem obiecti. Et sicut obiectum in esse intelligibili exprimit se ipsum, sic species impressa causat expressam cum sola distinctione entitativa, sine distinctione in esse intelligibili.

Ad aliud de speciebus impressis lapidis in Petro, & Paulo, dic, esse distinctas entitativè, sed non intentionalitèr. Probatur. Nam species intentionalitèr sunt lapis, quem representant; sed idem lapis sine distinctione potest cognosci à Petro, Paulo, & quocumque intellectu: ergo species illæ sine distinctione in esse intelligibili, cù sola distinctione in esse entitativo possunt unire obiectum diversis intellectibus. Et vergetur, nam species in Paulo, sic inhaeret ipsi, ut non possit alteri inhaerere, quod pertinet ad unionem entitativam, & inhaerentiam; at non sic unire obiectum, ut tale obiectum non possit uniri etiã alijs intellectibus; quod pertinet ad unionem intentionalem: ergo licet tales species sint distinctæ in esse entitativo, non sic in esse intelligibili, in quo distinctio non sumitur à subiecto inhaerentis, sed ab obiecto representato, quod unum est.

pro omnibus intellectibus

ad idem obiectum

QUEST.

DE ANIMA... QUEST. IX. §. I.

QUESTIO IX.

An species efficientèr concurrat ad intellectionem?

§. I.

Proponitur sententia negans, & approbatur affirmans.



Vponimus ex dictis q. 6. §. 1. quod intellectus est potentia activa influens in intellectionem, quæ non fit totalitèr ab obiecto, ut ibidem probatum est. Et licet ibi num. 7. probatum sit contra Henricum, potentiam intellectivam non esse causam totalitèr intellectionis, quoniam ad illam concurrat etiã species efficientèr; de hoc iterùm in presentibus disputandum est. Est ergo prima sententia negans, speciem concurrere efficientèr ad intellectionem: quare dicitur solum concurrere formalitèr per modum specificativi intellectus, & desiderari ad cognitionem, ut mera applicatio est obiecto, quod facit præsens intentionalitèr. Item Henricus quodl. 4. q. 7. labellus 3. de Anima. Quibus adherent Toletus, & aliqui RR. Thomistæ.

Probatur primò. Obiectum, ut in specie impressa, solum habet esse intentionale; sed causalitas effectiva petit esse physica in principio causante: ergo obiectum, ut in specie, nequit esse causa efficiens intellectionis. Explicatur. Vel species est causa cognitionis secundum suum esse entitativum, vel secundum esse intentionale. Non primùm; nam species, ut sic, non est virtus obiecti, nec ipsi assimilatur verbum in esse entitativo. Non secundùm; quia causalitas effectiva, quæ physica est, non potest oriri ab esse purè intentionali.

2. Confirmatur primò. Obiectum, in quantum tale præsens specificat; sed concursus effectivus non est concursus causæ præcisè specificantis; nam causa efficiens non specificat: ergo vel concursus obiecti, media specie, non est effectivus; vel non est concursus obiecti, in quantum talis.

Confirmatur secundò. Licet Ddd volun.

voluntas indifferens ad speciem actus determinetur per obiectum cognitum, & propositum ab intellectu, obiectum sic præsentatum per cognitionem, non influit in actum voluntatis: ergo licet obiectum mediâ specie unitum intellectui, determinet indifferentiam specificam intellectus, non ideo influit in cognitionem.

Tertio. Si species impressa, ut vicaria obiecti influit in cognitionem, etiâ influit obiectum ipsum, quando per se ipsam immediatè unitur intellectui, v. g. quando substantia Angeli cognoscitur ab ipso Angelo: ergo tunc substantia Angeli erit immediatè operativa, quod negat D. Thomas; vel non se habebit ut species, quod est etiâ contra Div. Thomam.

Quarto. Principium non vitale nequit influere in actum vitalem; sed cognitio est actus vitalis; species autè ab extrinseco adveniens, vitalis non est: ergo species nequit influere in cognitionem. Maior patet, nam principium non supernaturale nequit influere in actum supernaturalem: ergo &c. Accedit, quod actus vitalis nequit produci, nisi à principio, in quo continetur: continetur autè in solo principio vitali: ergo nequit produci à principio non vitali.

Secundam fundamentum huius sententiæ habetur q. 6. citata n. 2. sed ibi solutum est n. 14.

Confirmatur. Nam species nequit influere, ut se tenet ex parte obiecti, nec prout se tenet ex parte potentie, nec ut se tenet ex parte utriusque: ergo nullo modo influit. Probatur antecedens quoad primam partem. Sæpè obiectum non existit in re, & sæpè est ens chimericum, cui repugnat existere; sed obiecta hæc non possunt efficere: ergo species, ut se tenet ex parte talis obiecti, nequit efficere. Secundo. Species eatendū influit, quatenus per illâ constituitur potentia in actu primo similis obiecto; sed species, ut sic continens potentiam, non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte potentie: ergo non influit, ut se tenet ex parte obiecti.

Quoad secundam partem probatur antecedens. Species est vicaria obiecti, loco illius concurrentis ad efficientiam, & partum notitiæ: ergo si influit, influit, quatenus se tenet ex parte obiecti, & non ex parte potentie. Rursus. Essentia Divina gerens manus speciei, influit in visionem beatificam; sed non influit se tenens ex parte potentie, cum nequeat esse forma, & actus potentie: ergo species non influit, ut se tenens ex parte potentie.

Quoad tertiam partem probatur. Obiectum, & potentia sunt res diversissimæ; sed idem nequit se tenere ex parte diversarum: ergo species nequit influere se tenens

cc

ex parte utriusque. Rursus. Duo munera diversa nequeunt exerceri ab specie, nisi ordine quodâ, nempe, vnum primariò, aliud secundariò; sed inter gerere vices obiecti, & actuare potentiam, non est ratio, cur vnum sit magis principale, quàm aliud respectu speciei: ergo &c.

4. Contraria sententia est communis Thomistarum cum D. Thomas, & Scotistarum cum Subtili Doctore in 1. Sententiar. q. 7. & nostræ Scholæ cum B. Egidio q. 4. & 5. de cognitione Angelorum. Videtur expressa in P. Augustino lib. 9. de Trinit. cap. ult. vbi ait: *Liquidò tenendum est, quod omnis res, quam cognoscimus, congenerat in nobis notitiâ sui: ab utroque enim paritur notitia, à cognoscente, scilicet, & cognito.* Idem habet 15. de Trinit. cap. 10. & cap. 24. ait: *Formata quippe cogitatio ab ipsa re, quam scimus, verbum est.*

Ad idem D. Thomas q. 2. de Verit. art. 6. vbi ait: *Qualibet actio sequitur conditionem formæ agentis, quæ est principium actionis; sicut calefactio mensuratur secundum modum caloris. Similitudo autem qua informatur potentia cognoscitiva, est principium cognitionis secundum actum, sicut calor calefactionis.* At calor est principium efficiens calefactionem: ergo species, quæ est similitudo obiecti, est principium effectivum intellectionis. De mente Egidij constat locis citatis, &

quodlib. 5. q. 15.

5. Probatur ratiõne. Virtus adæquatè præcontentiva cognitionis solum salvatur in complexo ex potentia, & specie obiecti; sed in cognitionem influit virtus eius adæquatè præcontentiva: ergo tunc potentia, quàm species efficiunt cognitionem. Maior probatur. Tum ex P. August. supra laudato, ex quo dicitur, quod *ab obiecto, & potentia paritur notitia;* ab eo autè paritur, in quo adæquatè continetur; sed obiectum solum concurrat, mediante specie, cum per se ipsum non possit uniti intellectui: ergo virtus adæquatè contentiva &c.

Secundò probatur maior. Virtus præcontentiva adæquatè non salvatur, nisi in potentia intrinsecè completa, & determinata ad cognitionem; sed intrinsecè completur, & determinatur per speciem impressam; & hoc est manus speciei: ergo &c. Tertio. Virtus adæquatè contentiva cognitionis solum salvatur in potentia simili obiecto in actu primo: *Simile non cognoscitur, nisi à simili, ut docet Philosophus 3. de Anima ex communi sententiâ;* sed potentia solum per speciem impressam redditur obiecto similis in actu primo: ergo idem.

Confirmatur. Verbum per cognitionem productum est formalis similitudo obiecti; cognitio etiâ est vitalitèr assimilativa; ergo vir-

tus adequatè præcontentiva cognitionis est formalitèr similis obiecto in actu primo. Patet consequentia; alioquin non esset productiva verbi formalitèr similis in actu secundo. Sed per speciem unitam sit intellectus obiecto similis in actu primo: ergo &c. Vide alias rationes q. 6. n. 6. Et in Nostro Gavardi q. 8. de Anima art. 4. §. 1.

Si dicas, sufficere, quòd species concurrat in genere causæ formalis actuando, & determinando intellectum: quare non requiritur, quòd concurrat efficientèr. Contra est. Nam intellectus est pura potentia in genere intelligibili, sicut materia in genere physico; sed forma physica actuans materiam, non est sola causa formalis materiæ, sed etiã principium activum operationum totius compositi: ergo species non solum actuat intellectum in genere causæ formalis, sed est principium effectivum cognitionis, quæ est actio totius complexi ex obiecto, & potentia. Præterea. Si species solum concurreret formalitèr, applicando obiectum, solum concurreret, vt conditio ad cognitionem, eo modo, quo applicatio ignis ad stupam, est conditio ad combustionem: ergo sicut combustio, & quicumque effectus non evadit similis applicationi, aut causæ applicanti, ita cognitio, & verbum productum non assimilaretur spe-

ciei impressæ, puidè applicanti obiectum potentie: ergo cum hoc sit contra sententiã omnium Philosophorum; tenendum est, quòd species, & obiectum per speciem insit in cognitionem.

§. II.

Solvuntur argumenta.

AD primum fundamentum sententiæ contrariæ dic, quòd obiectum in specie habet esse intentionale, non fictum, sed reale: Hoc sufficit ad causandum in esse intelligibili; nam cum effectus non evadat similis in esse naturali, sed in esse intentionali, sufficit pro hoc existentia intentionalis obiecti in specie. Per hoc patet ad explicationem, nam species causat vt vicaria obiecti, & sic secundum esse intentionale. Hoc esse sufficit ad efficiendam similitudinem intentionalem obiecti, quæ est in specie expressa per modum termini, & in cognitione per modum vitalis tendentiæ. Ad primam confirmationem nego maiorem, nam obiectum non solum concurrat specificando, sed influendo, vt probatum est: ergo non solum concurrat, vt causa formalis, sed etiã vt efficiens, licèt vt efficiens non habeat specificate.

Ad secundam confirmationem nego antecedens in nostris principijs,

phjs, in quibus obiectum concurrat etiam effectivè ad actus voluntatis de quo infra. Thomistæ communitèr in hoc sentientes contra Caietanum dant disparitatem ex diverso modo operandi utriusque potentie, nam intellectus trahit res ad se, & intra se debet formare similitudinem obiecti. Pro hoc necessarius est concursus effectivus obiecti. Voluntas autem, quæ fertur ad res, vt sunt in se ad extra, non indiget formare intra se rerum similitudines; quare solum indiget notitia obiecti, quam habet per cognitionem sibi præsentantem obiectum in genere causæ formalis extrinsecæ.

Ad tertiam confirmationem dicimus, eã malè torqueri Thomistæ, vt patet ex dictis lib. 2. Physicorum q. 10. n. 16. Et inde aliqui Thomistæ moventur ad negandam, speciem impressam concurrere ad intellectionem efficientèr. At hoc est contra Div. Thomam, tum loco citato, tum 1. p. q. 56. art. 1. vbi expressè docet concursus effectivum. In nostra sententiã nullum est argumentum, vt patet ex dictis, quæ citata n. 32. vbi ostensum est, quòd substantia, quæ in genere physico non est immediatè operativa, potest esse operativa in genere intentionali, quia vis ad sic operandum in substantia spirituali est spiritualitas, & cognoscibilitas proxima, quæ sine inconvenienti

identificatur cum substantia spirituali creata, vt ibidem latè ostensum est. Ad quartum dic, quòd species est principium vitale vt quò, licèt non sit vitale vt quod. Ità habitus infusi non sunt vt quod vitales, ceterum quia deserviant potentie vitali, sunt vitales vt quò. Vel dic, quòd effectus vitalis potest oriri inadquatè à principio non vitali, quando potentia vitalis petit ab illo adiuvari: Sic, quia potentia nostra petit concursus Dei extrinsecū pro suis actibus vitalibus, idèd actus vitales nostri procedunt à Deo causa non vitali illorum. Hinc solvitur instantia à paritate: nam actus supernaturalis petit supernaturalitatem in potentia, nec ista petit adiuvari à principio non supernaturali. Adde, quòd cognitio est vitalis, & est assimilativa: ergo nec adequatè continetur in potentia vitali sola, quæ sic non est assimilativa, nec in specie sola, quæ est assimilativa, sed non vitalis: vnde adequatè continetur in complexo ex potentia, & specie, vt probatum est.

7. Ad secundum fundamentum responderet ex dictis q. 8. n. 10. quòd species duplicitèr unitur potentie, nempe, entitativè, & intentionalitèr. Per primam unionem se tenet ex parte potentie; per secundam ex parte obiecti. Vnde oportet solvere, quæ contra

tra utramque arguitur. Ad probationes contra primam partem dic ad primam, quod obiectum non existens in re, existit tamen intentionaliter in specie: & cum hæc existentia sufficiat ad causandum effectum intentionalem, idè dicitur, quod species sic causans, se tenet ex parte obiecti existentis quidem non physicè, sed intentionaliter in specie. Obiecta autem chimerica non habent propriam speciem, sed alienam, vt privationes, & entia rationis: quare dum producitur verbum, non fit simile chimeræ, aut enti rationis, sed enti reali, cuius erat propria species. Ad secundam dic, speciem sub munere constituendi potentiam similem obiecto, substituere pro obiecto, & sic se tenere ex parte illius. Pro hoc species informat, & actuat potentiam in esse entitativo, quare se tenet etiam ex parte potentie.

Ad probationes contra secundam partem dic, leves esse. Nam licet species sit vicaria obiecti,


vnitur potentie, quam actuat: ergo sic se tenet ex parte obiecti, vt se teneat etiam ex parte potentie. Ad secundam dic, quod Essentia Divina vnitur potentie intellectivæ non vt forma inhærens, sed vt purus terminus. Inhærentia speciei convenit, quia creata est, & accidens entitativè inhærens. Essentia Divina est substantia, cui repugnat inhære, sed non vniri per modum termini.

Ad probationes tertiæ partis dic, quod, licet obiectam, & potentia sint entitativè diversissima, conveniant tamen in ratione principij cognitionis, & ex utroque integratur principium influens in cognitionem. Sub hac convenientia respiciuntur à specie, quæ se tenet ex parte utriusque. Ad secundam dic, munus principale speciei esse gerere vices obiecti, hoc munus ordinatur ad aduandam potentiam, & hunc ordi-

nem servant inter se.



QVÆST.



QVÆSTIO X.

De memoria, & verbo mentis.

§. I.

Explicatur, quid sit memoria, & an differat ab intellectu; obiter etiam dissolvuntur pulchra quesita.



ATER Au- gustinus varijs locis agit de memoria, sed præsertim lib. 10. Con-

fession. à cap. 8. vsque ad 20. vbi memoriam vocat immensam capacitatem specierum servati- cem. Ibi versat varia memorie exercitia, ad stuporem mirabilia, quæ fatetur, explicari non posse. De mente ipsius definit potest memoria sic: Est thesaurus, in quo reconditæ sunt innumera imagines rerum, inuenta per sensus. Et notandum, duplicem esse in nobis memoriam, alteram sensitivam, in qua servantur species sensibiles obiectorum. Hæc est vnus ex sensibus internis, communis etiam pecoribus. Alteram spiritualem, propriam naturæ intellectivæ, in qua servantur species spirituales,

& intelligibiles.

Huius memorie existentia probatur. Nam transacto actu intelligendi, conservantur in anima species intelligibiles, sed locus specierum est memoria: ergo in nobis existit memoria. Maior est communis Theologorum cum P. Augustino loco citato, & cum Magistro sententiarum in 2. dist. 3. & cum D. Thoma 2. contra Gent. cap. 74. Et docetur à Philosopho lib. 2. de Anima cap. 5. vbi docet, posse permanere intellectum in actu primo absque secundo. Idem habet lib. de memoria, & reminiscencia cap. 2.

Probatur experientia. Nam recordamur actus præteritorum Dei, & beneficiorum eius; idem cum volumus, consideramus ea, quæ novimus. Quod si dicas cum Avicena tenente oppositum, in his casibus novam produci speciem. Contra, est, quia

quia superflue adstruitur hæc nova specierum productio, cum species non comparentur, nisi magno discursu, & labore; sed constat, nos sine labore reminisci eorum, quæ novimus: ergo reminiscencia sit per præcedentes species conservatas, non per novas acquisitas. Rursus. Scientia habitualis magna ex parte consistit in ordine specierum: ergo conservantur ad usum facilem species illæ, quæ difficulter, & laboriosè acquisitæ sunt.

2 Ratio à priori est. Nā species intelligibiles non pendent in conservari à præsentia obiecti, nec ab actu intelligendi: ergo cum aliud sint spirituales, & non habeant contrarium, à quo corrumpantur, perseverant in anima, transacto intelligendi actu. Confirmatur. Nām intellectus Angelicus conservat species à Deo infusas; pars etiā sensitiva interior nostra conservat species sensibiles: ergo etiā intellectus noster, qui in suo genere habet virtutem completam cognoscendi, eas retinet. Patet consequentia, quia hæc virtus ex magna parte completur virtute retinendi species.

Confirmatur secundò. Quia anima separata recordatur rerum, quæ gessit in corpore, ut dicitur Lucæ. 16. & itaq; ultimo: ergo retinet species illas, quas in hac vita acquisivit. Quod si dicatur, animam separatam cognoscere, quæ gessit in corpore per species

infusas. Contrà est: nām infusio illa sine fundamento adstruitur, aut saltèm sine necessitate. Præterquamquod cognitio per species novitè infusas, non esset reminiscencia; de anima autèm separata dicitur reminisci.

3 Quæritur primò, an memoria sit potentia realitèr distincta ab intellectu? Ratio dubitandi est: nām intellectus, & memoria habent actus specie diversos; actus enim intellectus est intellectio, actus autèm memoriæ conservatio specierum: ergo sunt potentiæ specificè distinctæ. Confirmatur. Memoria sensitiva distinguitur ab alijs sensibus cognoscitivis: ergo memoria intellectiva distinguitur ab intellectu. Rursus. In anima reperitur imago Sanctissimæ Trinitatis: quatenus vna anima est cum tribus potentijs realitèr distinctis, sicut in Deo est vna essentia cum tribus personis realitèr distinctis; sed potentiæ animæ sunt memoria, intellectus, & voluntas: ergo realitèr distinguantur.

Contraria sententia est communis, quam docet B. Ægidius in 1. Sententiar. dist. 3. p. 2. q. 2. art. 2. & alijs locis citatis à Gavardi. Eam docet D. Thomas 2. contra Gent. cap. 74. & q. 10. de Verit. art. 3. vbi ait: *Quod in parte sensitiva, quæ fertur ad præsens, in quantum præsens est, si feratur in præteritum, requiritur alior virtus, quam ipse sensus, & hæc est memo-*

memoria: quæ tamen in parte intellectiva non distinguitur ab ipso intellectu apprehendente. Idem docuit P. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 11.

Ratione probatur. Meminisse nihil aliud est, quam iterum cognoscere ea, quæ iam cognita fuerunt; sed cognitio est actus intellectus: ergo etiā meminisse. Sed si essent potentiæ distinctæ, non possent habere eundem actum, & sic nec memoria iterum cognoscere, nec intellectus meminisse: ergo sunt eadem potentia.

Confirmatur. Eadem potentia recipiens species, est potens conservare; sed recipiens est intellectus; conservans est memoria: ergo sunt eadem potentia cum diverso munere recipiendi, & conservandi. Ob id P. Augustinus loco citato dicit: *Non est alia regio earum, quæ colligenda sunt, ut sciantur (Eh receptio specierum) & donud velut nova excogitanda sint in idem iterum (ecce exercitium memoriæ, iterum cogitantis semel intellecta.)*

Ad rationem dubitandi dicimus, quod producere, & conservare intellectionem, pertinet ad eandem potentiā; sed intellectus non potest conservare intellectionem, nisi conservando speciem: ergo conservare speciem est exercitium intellectus, nec est adæquate diversum à cognitione. Ad secundam

dic, in superioribus esse collecta, quæ in inferioribus sunt dispersa: ergo licet in parte sensitiva distet memoria à potentia cognoscitiva, secus in parte intellectiva; ut vidimus ex D. Thoma. Ratio à priori est, quia cognoscere præteritum petit altius lumen: ergo memoria sensitiva est distincta, & superior ad potentiā cognoscitivam. Intellectiva autèm habet lumen sufficiens ad cognoscendum præteritum.

Ad aliud de imagine Trinitatis, dic, animam nostram in multis deficere à perfecta imagine, nam Personæ Divinæ sunt supposita substantialia, sed potentiæ nostræ sunt accidentia. Rursus. Potentiæ nostræ sunt inæquales in perfectione, personæ autem Divinæ plene æquales. His adiunge realem distinctionem personarum cum sola virtuali intellectus, & memoriæ nostræ.

4 Quæritur etiā, an memoria sit tantum præteritorum, an etiā præsentium? D. Thomas asserit, esse tantum præteritorum, quod etiā docet noster Ægidius, quem sequitur Gavardi. Contrarium tenet noster Reiloff, allegans P. Augustinum lib. 14. de Trinitate cap. 11. vbi ait, quod memoria meminit sui; sicut quis dicitur sui oblivisci; sed memoria est sibi præsens: ergo datur memoria præsentis. Confirmatur à Suárezo, nam Angeli, & Deus per-

fectissimè memorantur; dicitur enim Genes. 9. *Recordabor fœderis mei.* Et Hieremiæ 2. *Recordatus sum tui;* sed Deus omnia habet præsentia, & cognoscit intuitivè: ergo memoria est etiam cognitio præsentium.

Nihilominus contrarium tenendum est cum DD. Nostris. Nam memoria probatur ex conservatione speciei obiecti iam cogniti, & absentis; sed res præsentis non sunt præteritæ formalitèr, sed materialitèr: ergo de ipsis non est memoria. Rursus. Quæ videntur, non habent fidem, sed agnitionem, ut ait Sanctus Gregorius; ergo quæ præsentia sunt, non habent remiscientiam, sed cognitionem. Patet consequentia: quia sicut fides est de non visis, ita memoria est de præteritis.

Nec motiva contraria videntur. Ad primum dic, quædam esse præterita, quæ plenè deficiunt; alia, quæ durant in præsentia. Dum memoria sui meminit, & est sibi præsens, habet quasi duplicem cognitionem, unam sui de præsentia durantis; alteram sui de præterito existentis. Hæc secunda est propriè actio memoriæ. Ad aliud de Deo, & Angelis dicimus, ibi memoriam sumi pro negatione oblivionis; vel pro effectu recordationis, quem promissit Deus. Sic dum nostræ miseriæ non succurrit, dicitur: *Oblivisceris inopia nostræ: non quia Deus capax sit oblivio-*

nis, sed quia negando auxilium, habet effectum oblivionis. Hoc modo Deum recordari, est statè promissis.

Si quæras. Quomodò intellectus præteriti memoretur, cum non possit in via. D. Thomæ cognoscere præteritum? Ratio est: nam præteritum importat tempus determinatum in particulari, quod pertinet ad conditiones materiales, & individuales; sed intellectus solum cognoscit universalia: ergo non potest cognoscere præteritum, ut præteritum. Respondetur ex dictis q. 6. n. 39. quod non negat D. Thomas, intellectum cognoscere singularia, & conditiones individuantes indirectè, & reflexè, sed solum directè: quare cum per reflexionem cognoscat tempus particulare, per reflexionem etiam cognoscit præteritum, ut præteritum.

5. Ultra has quæstiones disputat P. Augustinus alias, quæ ab AA. prætermittuntur, cæterum hic breviter aliquas proponemus. Sit prima. Sæpè recordamur affectionum animi, v. g. nos fuisse lætatos, aut tristes, aut timuisse; & tamen non lætamur, cum reminiscimur lætitiæ præteritæ; nec tristamur, cum meminimus præteritæ tristitiæ; etiam sine timore recolimus nos timuisse. Hæc experimur, sed ecce dubium. Recordatio ista est nova conversio supra species lætitiæ, tristitiæ, & timoris,

timoris, quas acquisivimus lætando, tristando, & timendo: cur ergo si redeunt species, non redeunt in anima illæ affectiones, ut simus per eas læti, tristes, & timidi? Et vrgetur in dolore, qui est vehemens, & necessaria apprehensio disconvenientis: ergo dum recordamur doloris præteriti, denuò habemus apprehensionem disconvenientis: ergo dū recordamur doloris præteriti, denuò dolemus; quod patet esse falsum, nam sine dolore præsentis recordamur doloris præteriti.

Hanc difficultatem versat P. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 13. & respondet, quod illas affectiones alitèr habet anima, dum illas patitur, alitèr memoria, dum illarum recordatur. Ex hac diversitate oritur, quod anima sine dolore recordatur doloris præteriti, & sine tristitia meminit tristitiæ præteritæ; & sic de alijs. Apprehensio autem disconvenientis causat dolorè, quando præsens est, quod disconvenit; secus dum absens, aut præteritum est.

6. Sit secunda. S. P. cap. 16. observat, nos recordari oblivionis nostræ: ergo non solum meminimus, quæ cognita sunt, sed ipsius oblivionis memoriam habemus: ergo cognoscimus oblivionè. Vel ergo cognoscimus oblivionem per se ipsam; vel per imaginem eius. Si per se ipsam, quomodò oblivio facit nos recordari sui ipsius, si

ipsa facit oblivisci cæterorum? Si per imaginem: ergo oblivio, quæ destruit species aliorum obiectorum, habet speciem propriam, quod est impossibile: ergo nec per se ipsam, nec per speciem suam potest à nobis cognosci oblivio, & memorati.

Concludit P. Augustinus dicens, hoc esse inexplicabile, *Sed licet modus iste incomprehensibilis sit, etiam ipsam oblivionem meminisse me certus sum, quia id, quod meminimus, obruitur.* Nihilominus responderi potest ex doctrina S. Parentis, nos recordari oblivionis modo, quo cognoscimus privationes, non entia, & falsitatem, nempe, non per speciem propriam, nam talia non habent speciem, sed per speciei privationè. Vel dic cum S. Parente, quod sicut videre tenebras est non videre, & silentium audimus non audiendo; sic meminimus oblivionis non reminiscendo.

Hoc ultimum, nisi aliud roboretur, non videtur sufficiens. Nam cessante memoria ab omni exercitio, non reminiscimur; & tamen tunc non recordamur oblivionis nostræ: ergo sic recordari oblivionis, quid aliud est ultra non reminisci. Dicendum videtur, quod sicut oblivio non est pura carentia speciei, sed speciei commendatæ memoriæ; ita recordatio oblivionis non est pura carentia reminiscentiæ, sed connotat præcedentem actum memoriæ, quo voluit recordari, sed non potuit.

7 Sit tertia. Mulier, quæ Lucæ 15. perdidit dragmam, lumine admoto, quæsit eam, & inventam agnovit, quia interius conservabat speciem, & imaginem dragmæ deperditæ, ex qua cognovit eam esse inventam, quæ perditæ erat. Sic dum obliviscimur, perdimus speciem, quam habebamus in memoria; sed ibi eam quærimus, donec inveniamus. Occurrunt multa, & dicimus: *Non est hoc*; donec illud occurrat, quod quærimus, & tunc dicimus: *Hoc est*. Quæritur, quomodo dicimus *Non est hoc*? Nam antequam occurrat, quod quærimus, species eius est deperdita; deperdita specie, non possumus cognoscere, & reminisci: dum autem dicimus: *Non est hoc*, certè reminiscimur obiecti, quod quærimus; alioquin non possemus dicere: *Non est hoc*. Vel ergo reminiscimur, & cognoscimus sine specie, & hoc est impossibile: vel habemus speciem obiecti, quam quærimus, & hoc est falsum; nam si non esset deperdita, non quæreretur in memoria.

Respondetur cum S. P. ibidem cap. 19. quoddam species deperdita non est totalitèr abolita; alioquin *nec amissum quærere poterimus, quod omnino obliti fueramus*. Erat ergo tantum ex parte deperdita species, & ex parte retinebatur, ita ut partialis retentio duceret ad inquisitionem; & occurren-

te comparte sufficiat ad approbationem, qua quis dicit: *Hoc est*. Addit S. Patens: *Neque enim omnimodo adhuc obliti sumus, quod vel oblitos non esse meminimus*. Hinc alitèr solvitur difficultas secunda. Nam meminimus oblivionis nostræ per speciem obscuram, & partialem obiecti, cuius est oblivio. Si non obiectam plenè esset oblitum, & species eius plenè abolita, non possemus recordari oblivionis nostræ.

8 Memoriam describit sic S. P. cap. 17. *Magna ista vis est memorie, nescio quid horrendum, Deus meus, profunda, & infinita multiplicitas: & hoc animus meus est, & ego ipse sum. Ecce in memorie meæ campis, & antris, & cavernis innumerabilibus, atque innumerabiliter plenis innumerabilium rerum generibus, sive per imagines, sicut omnium corporum, sive per presentiam, sicut artium; sive per nescio quas notiones, vel notas ones, sicut affectionum animi, quas & cum animus non patitur, memoria tenet, cum in animo sit quidquid est in memoria; per hæc omnia discuro, & volito, hæc, atque illæ, penetro etiam quantum possum; & finis nusquam: tanta vis est memorie in homine vivente mortalitèr.*

Observa, quoddam sicut intellectus potentia spiritualis est, sed pendet à phantasmate in omni sui cognitione; sic in memorando, quia reminisci est iterum cognoscere. Vide dicta q. 5. §. 3. Vbi data

data est ratio dependentiæ intellectus à phantasmate non solum in acquisitione specierum, sed in usu iam acquiratarum, qui est proprium exercitium memoriæ. Hinc fit, quoddam licet in homine memoria intellectiva differat à sensitiva, illa pendet ab ista, & laeso cerebro, ubi est ventriculus memoriæ sensitivæ, læditur etiam memoria intellectiva. Indè etiam medicamentis iuvatur utraque memoria, sensitiva immediatè, & mediatè intellectiva; quatenus per medicinam organum memoriæ reducitur ad debitum temperamentum, cum antea peccaret vel nimia humiditate, ob quam non retinet species modo, quo nec aqua impulsionem sigilli; vel nimia siccitate, & duritie, ob quam non imprimitur species, sicut sigillum non imprimitur lapidi. Quare sicut cera est optimi temperamenti ad sigillationem, quia facilè recipit, & fidelitèr tenet sigillationem; sic organum benè temperatum facilè recipit species, & retinet.

Memoriæ contrariatur oblivio, quæ est abolitio specierum. Istæ species paulatim desunt; sed cum non habeant contrarium, à quo destruantur, ferè pereunt per non usum. Conservantur à memoria, in qua retinentur, & in aliis quibus memoria est magis retentiva, quam in alijs, ob temperamentum organi excellens. Regularitèr quæ primo aspectu facilè

commendantur memoriæ, facile dilabuntur: è contrà, quæ difficultèr, & repetitis aspectibus memoriæ mandantur, difficultèr abolentur, nam magis radicantur in subiecto. Angeli, & anima nostra separata habent species inamissibiles; quare non sunt capaces oblivionis. At quia non semper sunt in actuali scientia omnium specierum, cum solum cognoscant eas, supra quas convertuntur, idèr aliquomodo exercent memoriam preteritoram. De quo vide B. Egidium de cognitione Angelor. q. 4. & seqq.

§. II.

Deciditur, an in omni intellectione producat verbum, & quid sit.

9 EX dictis q. 7. & 8. de specie impressa constat, quoddam species expressa, seu verbum mentis est *formalis similitudo obiecti in actu secundo, dicta, & producta ab intellectu cognoscente*. Hæc vocatur *conceptus, notitia, & partus, aut fetus intellectus*. His nominibus vocatur à Theologo cum P. Augustino 9. de Trinit., ubi latissimè explicat verbum ab intellectu generatum, analogia sumpta à generatione naturali. Sicut enim habens naturam humanam in esse entitativo, generat

rat filium sibi similem entitative in natura; ita intellectus habens intentionaliter hominem in specie impressa, generat intentionaliter speciem expressam, quæ est similitudo intentionalis hominis cogniti. Ob id dicitur proles, fœtus, & partus. Rursus. Sicut locutione externa dicimus quæcumque cognoscimus; sic locutione interna dicit intellectus, quæ cognoscit, & verba eius sunt species expressæ. Ob id species vocatur verbum.

Plura de verbo disputantur, sed quæ pendent ex dictis q. 6. n. 17. & 19. Ibi vidimus plures cum Suario tenere, quod verbum non differt ab intellectione. Sed Thomistarum sententia, & nostra docet, verbum realiter differe à cognitione, & ibi satis probatum est. Indè plures quæstiones de verbo dissolvuntur, quas hic summam attingemus.

10. Quæres primò. An verbum sit conceptus formalis, an obiectivus? Suarius cum affectis dicit esse formalem. Probatur. Quia verbum non distinguitur ab intellectione; sed intellectio est conceptus formalis: ergo & verbum. Contrarium tenendum est à nobis. Probatur. Nam verbum non est intellectio, sed terminus intellectionis, ab ea productus; sed terminus intellectionis non est conceptus formalis, sed obiectivus: ergo verbum est conceptus obiectivus.

Quæres secundò. An verbum sit medium quo intellectus cognoscit, an medium in quo? Suarius cum suis dicit esse medium quo. Probatur. Quia intellectio est medium quo intellectus cognoscit, non autem medium in quo; per intellectionem cognoscit, non autem in intellectione; sed intellectio non distinguitur à verbo: ergo verbum est tantum medium quo. Contraria sententia est omnium nostrorum. Probatur. Medium quo cognoscendi est sola intellectio; sed verbum non est intellectio, sed terminus eius, in quo intellectus contemplatur obiectum: ergo verbum non est medium quo, sed in quo.

Quæres tertio. An intellectio sit prior natura, quam verbum? Negant cum Suario multi. Probatur. Quia prioritas naturæ datur inter distincta realiter, quorum unum est causa alterius; sed intellectio non differt à verbo, nec est causa verbi: ergo non est prior natura. Contraria sententia est nostra. Probatur. Dicitio verbi est causa eius, & sic præcedit verbum prioritate naturæ, & ab illo realiter distinguitur; sed intellectio est formaliter dicitio verbi, ut loco citato probatum est: ergo est prior natura, quam verbum.

Observa. Omnia, quæ nos dicimus de intellectione relatè ad verbum, dicunt alij cum Suario de actione, quam ponunt in intellectu

lectu ad producendam intellectionem. Nos talem actionem negamus, quia, licet intellectio in nostris principijs sit qualitas, habet tamen modum actionis; & ob id dimanat ab intellectu sine nova actione, & se sola sufficit producere verbum, à quo in nostris principijs distinguitur.

11. Maior est difficultas, an intellectus in omni cognitione sua producat verbum? Ratio dubitandi pro affirmativa sententia sumitur ex D. Thoma 1. p. q. 27. vbi ait: *Quicumque intelligit, ex hoc, quod intelligit, producit verbum.* Idem habet q. 4. de Verit. art. 2. Quod videtur desumptum ex P. Augustino 9. de Trinit. cap. 11. Et indè probat D. Thomas contra Arrianos, & Sabellianos, quod Deus producit Verbum Divinum ad intra per actionem immanentem, cum Deus sit intelligens. Et confirmatur. Nam intellectus non solum est potentia cognoscitiva, sed dicitiva: ergo non solum est intelligens, sed dicens; at dicit producendo verbum: ergo omnis cognitio est productiva verbi.

Pro negativa sententia adest, quod in Divinis Filius, & Spiritus Sanctus intelligunt, sed non producant Verbum, quod à solo Patre producit: ergo non omne intelligens producit verbum. Præterea, Beati per visionem beatam intelligunt Divinam Essentiam;

sed non producant verbum in probabiliori sententia Thomistarum. Similiter dum Angelus cognoscit suam essentiam, non format verbum apud eosdem Thomistas: ergo falsum est, quod in omni cognitione producat verbum.

12. In hac quæstione Suarius cum suis tenet affirmativam. Nam cum verbum non differat ab intellectione; sicut nemo intelligit, nisi per actionem distinctam producat qualitatem intellectionis; ita nemo intelligit, nisi producat verbum. Hinc docent, Beatos producere verbum in visione beata, & Angelum, dum propriam essentiam cognoscit. At hæc sententia nobis non probatur, qui loco citato negavimus, intellectionem esse indistinctam à verbo, & esse qualitatem productam per actionem distinctam.

Supposito ergo, quod verbum producat per intellectionem, à qua distinguitur, adhuc integra manet quæstio. Pendet decisio ex varijs opinionibus circa necessitatem verbi ad cognoscendum. Est ergo verbum necessarium ad suppleendam absentiam obiecti, si sit absens; insuper ut spiritualizetur per speciem, si sit obiectum materiale; ac tandem ut sit terminus actionis intellectivæ, quæ in plurimum sententia non potest existere sine termino. Duæ primæ necessitates explicatæ sunt in specie impressa. Quare cum non solum de-

beat obiectum esse unicum potentia in actu primo, sed in actu secundo; illud fit per speciem impressam, hoc per expressam, aut verbum mentis.

In Divinis Verbum produci- tur à Patre intelligente; at non ex necessitate aliqua ex tribus assignatis, cum nec obiectum, quod est Deus, sit absens; nec obiectum sit materiale, quod indigeat spiri- tualizari; nec tandem intelligere Dei sit pendens vlllo modo à ter- mino; nam hæc dependentia re- pugnat cuiusque actioni divinæ. Hinc dicitur à Theologis cum P. Augustino, Verbum Divinum non produci ex necessitate, sed ex fœ- cunditate: quare S. Parens 15. de Trinit. cap. 7. & 10. ait: *Verbum gigni ex memoria fœcunda Patris.* Sicut enim in locutione corporali videmus, quod ex abundantia cor- dis loquitur os; ita ex fœcunditate divini intellectus, qui in prima Persona est infinite fœcundus, & dictivus, nascitur Divinum Ver- bum, productum per intellectio- nem Patris, quæ simul est cogni- tio, & dictio Verbi.

13 His notatis, Suarius cum pluribus tenentibus, nullam actio- nem posse existere sine termino, inde docent, quod omne intelli- gens producit verbum; quare & Beati, & Angeli se ipsos cognos- centes, producant verbum; non quia necessarium sit ad supplen- dam absentiam obiecti, cum Essen-

tia Divina sit intimè præsens; sed quia omne intell gens est operans; omnis autem actio petit terminum, nec alius est terminus intelligentis, nisi verbum. Quod si opponas, in Divinis Filium, & Spiritum San- ctum intelligere, nec producere Verbum. Respondent, has Perso- nas intelligere per eandem intel- lectionem, quæ in Patre habet ter- minum productum; quare nec in Divinis est actio sine termino.


Hæc sententia nobis non pro- batur, nec meliori parti Thomis- tarum, tum, quia intellectio ex terminis non petit terminum pro- ductum, sed contemplatum, ut vidimus supra q. 6. §. 2. Tum, quia quando producit terminum, non sistit ibi, sed transit ad con- templandum obiectum in verbo producto; quare finis intellectio- nis non est productio, sed contem- platio: ergo licet intellectio non possit esse sine contemplatione ob- iecti, potest esse sine productione verbi, dum obiectum per se ipsam est in actu secundo præsens intel- lectui, ut contingit Beatis. Tum tandem, quia admittere, Beatos producere speciem expressam Dei, videtur contrariari D. Thomæ, & ferè omnes rationes, quibus pro- batur, repugnare speciem impres- sam creatam Divinæ Essentiæ re- præsentativam, militant de specie etiam expressa; quare vel utraque repugnat, vel nulla. Accedit Div. Thomas 1. contra Gent. cap. 53. ubi


ubi necessitatem verbi ostendit ex solo primo, & secundo capite, non autem ex dependentia actio- nis à termino. Vide Ioannem à S. Thoma q. 10. de Anima art. 2.

14 Thomistæ communiter, & nostri cum Beato Ægidio citato à Gavardi tom. 2. Theologiæ q. 2. de Processionib. Divin. art. 1. negantes dependentiam intellec- tionis à termino, docent, in omni cognitione produci verbum, si ob- iectum sit absens, aut sit materia- le: Quia autem nulla ex his neces- sitatibus est in Deo, idè si ad illas solas reducitur illa propositio Divi Thomæ: *Omne intelligens ex hoc ip- so &c.* videtur, quod ex illa non benè probatur productio Verbi in Divinis, ubi nec obiectum est ma- teriale, nec absens; & sic nulla ibi intervenit productio verbi, aut saltè ex hoc principio non potest probari.

Noster Gavardi ibi refert tres expositiones Thomistarum pro illo principio, quas rejicit, ut insuf-

ficientes. Propriam ponit cum B. Ægidio de mente P. Augustini, di- cens, hoc principium non intelli- gi de omni intellectione, sed de in- tellectione fœcunda. Ad fœcundi- tatem requiritur virtus producti- va termini, & quod terminus sit producibilis. Totum reperitur in Patre Æterno, cuius intellectio est sic fœcunda, nam habet infinitam virtutem producendi Verbum, & respectu Patris Verbum est termi- nus producibilis. Secus respectu Filij, & Spiritus Sancti, nam quod productum est, non potest denudè produci; nec possibile est Ver- bum distinctum à iam producto per intellectionem paternam. In Beatis non est virtus productiva verbi infiniti, sed finiti: cæterum nullum verbum finitum est possi- bile representans Deum. Ob id eorum visio non producit verbum, quia non est fœcunda. Iam agimus difficultatem theologicam, & præ- ter institutum, quare Theologis dimittenda est.





QVÆSTIO XI.

De voluntate, volitione, & obiecto voluntatis.

§. I.

Explicantur, quæ concernunt voluntatem, vt potentia rationalis est.



Advertit Suarius, quod non oportet radicis explicare doctrinam de voluntate, alioquin in presenti præter institutum, opus esset huc revocare integrâ Philosophiam moralem, & magnam partem Theologiæ. De voluntate in communi, & in particulari agit Div. Thomas 1. p. à q. 80. sed præcipuè q. 82. & 83. cum quo Theologi moderni. Est ergo voluntas potentia rationalis appetitiva. Quare sicut in animantibus probatur appetitus sensitivus ex cognitione sensitiva, vt vidimus lib. 2. q. 11 ita ex intellectu probatur voluntas, & ex rationalitate infertur potentia appetendi bonum conformitèr ad rationem; ob idque vocatur rationalis appetitus.

Hanc probationem putavit efficacem D. Thomas 1. p. q. 10.

art. 1. & q. 19. art. 1. ad suadendam existentiam voluntatis in natura intellectuali. Et licet Baziquius in commentario eiusdem articuli putet rationem D. Thomæ esse meram congruentiam: quæ tamen pro hoc adducit, coincidunt cum argumentis, quæ obijcit, & dissolvit ibidem Caietanus, vt benè notat Ioannes à S. Thoma q. 11. de anima, art. 1. Ibi invenies doctrinam, quam approbamus, & in Suario lib. 5. de anima. cap. 1.

2. Quæri potest, an in homine appetitus rationalis differat à sensitivo? De hoc D. Thomas 1. p. q. 80. art. 2. vbi tenet affirmativâ, quam probat, quia appetitus est potentia passiva, quæ movetur ab obiecto cognito, & apprehenso: ergo diversificantur appetitus iuxta diversitatem apprehensorum sed cognitio sensitiva realitèr differt à cognitione intellectiva; potentia etiam cognoscitiva realitèr

realitèr differunt in homine: ergo etiam potentia appetitiva, sensitiva, & rationalis. Rursus. Appetitus sequens sensum, non potest esse immaterialior, quàm sensus: sed si non differret ab appetitu rationali, esset immaterialior; nam voluntas immaterialior est omni sensu: ergo distinguuntur. Tandem distinctio obiecti materialis ab immateriali specificat, & distinguit realitèr potentias cognoscitivas, sensitivam, & rationalem: ergo etiam appetitivas.

Contrarium docuit Nicolaus à S. Ioanne Baptista Augustinianus discalceatus in sua Philosophia Augustiniana, putans hanc esse mentem P. Augustini. Ipsum audivimus, & satis explosimus q. 11. citata. Observa cum Suario, esse de fide dari in homine vtrumque appetitum. Ait enim Apostolus ad Galatas 5. *Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem.* En duplex appetitus in homine, & insinuat non solum diversus, sed invicem pugnans. Genesis etiam. 4. dicitur: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* En appetitus sensitivus sub dominio voluntatis, quæ est appetitus rationalis: ergo differunt ambo, sicut servus, & dominus. Ex his, & rationibus inductis probatur à communi sententia Theologorum, & Philosophorum distinctio realis vtriusque appetitus, quam docet communis

sententia.

3. In voluntate distinguuntur duo munera; nam aliquando operator, vt *natura*, aliquando, vt *libera*. Operatur vt natura, quâdo agit ad vnum determinata. Hoc contingit, vel ex meritis obiecti, quia illud appetit necessariò, v. g. dum appetit beatitudinem in communi, vt docet P. Augustinus 3. de libero arbitrio, cap. 7. vel ex indispositione, & imperfectione potentia, quia agit indeliberatè, vt in motibus primò primis. Operatur autem vt libera, quando operatur circa bonum finitum, propositum cum indifferentia.

Hinc libertas voluntatis probatur ex indifferentia iudicij intellectus, hoc est, ex dictamine intellectus proponente obiectum cum indifferentia. Tunc ita proponit, quando representat obiectum cum rationibus attrahentibus, & retrahentibus voluntatem. Eas percipiens volûtas, constituitur expedite libera ad amplectendum obiectum propositum in vi rationum attrahentium, vel fugiendum propter rationes retrahentes. Ob id intellectus dicitur radix libertatis, quæ non stat sine iudicio indifferenti, & ab illo radicitur. Libertas non est potentia distincta à voluntate, sed est voluntas tendens in obiectum sine necessitate, & cum dominio non tendendi, aut se distrahendi ab obiecto proposito.

Hic plura disputantur, quæ Theologi fecere sui iuris, nempe, an voluntas sit libera circa finem, an tantum circa media? An possit pro libito eligere, & inclinari, quando bona sunt æqualia, & æqualiter propoſita? An sit formaliter libera immediatè in actibus imperatis? An cogi possit in actibus elicitis? De quibus, & alijs consule Theologos.

§. II.

De actu voluntatis, & deciditur an sit efficienter ab obiecto.

4. **V**arios actus voluntatis, qui versantur circa finem, & antecedant electionem mediolorum, necnon qui versantur circa media, & qui supponunt finem iam consecutum, explicavimus lib. 2. Physicorum q. 13. §. 2. Si quid autem ultra desideratur, videatur doctrina data de intellectu q. 6. §. 2. nam volitio, & quicumque actus voluntatis est actio immanens, & sic vera qualitas, habens modum actionis. Quod si admittitur, aliquid productum per volitionem, quod vocatur impulsus, illud erit realiter distinctum à volitione; sicut verbum realiter distinguitur ab intellectu, per quam producitur.

Quæritur hic, an volitio fiat

à sola voluntate, an à solo obiecto, an autem ab utroque simul? Simile dubium decisum est de intellectu q. 6. §. 1. ubi diximus, intellectum non fieri à sola potentia, nec à solo obiecto, sed ab utroque simul. Videantur ibi dicta, præsertim quæ allegavimus contra Nostrum Gavardi, docentem, intellectum, & volitionem sub ratione qualitatis fieri à solo obiecto: quod de actu voluntatis, qui petit esse plene à potentia libera, maiorem habet difficultatem. Suficerent dicta de intellectu, nisi Suarius, Bazquius, & maior pars Theologorum cum Scoto negarent paritatem, admittentes, quod obiectum influit in cognitionem, sed negantes de obiecto voluntatis. Ob id oportet de voluntate novum dubium excitare, & dissolvere.

5. Hoc dubium plene à nobis decisum est 2. Physicorum q. 12. §. 2. ubi impugnata opinione Gostredi, docentis, intellectum unice fieri à phantasmate, & volitionem à solo obiecto apprehenso; impugnata etiam opinione Marsilij, docentis, actiones naturales voluntatis esse à solo obiecto, liberam autem à voluntate, probavimus de mente P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, volitionem fieri efficienter à voluntate, & obiecto cognito simul concurrentibus, & efficientibus. Et licet ibi satis probata sit hæc senten-

sententia autoritate, & ratione, nec non dissoluta argumenta contraria, placet eandem sententiam iterum confirmare cum Noſtro Gregorio Ariminensi in 2. sententiarum dist. 25 q. 1. conclus. 2. ubi egregiè illam defendit.

Dicendum, volitionem fieri efficienter non à sola voluntate, sed etiam ab obiecto cognito. Probatur ex P. Augustino q. 2. ad Simplicianum, ubi vocationem Dei dicit esse. *Effectricem bonæ voluntatis*: Sed vocatio est mera cognitio obiecti amabilis, ut constat ex P. Augustino ibidem, & ex dictis lib. 2. Physicorum, q. 18. præsertim §. 5. ergo cognitio obiecti concurrat efficienter ad actus nostræ voluntatis.

Confirmatur contra omnes Doctores Societatis, qui Catholicè docent, gratiam Dei efficacem dici efficacem, quia efficit nostra merita: sed iuxta illos hæc gratia efficax consistit in actibus indeliberatis intellectus, & voluntatis à Deo infusis, unde consistit in sancta cogitatione, & inspiratione: ergo sancta cogitatio, quæ est cognitio obiecti, influit efficienter in merita nostra, quæ sunt actus voluntatis. Patet consequentia, quia si cognitio non esset effectiva volitionis nostræ, tunc vel gratia efficax non cõsisteret in actibus indeliberatis intellectus; vel si cõsisteret, gratia efficax non esset

effectiva nostri meriti, & sic non esset efficax. Quare cum utrumque sit falsum in Schola Societatis, tenentur defendere eius DD. cognitionem efficienter influere in actus voluntatis.

6. Probatur secundò ex D. Thoma 1. p. q. 14. art. 5. ad 3. ubi probat, quod obiectum est principium effectivum intellectus, sicut calor calefactionis, quia *Omnis operatio specificatur per formam, quæ est principium operationis, sicut calor calefactionis*. Intellectus autem specificatur ab obiecto suo; *Et in tantum intelligere, specificatur per obiectum suum, in quantum forma intelligibilis est principium intellectualis operationis*. At qui voluntas, & volitio eius specificatur ab obiecto cognito, ut patet: ergo obiectum cognitum est principium effectivum volitionis, sicut calor calefactionis. Idem habet 1. contra Gent. cap. 49. & 1. 2. q. 1. art. 3. ubi docet, actionem sumere speciem à forma, quæ est principium agendi; sed actus voluntatis specificantur ab obiecto cognito, & sic ab eo sumunt speciem: ergo iuxta Div. Thomam obiectum cognitum est principium agendi actus voluntatis.

Hinc Caietanus desumpsit rationem probativam, quæ formatur sic. Voluntas efficit actus suos in specie determinata; sed voluntas sola non est principium adæquatam speciei determinatæ sui

actus: ergo adiuuatur ab obiecto concurrente efficienter. Patet consequentia, quia species determinata actus est producta, & sic ab aliquo efficiente; quod si non à sola voluntate, restat produci ab obiecto simul concurrente. Minor probatur. Voluntas sola est principium indifferens ad actus diversæ speciei, ut sunt volitio, & nolitio, amor, desiderium, odium, fructio, gaudium, delectatio &c. Sed in principio indifferente ut tali non continetur effectus determinatus; nec effectus potest produci à principio, in quo non continetur, ut notum est: ergo voluntas sola non est principium adæquatum &c.

Dices, hanc rationem falsum supponere, supponit enim, quod voluntas nuda non continet actum suum adæquatè quoad speciem. Hoc est falsum, quia universalitèr continet omnes actus suos; & obiectum determinans ad hunc præ alio, non dat voluntati continentiam, sed determinationem continentię, ut exercent illam in hoc actu præ alijs. Sic prædeterminatio Dei determinat ad hunc actum præ alio, sed non dat præcontinentiam actus, sed supponit completam potentiam voluntatis.

Contra. Nam quia prædeterminatio non dat voluntati præcontinentiam actus, sed illam supponit; idè se tenet ex parte actus

secundi, & non ex parte actus primi iuxta Thomistas. Quod si alii qui posuerunt eam ex parte actus primi, idè est, quia putarunt, prædeterminationem dare voluntati præcontinentiam vnius actus præ alio. At cognitio obiecti est necessaria voluntati ex parte actus primi in omnium sententia: ergo quia cognitio dat voluntati præcontinentiam actus determinati, & non est mera determinatio continentię universalis voluntatis.

7 Tertio probatur ex D. Thoma 1. p. q. 87. art. 4. in corpor. ubi ait: *Actus voluntatis nihil aliud est, quam inclinatio quedam, consequens formam intellectam: sicut appetitus naturalis est inclinatio consequens formam naturalem.* Eadem ferè verba habet B. Ægidius 3. de Anima text. 2. dub. 1. Sed forma naturalis est principium activum appetitionis naturalis, & inclinationis naturalis apud omnes: ergo forma apprehensa, vel obiectum cognitum est principium activum actus voluntatis. Explicatur. Appetitus naturalis est determinate speciei, quia oritur à forma naturali determinate speciei; nec oritur à forma purè determinante, sed activè dante talem appetitum: ergo appetitus elicited voluntatis oritur à forma apprehensa, non purè determinante, sed dante activè talem appetitum. Consequentia patet ex D. Thoma, & B. Ægidio. Antecedens constat in appetitu le-

vium

vium ad locum sursum, qui sequitur ad formam levitatis talitèr, ut forma non purè determinet, sed det igni sursum tendere, & appetere locum sursum, sicut forma gravis dat lapidi motum, & appetitum tendendi deorsum.

Confirmatur, & simul datur ratio huius doctrinæ. Omne appetens debet habere aliquid eius, quod appetit. Hoc latè probatum est 1. Physicor. q. 10. Et hoc intendit illud axioma: *simile appetit sibi simile.* Rursus illud Philosophi in libris Ethicor. *Talia quisque appetit, qualis est:* quare carnalis carnalia, spiritualis spiritualia appetit. Ob id iuxta Apostolum: *Caro concupiscit adversus spiritum:* nam sicut caro, & spiritus contrarias habent formas, contrarios habent appetitus. In hoc fundavimus lococitato, quod materia nuda nullam appetit formam, quia nullam habet actualitatem, & sic nuda nihil habet eius, quod appetit informata.

Sed voluntas sine cognitione obiecti nihil habet obiecti; cum cognitione autem habet formam obiecti apprehensam, & est similis obiecto cognito, in re extra existenti: ergo voluntas non solum obiectivè determinatur ab obiecto, sed per obiectum, ut per formam, habet appetitum suum elicited. Probatur consequentia primò, quia talia quisque appetit, qualis est; sed voluntas solum per

cognitionem est obiectum intentionaliter: ergo solum per cognitionem talis obiecti habet appetere tale obiectum. Secundò. Voluntas solum in quantum similis potest appetere; sed solum fit similis obiecto per formam apprehensam, quam habet per cognitionem: ergo solum vi formę apprehensę potest habere appetitionem determinatam obiecti.

8 Quarto probatur sententia nostra. Intellectio non fit à solo intellectu, sed à potentia, & obiecto partialitèr concurrentibus, ut nobiscum docent DD. quos impugnamus: ergo volitio non fit à sola voluntate, sed ab ea, & obiecto cognito partialitèr concurrentibus. Patet consequentia. Primò, quia ambæ sunt potentię rationales, & ambæ passivæ. Alioquin si solus intellectus esset potentia passiva, & non voluntas, tunc volutás esset perfectior, quàm intellectus, quod negant hi DD. Sequela patet, quia in vnoquoque genere nobilior est potentia activa, quàm passiva; nobilior etiã, quæ ex se est plenè completa, quàm quæ indiget completari ab obiecto. Sed si voluntas est potentia passiva, ut intellectus, indiget concursu obiecti, ob eandem rationem, ut patet ex dictis q. 6. §. 1. ergo tenet consequentia. Secundò probatur. Voluntas non est magis activa, quàm intellectus, alioquin esset potentia perfectior,

fectior, ut dicebamus: ergo si intellectus indiget concursu effectivo obiecti, etiam voluntas.

Confirmatur. Si voluntas non esset cæca, sed esset potentia cognoscitiva, indigeret concursu effectivo obiecti, qui à Suasio, & reliquis exponitur necessarius pro omni potentia cognoscitiva: ergo licet voluntas non sit cognoscitiva, indiget eodem concursu. Patet consequentia, quia imperfectio nequit esse causa perfectionis; sed cæcitas voluntatis imperfectio est, ut patet; carentia autem indigentia extrinseci adiuvantis est perfectio, ut patet in Deo; ergo si voluntas cognoscitiva non esset ita perfecta, ut non indigeret extrinseco coadiuvante, multò minus voluntas cæca, aut non cognoscitiva.

Huic rationi, quæ satis urget, teste Hurtado, duplex datur disparitas. Prima, quod intellectus est assimilatius; & pro hoc petit concursum obiecti. Voluntas autem non est assimilativa, nec appetitio est assimilatio. Secunda, quod intellectus in actu primo constituitur per obiectum; secus voluntas, ut docet D. Thomas 1. p. q. 27 art. 5. quare voluntas sola influit in actum; secus intellectus.

Contra primam solutionem obicitur, quod licet voluntas non sit assimilativa, supponit tamen, & petit assimilationem præsuppositam; quia nihil appetit, nisi sibi

simile: ergo si obiectum influit in intellectionem assimilativam, etiam influit in volitionem, quæ præsupponit similitudinem. Secundo; voluntas, non solum est assimilativa, sed affectivè identificativa; quare non solum facit simile, sed idem. Ob id dicitur 1. Regum 18. *Anima Ionathæ conglutinata est anima David, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam.* En amor præsupponit identitatem, aut illam facit, transformando amantem in amatum, aut utrumque identificando: propter quod amicus dicitur *alter ego*, & de vere amante dicitur, quod plus vivit in re amata, quam in se. Multa de unione ista affectiva dicta sunt à Philosophis, apud quos sicut *simile non cognoscitur nisi à simili, ita solum simile appetit sibi simile*: ergo sicut similitudo deserviens cognitioni facit, quod obiectum influat in cognitionem, ita faciet obiectum influere in amorem, propter quem necessaria est etiam aliqua similitudo.

Contra secundam solutionem adest, quod D. Thomas ibi contendit Spiritum Sanctum procedentem per voluntatem, non dici genitum, quia non procedit, ut similis formaliter, nec per potentiam assimilativam. Dicit tamen articulo antecedenti, similitudinem esse causam amoris, ut etiam posuit Plato, & iudicatur satis Ecclesiastici 13. Hæc videntur

tur

tur contraria, quia est excludere similitudinem à voluntate, & illam petere in amante pro eius amore. Dicendum tamen pro concordia utriusque asserti, utramque potentiam esse assimilativam, sed intellectum in linea intentionali, voluntatem in linea affectiva. Rursus. Intellectus conatur producere sibi simile, & in hoc se habet, ut potentia generativa. Voluntas autem non conatur similitudine, sed ea supposita, intendit identitatem per impulsam amantis in rem amatam. Hæc difficillima dicta sunt, ut cumque pro ratione à priori processionum Divinarum, quam loco laudato intendit D. Thomas; sed cum ibi dicitur tenendum est, obiectum concurrere etiam efficienter ad actus voluntatis, ut satis probatum est de mente D. Thomæ.

Brevius, forsitan dabitur discrimen, si dicas, quod intellectus constituitur in actu primo per obiectum, quia species, in qua representatur, est etiam de linea actus primi intellectiva. At obiectum concurrens cum voluntate ad amorem, concurrat media intellectione, quæ non est de linea volitiva, sed de linea actus secundi intellectiva. Rursus. Species obiecti informat intellectum, ut verum subiectum formæ intentionalis. Cognitio autem obiecti non informat voluntatem, quia est actus immanens potentia distincta,

nempè intellectus. Ob hæc omnia dicitur à D. Thoma, quod intellectus constituitur in actu primo per similitudinem obiecti, secus voluntas. At licet cognitio obiecti non informet voluntatem, & sic non constituat illam in actu primo, satis præsentat voluntati obiectum, nè feratur in incognitum, & satis excitat ad amorem obiecti: ergo satis univert, ut sit compingitium influens in amorem. Quæ contra nostram sententiam obijciuntur, vide soluta loco citato.

Observa, quod obiectum voluntatis dupliciter causat amorem, nempè efficienter, & finaliter. Ut causat finaliter, cognitio est mera conditio finalizandi, & causandi. Ut autem causat efficienter, cognitio est ratio formalis causandi. Hoc latè probatum est 2. Physicorum q. 12. §. 5.

§. III.

De obiecto voluntatis, & an malum possit movere sub ratione mali.

10 **O**Mnium ferè sententia docet, obiectum voluntatis esse bonum in communi, sicut obiectum intellectus est verum. Hoc patet, tum, quia nemo appetit, nisi quod est conveniens; sed conveniens est bonum: ergo obiectum voluntatis,

Ggg

quæ

quæ est potentia appetitiva, est bonum. At non bonum particulare, quia nullum bonum est, quod à voluntate appeti non possit: ergo est bonum in communi, vel omne bonum.

Confirmatur primò. Voluntas est in supremo gradu potentiarum appetentium: ergo est potentia universalissima in eo genere: ergo habet universalissimum obiectum, quod est bonum in communi. Confirmatur secundò. Voluntas consequitur ad intellectum: ergo eius actus eò se extendit, quò actus intellectus. Sed hic potest apprehendere omne bonum: ergo & voluntas illud prosequi. An autem verum latius pateat, quàm bonum, & sic intellectus plus se extendat, quàm voluntas, dubium est strenuè agitatum à Philosophis antiquis, de quo vide Malsium in Metaphysica.

II Obijcit Scotus, obiectum voluntatis esse ens, non autem bonum. Nam volùtas versatur etiã circa malum; malum autem non est bonum, sed ens: ergo obiectum voluntatis non est bonum, sed ens. Rursus. Sicut intellectus se habet ad verum, ita voluntas ad bonum; sed obiectum intellectus non est verum, sed ens: ergo & voluntas non est bonum, sed ens.


Ad primum dic, quòd malum ut tale, non est ens, sed privatio entis. Dicitur autem ens fundamentalitè, quatenus malum nul-

lum est, nisi fundatum in natura bona, ut sæpè docet P. Augustinus contra Manichæos. At sic malum fundamentalitè est ens, sic etiã est bonum. Nec re vera latius patet ens, quàm bonum; cum bonum sit passio entis convertibilis cum ipso. Versatur quiddam voluntas circa malum, vel appetendo illud sub ratione boni; vel si rectè procedit voluntas, illud fugiendo sub ratione mali, sicut intellectus dissentitur falso, ut falso. Quare sicut falsum ut tale non est obiectum intellectus, sic nec malum est obiectum voluntatis ut appetentis. Movetur intellectus à vero, ut dissentiat falso, & voluntas ex amore boni fugit malum.

Ad secundum dic, obiectum intellectus esse verum, & hoc solo nomine differt ab ente, cuius est passio convertibilis, & æquè patens. Est tamen specialis ratio, cui dicitur ens obiectum intellectus, non autem voluntatis, etiã si verum, & bonum convertantur cum ente. Ratio est, quia intellectus in omni sua cognitione non attingit verum signatè, sed exercitè, nam per solos actus assentiendi attingit signatè verum; in omnibus autem signatè attingit ens. Voluntas autem non solum exercitè, sed signatè attingit bonum in omni suo actu appetendi, nam nisi ei proponatur obiectum sub ratione boni, non movetur illud appetere.

appetere. Ob id non dicitur ens obiectum voluntatis, sed Bonum. Quæritur hic, an malum, ut malum, possit movere voluntatem? Affirmant Nominales, quos sequitur Arriaga, nec dissentit Scotus, licet à Maltrio vindicetur. Hæc sententia tenet, quòd obiectum voluntatis non est bonum de-

terminatè, sed appetibilitas ut sic, communis bono, & malo. De hac controversia satis egimus lib. 2. Physicorum q. 2. §. 3. ubi cum P. Augustino, Divo Thoma, & B. Egidio probavimus contrariam sententiam, & dissolvimus obiecta Nominalium.



QUESTIO XII.

An intellectus sic nobilior, & perfectior voluntate?

§. I.

Rationes preferendi intellectum.



TAT pro intellectu. D. Thoma, quem sequuntur omnes Thomistæ, & quàm plurimè Societatis cum Satio lib. 5. de Anima cap. 8. & Conimbricensibus 3. de Anima cap. 13. q. 2. Eandem tenuit Abulensis ad cap. 5. Mathæi q. 300. & ex Nostris Venetus 3. de Anima text. 358. Hæc sententia concedit voluntatem secundum quid esse perfectiorem, nempe in aliquo actu, q. dum Deum diligit, quia melior est amor Dei, quàm cognitio Dei. Ceterù abso-

lutè intellectus videtur perfectior voluntate, quòd probatur à Divo Thoma 1. p. q. 82. art. 3. & ab eius discipulis sic.

Primò ex obiecto. Nam obiectum intellectus est simplicius, & abstractius, quàm obiectum voluntatis, & sic aliquomodo immaterialius: ergo intellectus est potentia perfectior. Patet consequentia, quia perfectio potentie sumitur ab obiecto, à quo sumit perfectius est obiectum, sed perfectior est potentia. Antecedens probatur, quia intellectus attingit obiectum sub abstractione ab existentia, considerando namam

rei quidditatem : voluntas autem solum attingit rem , vt dicentem ordinem ad actualem existentiam ; nihil enim appetit , nisi quod existit , aut extitutum est .

Confirmatur ex modo operandi vniuersaliter potentie . Nam vis intellectus in quacumque re potest præcindere , separando essentiam ab existentia ; attingendo vnum prædicatum sine alio , componendo , dividendo , & inferendo , ac intus penetrando vsque ad quidditatem rei . Hoc arguit in intellectu magnam immaterialitatem , & summam subtilitatem in attingentia sui obiecti . Voluntas autem simplici modo fertur in obiectum , appetendo existentiam illius . Hic modus est minus subtilis , & immaterialis . Ergo non solum ex obiecto , sed ex modo procedendi vtriusque potentie evadit intellectus perfectior voluntate .

2 Secundò ex parte potentie . Nam intellectiva immediatius sequitur ex anime essentia ; voluntas autem medio intellectu : ergo hic est perfectior . Antecedens patet , nam vis appetitiva sequitur ad cognoscitivam , vt probatum est , quare voluntas medio intellectu dimanat ab anima . Consequentia probatur . Nam quando vna passio sequitur ex alia , vel mediante alia , tunc que dimanat immediatè , excedit secundam , quam est veluti principium illius .

Confirmatur . Dignitas homi-

nis potissimè ex intellectu demonstratur , & idèo tanquam differentiam essentialem illius assignamus , quod sit rationalis , vel intellectivus : ergo cum voluntas non sit rationalis formalitèr , sed participativè ab intellectu , non est ita perfecta , ac intellectus . Patet consequentia . Nam potentia , quæ per essentiam rationalis est , perfectior est , quam quæ solum participativè est rationalis .

Confirmatur secundò . Perfectio maior voluntatis est libertas , sed quam derivat ab intellectu , cum oriatur ex indifferentia iudicij intellectus proponentis obiectum voluntati ; ob id idem est dicere hominem intellectivum , ac dicere volitivum , & liberum : ergo intellectus , à quo derivatur illa perfectio , perfectior est voluntate derivante .

Tertiò . Intellectus est regula omnium operationum voluntatis , & in tantum voluntas bene , vel malè procedit , in quantum rationi conformatur ; tota enim bonitas , vel malitia moralis sumitur ex ordine ad rationem rectam . Hinc Aristot. 1. Ethicor. cap. 3. dicit , quod tanto voluntas est melior , quanto est rationi subiectior ; quod etiam docuit P. Augustinus 1. de lib. arb. cap. 9. & 10. Ergo perfectior est ratio ipsa , quam voluntas . Patet consequentia . Quia perfectius est dirigens , quam directum : perfectior potentia videns , quam

quam cæca . Voluntas autem dicitur cæca , & intellectus oculus anime .

Tertia ratio ex parte nature . Nam in Angelis , & suppositis intelligentibus , differentia , & excellens perfectionis naturalis , potissimè attenditur ex parte intellectus ; nam ex parte voluntatis vel sunt eisdem rationis , vel non facile cognoscitur discrimen : ergo perfectio tota nature explicatur in intellectu , & non in voluntate ; & consequenter perfectior est intellectus . Antecedens patet in Angelis , quorum maior perfectio essentialis cognoscitur , & explicatur , quia intelligunt altiori modo , & per species universales , vt docent Theologi cum D. Thoma .

Confirmatur . Intellectus est capax nobilioris habitus , quam voluntas : ergo eius natura est perfectior . Probatur antecedens . Intellectus est capax habitus sapientie ; sed iuxta Philosophum 1. Metaphysicæ cap. 8. & 6. Ethic. cap. 4. & 10. voluntas est capax habitus iusticie , & amicitie , sed inferiores sunt ad habitum sapientie : ergo &c .

Confirmatur secundò . Ex genere potentie cognoscitiva est perfectior , quam appetitiva : ergo intellectus , qui est suprema potentia cognoscitiva , superat voluntatem , supremam in genere appetitivo . Patet consequentia . Quia sicut inæquales sunt in genere , sic pro-

portionalitèr debent crescere in specie . Antecedens patet , quia potentia cognoscitiva trahit res ad se , & sic omnia intra se ; potentia autem appetitiva fertur ad res , & quatit extra se perfectionem ; quod non tam arguit perfectionem in potentia appetente , quam indigentiam , & carentiam perfectionis . Nemo enim quatit nisi ea , quæ non habet .

Tandem illa potentia est perfectior , quæ elicit perfectiorem actum , at intellectus sic elicit perfectiorem : ergo &c . Probatur minor primò . Quia actus intellectus non pendet ab actu voluntatis ; actus voluntatis pendet ab actu intellectus . Maior autem dependentia arguit imperfectionem . Secundò . Nam ille actus est perfectior , in quo consistit hominis felicitas iuxta Aristot. 10. Ethicor. cap. 7. sed iuxta eundem ibi cap. 8. hæc consistit in cognitione substantiarum separatarum : ergo &c .

§. II.

Proponantur rationes pro voluntate .

4 PRO voluntate stat Scotus cum Scotistis in 4. sent. dist. 49. q. 4. vbi rationes . & sententiam D. Thomæ validè impugnat , ita vt Caietanus in Commentario articuli 3. q. 82. primæ partis

partis prolixè laboreat pro remotione Scoti impugnationibus. Eandem sententiam docuit S. Bonaventura, Alenus, Henricus, & alij antiqui. Ex Nostris cum B. Egidius quodlib. 3. q. 19. Argentinas in 4. dist. 49. q. 3. art. 2. Toletanus, & Gayardi, Quorum sententia multis etiam suadetur.

Primo ex genere. Nam appetitus sensitivus est perfectior, quam imaginatio, saltè in homine: ergo appetitus rationalis est perfectior intellectus. Antecedens patet. Nam appetitus sensitivus est capax virtutis, sed non imaginatio; hæc capacitas sine dubio perfectio est.

Confirmatur. Obiectum voluntatis est perfectius obiecto intellectus; ergo & voluntas, attentò obiecto, perfectior est. Probatur antecedens. Obiectum voluntatis est ratio boni, aut bonum; potissima perfectio rei est bonitas ipsius; sed in obiecto intellectus, quod est verum, non resplendet bonitas: & licet sit in obiecto, non apparet sub ratione boni, sed sub ratione veri; sub qua sicut non explicat bonitatem, non explicat perfectionem: ergo.

Explicatur, & vergetur. Ens dicens bonitatem, & veritatem, dicit bonitatem, quatenus dicit perfectionem; & dicit veritatem, in quantum dicit cognoscibilitatem: sed perfectior est bonitas, & perfectio rei, quam eius cognoscibilitas; etenim cognoscibilitas con-

venit etiam fictioni, non enim falsitati, & malo, cum omnia ista sint cognoscibilia; eis tamèn non convenit bonitas, aut perfectio; ergo perfectior est ratio boni specificativa voluntatis, quam ratio veri specificativa intellectus. Confirmatur secundo. Bonum dicit ordinem ad existentiam, & ob id Deus non amat creaturas possibili, quia bonæ non sunt, cum non dicant ordinem ad existentiam; sed verum, quod est obiectum intellectus, abstrahit ab existentia: ergo perfectius est bonum, quam verum. Patet consequentia. Quia illud est perfectius, quod constituitur per primam, & potissimam perfectionem cuiuscumque rei, & hæc est existentia. Secundo. Nam illud est perfectius, quod necessarid petit id, sine quo nihil est bonum; obiectum autem voluntatis petit existentiam, sine qua nihil bonum est; verum autem præscindens ab existentia, præscindit à bonitate, & sic à perfectione.

5. Rursus probatur ex parte potentia. Nam illa est perfectior, quæ capax est nobilioris habitus, sed voluntas est capax habitus charitatis, qui nobilior est cunctis donis supernaturalibus: ergo est potentia nobilior. Minor probatur ex Apostolo, ad Corinthios 13. Nunc manent tria hæc, fides, spes, charitas; maior autem horum est charitas. Ad idem P. Augustinus, si

de

de Trinit. cap. 19. In donis Dei nullam est maius donum charitate, nec æquale.

Si dicas, Apostolum, & Augustinum loqui de donis in statu viæ, non pro statu patriæ, ubi lumen gloriæ pertinet ad intellectum, est perfectius habitu charitatis. Contra est. Nam Divus Dionysius de Cœlesti Hierarch. cap. 7. dicit, quod dilectio supereminet scientiæ; loquitur de dilectione, & scientiæ patriæ: ergo habitus charitatis sit ab habitu excellentiori, quam sit lumen gloriæ. Patet consequentia, nam ille actus est perfectior, ad quem disponit perfectior habitus. Rursus. Cum habitus explicet suam perfectionem in actibus, ille erit perfectior, cuius actus perfectior sit. Dilectio autem in patria supereminet scientiæ beatæ, ut ait S. Dionysius.

Contra secundo. Nam in patria Ordines Angelorum distinguuntur secundum eorum perfectiones; sed Seraphini, qui excedunt in amore, & vocantur plenitudo amoris, collocantur superiori gradu, & Ordine supra Cherubinos, qui excedunt in cognitione, & vocantur plenitudo scientiæ: ergo in patria perfectior est amor, quam scientiæ. Nec hoc negat D. Thomas, qui fatetur, voluntatem esse perfectiorem in aliquo actu, nempe in amore Dei, qui melior est, quam cognitio Dei; dicit tamen, hunc excessum in voluntate pon-

reddere ipsam perfectiorem simpliciter, sed secundum quid. Hoc ultimum habet plura contra se, de quibus infra.

Contra tertio. Nam perfectissimus habitus voluntatis in viâ, perfecti: illam secundum capacitatem, quam habet in viâ, ergo si ille habitus est nobilior præ cæteris intellectus, capacitas voluntatis in viâ erit nobilior, & maior, quam intellectus. Atqui hæc maior capacitas arguit maiorem perfectionem: ergo saltem in viâ maior est perfectio voluntatis. Nunc iterum. Sed capacitas remota utriusque potentia, quæ attenditur secundum gradum nature, eadem est in viâ, et in patriâ; cum in utroque statu sit eadem natura: ergo tam in viâ, quam in patriâ apparet voluntas perfectior.

6. Tertio probatur ex parte actus utriusque potentia. Nam licet utraque potentia in suis actibus mutuo se moveant, & ad invicem dependeant, at diversimodè. Nam voluntas movetur, & dependet ab intellectu, tamquam à servo, ministrante ei obiectum in debita dispositione, ut ab ipsa possit amari. Ob id S. Bernardus de libero arbitrio, appellat rationem pedisequam voluntatis. E contra, intellectus in suis operationibus movetur, & dependet à voluntate, tamquam à domina; & regina, quæ habet imperium in toto regno animæ, ut docet S. Ansel-

mus

mus lib. de *Concepta virginali*, cap. 4. ergo perfectior est voluntas, quàm intellectus, nisi dicamus contra veritatem, & Sanctam Evangelium, quòd servus est supra dominum, aut quòd Rex ignobilior est suis Consiliarijs.

Confirmatur ex Philosopho 9. Methaphysic. textu 15. *Posterius generatione est prius perfectione*: sed volitio est generatione posterior ad intellectionem: ergo volitio est perfectior. Rursus. finis est perfectior medijs; sed volitio est finis intellectionis: ergo est perfectior intellectione. Minor probatur ex P. Aug. lib. 19. de Civ. Dei cap. 14. ubi ait: *Homini rationalis anima inest, ut mente aliquid contempletur. & secundum hoc aliquid agat; & postquam aliquid utile cognoscit, secundum eam cognitionem vitam, moralesque componat.* Idem habet S. Anselmus, lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 1.

Confirmatur secundò. Id, quod possidentem reddit simpliciter bonum, perfectius, & optabilius est eo, quod non reddit simpliciter bonum; sed homo amore redditur simpliciter bonus, non autem cognitione: ergo &c. Minor probatur ex P. Augustino 11. de Civit. Dei cap. 28. ubi ait: *Vir bonus non dicitur, qui scit id, quod bonum est, sed qui diligit.* Unde concludit in hominibus. qui rectè amant, magis amari amorem ipsum.

Confirmatur tertio. In his quorum vnum in alio continetur, id

est perfectius, cuius oppositum est peius, iuxta illud 7. Ethicor. cap. 10. *illa sunt meliora, quorum opposita sunt deteriora*: sed oppositum amoris, peius est, magis que detestabilius, quàm oppositum cognitionis, ut patet in odio Dei, & eius ignoratione; nam multo detestabilius est, Deum odisse, quàm Deum ignorare: ergo &c. Ad idem ex illo Medicis familiare *corruptio optimi pessima*; sed odium, quod est corruptio amoris, peius est ignorantia, que corruptio est scientiæ: ergo. Vide in nostro Argentina alias rationes, necnon quàm plura argumenta contrariæ sententiæ validè dissoluta.

§. III.

*Nostra sententia proponitur,
& argumenta dissolvuntur.*

7. **D**icimus primò non esse audiendos Philosophos putantes, intellectum, & voluntatem esse duas fortiores, eodem partu editas, & æquali perfectione insignes. Hoc impugnatur ex Aristot. docente, species esse, sicut numeros; unde sicut duo numeri specie differentes, non habent æquales unitates, ita essentiæ specie diversæ, non habent æqualem perfectionem. Et licet P. Augustinus 10. de Trinit. cap.

cap. 11. dicat, memoriam, intelligentiam, & voluntatem esse invicem sibi æquales, exponendus est de perfectione, quam potentiæ habent ex parte subiecti, in quo radicantur; radicantur enim in eadem anima. Cæterum non potest intelligi de perfectione formali, quam potentiæ habent in se, de qua est quæstio præsens.

Dicimus secundò, voluntatem nobis apparere perfectiorem. Nam id mihi perfectius apparet, quod data optione, eligerem potius: at potius eligerem bonam voluntatem, quàm bonum intellectum. E contrario, potius vellem defectuosum habere intellectum, quàm voluntatem. Ut enim ait Christus Dominus: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anime vero sua detrimentum patiatur?* Sed ex mala voluntate detrimentum patitur anima, non autem ex defectuoso intellectu, nisi defectus sit voluntarius: at tunc intrat voluntas, sine qua nihil est voluntarium.

8. Præterea. Sicut inter Sanctos nemo nostrum potest determinare sanctiorem; sed ut ait D. Thomas, ille solum, qui eos sanctificavit, & Sanctos fecit, scit quis maior est; ita putamus, solum creatorem decernere posse, quæ potentiæ perfectior sit. Videtur autem nobis insinuassee, perfectiorem esse voluntatem.

Primò, quia voluntatè non sub-

iecit dominio intellectus, sed intellectum dominio voluntatis, ut ipsam etiam vsque ad captivitatem posset deducere iuxta illud Apostoli: *Captivantes intellectum in obsequium fidei*: Sed Deus non subiecit nobiliora ignobilioribus, nisi in pœnam, iuxta illud Isaie 3. *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis*: ergo si ante omne peccatum in Angelis, & hominibus, subiecit intellectum dominio voluntatis, & sic non in pœnam, sed conformiter ad naturam; nobis declaravit, voluntatem esse perfectiorem, & nobiliorem, stando naturis rerum.

Secundò. In primo Decalogi præcepto præcipit, quòd Deum diligamus, toto corde; non autem præcipit, quòd intelligamus eum tota mente: quare à nobis exigit integrum amorem, non integram cognitionem: ergo cum lex ipsa sit interpret voluntatis Dei, & ob id dicitur voluntas signi, cui solum magis placent, quæ sunt meliora; tenendum est nobis insinuari, amorem ex terminis perfectiorem esse cognitione.

Tertio. Deus donat gratiam, & dona proportionaliter ad naturam, quam perficiunt. In Angelis ordinem gratiæ plenè conformavit ordini naturæ, ita ut maiorem gratiam dederit superioribus, quàm inferioribus. Hominibus, qui sunt eiusdem speciei, non sic; cæterum

potentijs rationalibus, quæ differunt specie, dona gratiæ proportionavit naturæ; sed pro voluntate præparavit excellentius omnium donorum, nempe charitatem: ergo quia insinuavit nobis voluntatem naturæ suæ esse perfectiorem.

Quartò. Cherubinos inferiores fecit Seraphinis; quare plenitudinem scientiæ subiecit plenitudini amoris; et hoc præcise ab ordine supernaturali, & sistendo in naturalibus, Ordo Seraphicus superior est ad Cherubicum. Sed ordo Divinus non anteponeret amantes cognoscentibus, nisi essent perfectiores: ergo voluntas perfectior est intellectu.

9 Si dicas cum Suario, Seraphinos præcellere non solum amore, sed etiã scientia; dici tamèn Seraphinos plenos amoris, denominatione sumpta non ab eo, quod in ipsis est, sed ab eo, quod in nobis efficiant, quoniam faciunt, nos amare. Contrà est, etenim fortius insurgit argumentum. Nam per te Seraphini sunt inter omnes sapientiores, sed non denominantur à sapientia, sed ab amore præcellenti: ergo quia in eis amor dicit maiorem perfectionem, & per illam notificatur nobis eminentia horum Spirituum. Quòd si recurras ad effectum nobis præstitum, adhuc tenet argumentum. Nam vide, quos Spiritus destinavit Deus pro amore nostro, eos;

scilicet, qui iuxta te sunt inter omnes sapientiores. Et explicatur. Deus pro illuminatione nostra designavit Cherubinos, & pro amore nostro designavit Seraphinos, qui iuxta te sunt sapientiores: ergo nisi dicas, quòd pro imperfectiori actu nostro designavit Deus Spiritus perfectiores; tenèris dicere, amorem nostrum excedere cognitionem, sicut Ordo Seraphicus excedit Cherubicum.

Confirmatur ex P. Augustino hic docente nos non tam verbis, quàm factis. Nemo est, qui non miretur perfectionem eius intellectivam, de qua S. Thomas Villanovanus Conc. 1. de S. Augustino dicit: *Vir, ut quidam ait, intellectu prope d'vinus.* At quòd devènit eius acumen? sanè citra voluntatem. Sic amavit Christum, ut in hypothesisi, quòd Augustinus esset Deus, Augustinus cum Christo deitatem commutaret. Hæc commutatio attingitur ut impossibilis ab intellectu; sed eam ut possibilem amplexus est amor Augustini: ergo eò devènit verus amor, quòd non potuit cognitio vera. Quis audeat, præsentem Augustino, negare, voluntatem perfectiorem esse intellectu?

10 Ad argumenta posita n. 1. respondetur negando antecedens. Primum, quia verum, & bonum non differunt realitèr, sed per rationem, quia sunt passionis entis cum ipso identificatæ: ergo non stat

stat, quòd vna passio sit realitèr simplicior, abstractior, aut immaterialior altera; quare ex obiecto non potest realitèr desumi perfectio potentiæ maior. Differunt per rationem bonum, & verum, sub qua distinctione potest fieri comparatio. At sic facta, negamus, quòd verum sit immaterialius, aut simplicius bono. Est quidè abstractius, sed non immaterialius, ut facilè ostenditur.

Abstractius est, quia verum præscindit ab existentia, & reperitur in sola quidditate rei, quæ vera est, & cognoscibilis; sed non bona, & amabilis, ut diximus de creaturis possibilibus. At nec simplicius, nec immaterialius est; nam bonum, quod movet voluntatem, movet ut cognitum, & sic movet, ut actum ab intellectu: ergo movet sub eadem simplicitate, & immaterialitate, quam habuit in intellectu. Quòd si ultra quidditatem cognitam, petit voluntas in suo obiecto etiã existentiam, vel ordinem ad illam: hoc non arguit maiorem perfectionem in intellectu, sed in voluntate, quæ talis est perfectionis, ut ei non sufficiat, quod movet intellectum, sed ultra petit in obiecto potissimam, & primam perfectionem, nempe, existentiam.

Ad confirmationem dic, modum illum intelligendi abstrahendo, componendo, & dividendo; non arguere perfectionem in intel-

lectu, sed imperfectionem. Nec oritur ex subtilitate potentiæ, sed ex potentialitate. Huius signum est, quòd intellectus Divinus summe perfectus, imò & Angelicus, non præscindit, componit, & dividit, sed simplici intuitu cognoscit. Ob id diximus lib. 1. Logicæ q. 9. §. 1. quòd in Deo, & Angelis non est Logica formalitèr, sed eminentèr. Ergo, quòd in homine intellectus præscindat quidditatem ab existentia, componat, dividat &c. non est perfectio absolutè, sed imperfectio. Voluntas autèm, quæ simplici modo fertur in obiectum in nobis, imitando modum, quem habet in Deo, & Angelis, sine dubio perfectior est. Vide num. 4.

II Ad secundum fundamentum positum n. 2. respondetur ex dictis n. 6. Quòd enim voluntas sit posterior generatione, probat esse priorem perfectione. Maxime cum intellectus prius dimanans ab anima, dimanet propter voluntatem, ut ex P. Augustino ibi dictum est. Nec intellectus est principium voluntatis, sed medium ad illam ordinatum talitèr, ut quid quid cognoscitur ab intellectu, ordinetur, ut deserviat voluntati.

Ad primam confirmationem dic, quòd sicut voluntas participativè est rationalis ab intellectu, ita intellectus est participativè liber à voluntate, quæ est potentia formalitèr libera. Ista potentiæ,

sicut mutuo se movent, sic mutuo communicant perfectiones suas. Ergo illa erit perfectior, quæ dat magis, quam recipit. Talis est voluntas, quæ recipit rationalitatem, sed dat libertatem. Quis neget, libertatem perfectiorem esse intellectualitate, maxime cum intellectualitas deserviat libertati, & hæc utatur intellectu veluti consiliario, & seruo materiam ministranti? Nec dignitas hominis sumitur ab intellectu, ut à perfectiori, sed ut à primo distinctivo hominis à belluis, & magis noto.

Ad secundam confirmationem dic, quod libertas voluntatis derivatur à Deo primo libero; non ab intellectu, qui ex se non habet libertatem, & nemo dat, quod non habet. Indifferentia iudicij, quam supra diximus radicem libertatis, est quid necessarium ad deliberandam; & quia debet præsupponi ante deliberationem voluntatis, vocatur radix illius. Sed re vera radix non est, ut bene notant multi cum Suario, nam radix est anima, quam Deus fecit spiritualement, & liberam, & ab ea voluntas oritur formaliter domina suorum actuum. Concurrunt intellectus ministrando iudicium indifferens; ceterum sicut à consiliariis non dimanat regia dominatrix potestas, sic nec ab intellectu proponente derivatur libertas voluntatis.

Ad tertiam confirmationem

dic, quod sicut Rex tanto melius regit, quanto amplius conformatur regimini bene consiliantium, sic voluntas melius dominatur, & evadit melior, quod intellectui conformior. Nego tamen consequentiam, quæ non sequitur, nisi velis consiliarium facere digniorem, & perfectiorem Regi, quod est contra Apostolum Petrum Epist. 2. cap. 13. ubi præcipit summum honorem, & obedientiam præstare Regi quasi præcellenti. Nec voluntas vocatur *cæca* proprie, quia cæcitas est carentia privativa visus; voluntas autem non habet carentiam privativam, sed negativam cognitionis. Nec ad voluntatem spectat cognoscere, sed imperare intellectui, quod cognoscat, quærat, inveniat, proponat, & præparet objecta appetenda. In hoc apparet summa nobilitas, & præcellentia voluntatis, cui ad nutum deservit nobilissima potentia intellectiva.

12 Ad tertium fundamentum positum n. 3. patet ex dictis. Sicut in Angelis perfectior natura perfectius intelligit, perfectius amat: unde plenè assentior Suario dicenti, Seraphinos excedentes amore, excedere etiã cognitione. Ob id dum in Psalmo dicitur: *Intellectum da mihi, & vivam*, credo nos potissimè petere amorem, & bonam voluntatem, aut charitatem, quæ est vita animæ, & forma victoriæ. Explicatur tamen maior perfectio Angelorum ex parte

parte intellectus, tùm, quia cum sit prima potentia, ibi primò incipit notificari excessus perfectionis nature: tùm, quia nobis magis nota est differentia ex parte intellectus, quàm ex parte voluntatis. Hoc nihil probat contra nos, ut vidimus.

Ad primam confirmationem dic, perfectionem nature rationalis sistendo in paribus naturalibus non bene metiri, quia omnia naturalia nostra eò sunt perfectiora brutis, quod sunt capacia elevari ad videndum, & amandum Deum. Iam verò, si relatè ad finem supernaturalem considerentur, patet ex dictis, quod voluntas capax est charitatis, quo nullum donum maius est, imò nec æquale, ut docet P. Augustinus. Adde, quod etiã in naturalibus apparet excessus, cum melior sit amor naturalis Dei, quàm eius cognitio. Quod si ab Aristotele docetur oppositum, audiendus non est.

Ad secundam confirmationem nego, quod sit ex genere melior potentia appetitiva, quàm cognoscitiva. Imaginatio enim non est capax virtutis moralis, cuius est capax appetitus: ergo prævalet perfectio appetitus. Trahere res ad se melius est, quàm quærere extra, si fieret eodem modo, sed non fit. Nam cognitio trahit res secundum esse intentionale, & hoc solo quietatur. Voluntas, quæ per apprehensionem habet res secundum esse intentionale, non quies-

cit, nec satiatur, nam quærere res in esse naturali, & sic illas quærere extra se. Hoc suadet maiorem perfectionem voluntatis, cui non sufficit perfectio intentionalis, sed requiritur bonitas objecti in se.

Ad ultimum dic, quod voluntas, & intellectus mutuo pendunt, sicut dives, & pauper, ille, ut utatur servicio pauperis, hic, ut fruatur dono divitis. Rex itè, & Consiliarius mutuo pendent, & ferè omnia in mundo sunt dependentia, nam solus Deus sibi sufficit, & independens est. Dependet voluntas ab intellectu ut consiliante, sed hic à voluntate ut domina præcipiente, quod arguit maiorem perfectionem in voluntate. Ad illud de felicitate dic, quod sicut beatitudo supernaturalis iuxta N. Agidiam & DD. Nros. consistit in actu voluntatis principalitèr; ita beatitudo naturalis non in cognitione, sed in amore Dei Authois nature principalitèr consistit. Nec Arist. aut ullus ex Philosophis de hoc audiendus est, qui varios errores circa beatitudinè amplexi sunt. Vide N. Argentinà loco laudato, ut hic finem imponamus tractatui de Anima. Quæ verò hic disputatur de anima separata, partim supra insinuavimus agètes de intellectu agente, & possibili, necnon de speciebus, & de concursu phantasmatis. Quæ ultra desiderantur, invenies apud Theologos, qui de anima separata discurrunt, sicut de Angelis.



DE GENERATIONE,

ET CORRUPTIONE

LIBRI DUO.



OST TRES LIBROS DE ANIMA, QVOS veluti præcipuam Philosophiæ partem, Theologis præsertim viliissimam, ob idque ante alia à nobis explicatam; ei annectimus duos libros de Generatione, & Corruptione, ordine quiddam præpostero iuxta methodum Aristotelicam, sed præcisè commutando, ut si quæ breviter, & compendiosè tractentur, ea sint, quæ Theologiæ nostræ minùs deserviunt. Quàm plura hîc exagitantur, quæ in

libris Physicorum à nobis discussa sunt: idedque ea breviter insinua-
bimus. Auctoritates etiàm P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, quibus hucusque sententiæ nostræ illustratæ sunt, ex parte prætermittemus, ut tomus iste duobus præcedentibus, corporea adhuc mole comprobetur germanus. His libris de *Ortu, & interitu* tractatur de generatione, & corruptione substantiali: de motibus eidem deservientibus, nempe, a'iteratione, intensione, remissione, rarefactione, condensatione, mixtione, actione, & reactione, nutritione, & argumentatione. Duo tantùm in præsentî disputantur prolixius, nempe, an fiat resolutio usque ad materiam primam? Et quomodò fiat intentio qualitatum? De his vberius tractabimus, de reliquis brevissimè.

QVÆST.



QVÆSTIO I.

An sit, & quid sit generatio substantialis?

§. I.

Statuitur dari generationem, explicatur, quid sit, & aliquæ difficultates enodantur.

SUpponimus ut comper-
tum, dari generationes,
& corruptiones substan-
tiales sublunarium. Contrariam
sententiam, vel potiùs errorem te-
nuerunt antiqui Philosophi, con-
tra quos egimus lib. 1. Physicor.
q. 1. §. 1. Cæterùm communis, &
vera sententia probatur oculati ex-
perimento, de quo P. Augustinus
lib. 12. Confess. cap. 6. dicit: *In-*
tendi in ipsa corpora, eorum mutabili-
tatem altius inspexi, qua desinunt
esse, quòd fuerant; & incipiunt esse,
quòd non erant: eorumque transitum
de forma in formam, per informe
quiddam fieri suspicatus sum. Illud
informe apud Augustinum significat
materiam primam, quæ lib. 1. laud.
cap. 3. dicitur *Quædam informitas*
sine ulla specie. Hæc materia sub-
lunarium habet formas amissibili-
tèr, ut probatum est 1. Phys. q. 6.
Vndè est subiectum commune ge-
nerationis, & corruptionis sub-

stantialis. Et sicùt 1. Physic. pro-
batur existentia materiæ primæ ex
eo, quòd in rerum natura dantur
generationes, & corruptiones, qua-
rum materia est commune subiec-
tum: ità in præsentî probatur, da-
ri generationem, & corruptionem
substantialem, ex quo datur ma-
teria prima. Nec probatio ista est
circulus vitiosus, ut nobis oppo-
nit Prado: nam in diverso genere
causæ mutuo se inferunt generatio
substantialis, & materia.

Accedunt aliæ rationes, id ip-
sum suadentes. Prima est N. Ægi-
dij in præsentî, quam tenent etiàm
N. Saxonia, & Complutenses.
Possibilis est alteratio physica cor-
ruptiva, ut patet in igne, qui ca-
lore suo alterat ferè omnia usque
ad corruptionem, & dissolutio-
nem; sed non stat corruptio unius
sine generatione alterius: nec cor-
ruptio per se intenditur à natura,
sed ex cõsequenti: ergo alteratio cor-
ruptiva

ruptiva probat dari in sublanari-
bus substantialem generationem.
Rursus. Cum omnia sublanaria ap-
petant perpetuitatem, nec ista ha-
beatur, nisi per successivam gene-
rationem, quæ in viventibus pa-
tet ad oculum: necessarium admit-
tenda est generatio substantialis,
qua sola perpetuari possunt intrin-
secè corruptibilia. Hæc ratio ha-
betur etiã in P. Augustino, sicut
& præcedens, quæ traditur cap.
35. contra Epist. Fundament. ubi
ait: *Corruptio lab facit naturalem
statum, & idcò non est natura, sed
contra naturam*: ergo quando agen-
tia naturalia alterant, ut dissol-
vant, non intendunt per se cor-
ruptionem, sed novam generatio-
nem.

2 Variè diffinitur ab Aristo-
tele: primò sic: *Generatio est nu-
tatio ex non subiecto in subiectum*.
Deindè sic: *Mutatio de non ente in
ens*. Rursus: *Mutatio totius in to-
tum, nullo subiecto eodem sensibili
remanente*. Etiã: *Generatio est via
ad naturam*. Omnes istæ diffinitio-
nes in idem redeunt, & earum bo-
nitas ostenditur ex B. Egidio 1.
Sent. dist. 5. art. 5. in corp. de
cuius mente notandum est, ge-
nerationem posse tripliciter acci-
pi, primò ut est actio, secundò
ut est mutatio, tertio ut est via, &
assimilatio in natura geniti ad gigen-
tiam. Ut actio est, optimè dif-
finitur productio rei ex præsuppo-
sito subiecto: ut mutatio est, benè

diffinitur duabus primis diffinitio-
nibus, quæ valent, ac si dicas: *Mu-
tatio de non esse ad esse*: ut autem
est via, & assimilatio, benè expli-
catur tertia diffinitione. Clariùs
diffinitur generatio cum P. Augus-
tino lib. 12. Confess. cap. 6. *Tran-
situs materiæ informis de una forma
substantiali ad aliam*.

3 Quæres primò, an genera-
tio sit actio distincta à tota altera-
tione præcedente? Si vera sunt,
quæ de mente P. Augustini dixi-
mus 2. Physic. q. 9. à n. 5. ubi
probatum est, agentia creata non
producere formam substantialem,
sed fieri à solo Deo; nec aliter ge-
nerare, quàm disponendo mate-
riam, media alteratione qualita-
tum: si hæc sententia cum Au-
gustino defenditur, non est locus
quæstioni. Nam in generatione
substantiali sublanarium non in-
tervenit nisi actio creata alterans,
& actio divina formam producens:
ergo generatio substantialis, ut
est actio creata, non differt ab al-
teratione. Quia tamèn loco cit. di-
ximus, agentia creata verè pro-
ducere formas substantiales, quod
ex P. Augustino sufficientè proba-
tur, nam ad hoc dedit creaturis
rationes seminales, de quibus egi-
mus 1. Physic. q. 2. §. 2. idè in
hac sententia videtur ratio dubitan-
di. Affirmant Capreolus, Bañez,
Ioannes à S. Thoma, & commu-
nitè Thomistæ. Ex antiquis Scotus,
Alensis, & alij, quos sequi-
tur

tur Suarez in Metaphysic. disp.
18. sect. 2. à n. 15.

Probatum, quia terminus al-
terationis est forma accidentalis;
terminus autem generationis est
forma substantialis; sed quando
termini sunt diversi, actiones etiã
distinguantur: ergo generatio est
actio distincta ab alteratione. Se-
cundò. Alteratio est motus, qui
fit successivè; generatio est muta-
tio, quæ fit in instanti: ergo sunt
actiones diversæ. Tertio. Ut ait
D. Thomas 3. contra Gent. cap.
69. rat. 9. si forma accidentalis
habet propriam actionem, potiori
iure forma substantialis, quæ per-
fectior est; sed actio propria for-
mæ substantialis est generatio sub-
stantiæ: ergo ista est realitèr dis-
tincta ab alteratione. Tandèm. Al-
teratio, & eius terminus subiec-
tantur in composito corrumpendo;
generatio non sic, quia ipsa, &
eius terminus subiectantur in ma-
teria prima, vel in composito de-
nuò producto: ergo sicut subiecta
diversa sunt, ita actiones alteran-
di, & generandi.

Contraria sententia docetur à
N. Egidio in Examer. p. 1. cap.
11. quem sequitur N. Gerardus
in 1. Sent. dist. 4. q. 1. art. 1.
N. Villanoya disp. 1. de Generat.
cap. 2. nec alium vidi ex nostris
RR. nam Gavardi de Generat. q.
1. art. 3. n. 6. docet contrariam
sententiam. Ex alijs Caietanus 1.
P. q. 54. art. 3. & de Ente, &

Essent. q. 17. art. 1. Fonseca 3.
Metaph. q. 6. Complutenses hic
disp. 2. q. 2. §. 3. & videtur D.
Thomæ q. unic. de Anima art. 12.
ubi ait: *Generatio est terminus alte-
rationis*. Idem habet Opusc. 32.
& 42. & 1. p. q. 53. art. 3. & q.
118. art. 2. ad 4. & sæpè aliàs.
Probatum ex dictis 2. Physic. q.
10. Vbi probatum est, substantiam
non esse immediatè operativam,
sed operari medijs accidentibus al-
terantibus, v.g. ignis medio calo-
re; at calor non habet duas actio-
nes, sed unicam, quæ successivè
alterat, & calefacit usque ad sum-
mum; in termino autem summi
caloris inducitur novus ignis: ergo
generatio ignis non est actio dis-
tincta à præcedente alteratione.
Vrgetur. Hæc actio distincta vel
procedit immediatè à substantia ig-
nis, vel à calore, qui est virtus
substantiæ. Si primò: ergo sub-
stantia est immediatè operativa,
quod nobiscum negant Thomistæ.
Si secundò: ergo cum calor non
operetur nisi alterando, generatio
non est actio entitativè distincta
ab alteratione. Erit tamèn forma-
litèr distincta distinctione inad-
æquata, quatenus adæquatus ter-
minus entitatis actionis est duplex
forma, nempe, substantialis, & ac-
cidentalis, quæ differunt inter se.
Hinc solvuntur probationes
contrariæ. Ad primam dic, quod
terminus alterationis *ut talis*, est
forma accidentalis, sed non specifi-
cative;

ficativè; nam alteratio specificativè sumpta, non terminatur tantum ad formam accidentalem, sed ad substantialem. Imò hæc est terminus finalis, intentus ab alteratione; quæ non alterat, ut destruat, sed ut formam substantialem inducat. Nec cessat motus usque ad terminum; sed alteratio non cessat, usque dum inducitur forma ignis, v. g. ergo quia forma illa est per se verus terminus, & præcipuus alterationis. Ad secundam dic, antecedens esse verum; sed consequens non sequitur, maximè de actionibus adæquatis; nam vnica, adæquatè sumpta, producit successivè formam accidentalem; & in termino instantaneo motus formam substantialem. Ad tertiam dic, formam substantialem habere actionem propriam, sed non à se immediatè dimanantem, sed medio accidente alterante, quod est virtus instrumentaria substantiæ. Ob id actio, qua accidens producit substantiam, magis propria est substantiæ; in cuius virtute operatur; & ideo generatio tribuitur substantiæ, non accidenti. Ut autem actio illa, inadæquatè sumpta, est alteratio, sic est propria accidentis; quia propria virtute alterat, licet aliena generet substantiam. Ad ultimam dic, quod alteratio, ut est motus successivus, subiectatur in composito corrupendo; cæterum dum pervenit ad terminum motus, tunc est genera-

tio; & subiectatur in materia prima, vel composito denuò producto.

4. Quæres secundo, an generatio sit vera actio de predicamento actionis? Affirmant N. Lusitanus tom. 3. de Beatitud. lib. 1. q. 5. art. 4. Ioann. à S. Thoma hic q. 1. art. 3. & est quam plurimum sententia, sed quæ pendet ex dictis circa distinctionem realem actionis à termino, de qua vide me 3. Physic. q. 2. Contrariam sententiam docent N. Ægidius, & Gerardus vbi supra. Loquimur hic de Generatione secundum se sumpta, & ut est mutatio substantialis; non autem de generatione ut includit alterationem præcedentem. In hoc sensu verior est Ægidij sententia, quam sequitur N. Villanova vbi supra. Et omisissis varijs rationibus, quas congerit N. Gerardus, probatur ex dictis 3. Physicor. q. 2. vbi habetur, quod generatio secundum se sumpta, non est entitas, aut modus distinctus à termino, sed est ipsa forma substantialis cum habitudine ad agens: sed forma substantialis per nullam habitudinem potest reponi in predicamento accidentis; sicut forma accidentalis per nullam habitudinem potest reponi in predicamento substantiæ, ut latè probat B. Ægidius in 2. dist. 1. art. 4. & N. Argentinas ibidem q. 1. art. 1. ad ultimum: ergo generatio substantialis in sensu dicto non est vera actio

actio de predicamento actionis.

Præterea adhuc dato, quod actio illa esset modus, distinctus realliter à forma substantiali, adhuc non pertineret directè ad predicamentum actionis. Nam nullus modus, aut ens incompletum ponitur directè in predicamento, ad quod tantum pertinent entia completa, ut in Logica dictum est: ergo etiamsi generatio esset modus distinctus à forma substantiali, non pertineret directè ad predicamentum actionis, sed indirectè ad predicamentum substantiæ. Si tamen generatio sumitur, ut includit alterationem, sic est actio stricta, pertinens directè ad predicamentum actionis, ad quod spectat actio stricta, & successiva, ut in Logica dictum est: de quo me vide 3. Physic. q. 1. num. 18.

5. Quæres tertio, an generatio sit essentialiter mutatio? Affirmant Bañez, S. Thoma, & alij, quos refert, & sequitur Prado hic q. 3. Probant varijs auctoritatibus Philosophi, & D. Thomæ; sed quæ bene explicantur à contrarijs de mutatione latè sumpta. Probant à ratione ex diffinitione generationis, qua dicitur *Mutatio de non esse ad esse*: ergo generatio est essentialiter mutatio. Rursus in generatione aliter se habet materia nunc ac prius: ergo mutatur de non esse ad esse, & sic generatio est mutatio. Tertio. Si creatio haberet subiectum commune vtri-

que termino à quo & ad quem, nihil illi deficeret ad rationem mutationis, ut docet D. Thomas 1. p. q. 45. art. 3. sed generatio habet materiam communem vtriq; termino à quo & ad quem; alioquin non differret à creatione: ergo generatio est essentialiter mutatio. Tandem. Generatio accidentalis, & secundum quid, qua denuò producit forma accidentalis, est essentialiter mutatio: ergo etiam generatio simpliciter, qua producit forma substantialis.

Contraria sententia docetur à Fonseca, Hurtado, Arriaga, & alijs Societatis. Ex Thomistis eam defendunt Zanardus, & Complutenses hic disp. 2. q. 2. §. 4. Probant ex D. Thoma 3. p. q. 77. art. 5. vbi docet, ex speciebus Sacramentalibus posse generari vermes; sed tunc generatio est sine mutatione; quia tunc non præcedit materia cum privatione, sed producitur cum nova forma vermis: ergo datur aliqua generatio, quæ non est mutatio. Secundo. In principio mundi fuerunt veræ generationes: & tamen non fuit mutatio, quia non præcessit materia formas: ergo idem. Rursus. In primo instanti cuiuslibet creaturæ passionis eius dimanant ab essentia, & verè generantur: & tamen non intervenit mutatio, cum pro nullo instanti sit in essentia privatio passionum: ergo &c. Tandem. Productio Verbi Divini est generatio, ut

docet Fides: & tamen non est mutatio: ergo generatio non est essentialiter mutatio.

Nostra sententia in presenti colligitur ex dictis. 1. Physic. q. 12. §. 1. vbi explicatum est de mente P. Aug. quid sit creatio, quideductio, & latè probavimus, quòdueductio, vt dicit facere rem ex præsupposito subiecto, petit actionem transmutatiuam materiæ per motum successivum, & alterationem præsuppositam. Quòduocuit P. August. 9. de Genesi ad lit. cap. 1 §. vbi dicit. Heviam ex costâ Adami præsupposita formam, factam esse per creationem, quia sine motu, & transmutatione facta est. Ibi: *Natura quippè mulieris creata est, quamvis ex virili, quam iam erat, non aliquo motu iam existentium creaturarum.* Eandem doctrinam tradiderunt D. Thomas, & B. Ægidius à nobis allegati quæst. cit. & suadetur ratione. Nam agens creatum non potest producere formam substantialem, nisi medijs qualitibus alterantibus, & disponentibus materiam: ergo non potest agere sine transmutatione. Quare sicut est proprium Dei creare, nec vlli creaturæ communicari potest; ita & agere sine transmutatione. Cùm ergo generatio, vt sumitur in presenti, sit idem, aceductio, & contraponatur creationi, quæ est fieri rei ex nihilo; idèd sieductio non stat sine transmutatione; ita nec gene-

ratio sine mutatione.
Ad fundamenta contraria respondemus, & ad primum dicimus cum D. Thoma loco cit. quòduquantitas Eucharistica gerit vices materiæ ad recipiendam alterationem, & transmutationem agentis naturalis, quia non alitèr potest inducere formam vermisi alterando subiectum, quòduibi non est nisi quantitas gerens vicem materiæ. Ad secundum dic, quòduin prima rerum productione nulla fuiteductio, aut generatio, vt latè probatum est 1. Physicor. quæst. 14. Imò nec potuerunt educi, aut generari, vt ibidem num. 8. probatum est. Ad tertium dic, quòdu licèt passionès dimanent ab essentia, non tamen ex illa generantur. Quid sit dimanatio, explicatum est 2. Physicor. quæst. 10. §. 7. vnde constat, quòduessentia est subiectum dimanationis; sed non generationis. Fiant passionès ab eodem agente, & per eandem actionem, ac essentia: ergo sunt ex eodem subiecto præsupposito; vnde educitur essentia. Hoc subiectum est materia prima; vnde educitur forma substantialis, quæ dat speciem & essentiam composito; & proprias exigit proprietates. Ad vltimum dic, quòdu scientia nostra essentialiter est qualitas; & tamen eodem argumento probari poterat quòdu non est qualitas, quia scientia in Deo substantia est. Dicitur dicimus, prædicata Divina & crea-

ta

ta convenire tantum analogicè, & nullum hinc inde fieri argumentum quo ad imperfectiones: quia Deus in omni linea actus purus, excludit imperfectionem; & sic divina generatio purissima sine mutatione est.

§. II.

Traditur diffinitio generationis viventium, & aliquæ difficultates enodantur.

6. **G**eneratio viventium, quæ principalissima est, diffinitur à D. Thoma 1. p. q. 27. art. 2. *Origo viventis à vivente per principium coniunctum in similitudinem naturæ.* Ita Theologi, & Philosophi, nam diffinitio ista varijs locis insinuat ab Arist. *Ly Origo* ponitur loco generis, & est idem, ac processio, qua res procedit à suo principio. Per *ly Viventis* excluduntur à generatione viventium processiones non viventium. Per *ly à vivente* excluduntur generationes æquivoce viventium, quæ virtute Solis generantur ex putredine terræ. Viventia ista dum generantur, non generantur à Sole vivente: nec modus ille processionis à Sole specialis est muribus, & alijs viventibus ex patri generatis; nam etiam metalla modo illo virtute Solis generantur.

¶ Illa particula *per principium*

coniunctum, vel vt alij dicunt *principio coniuncto*, variè explicatur. Alij dicunt, ibi denotari generationem debere esse de substantia generantis: ita vt si generatio sit imperfecta, fiat de parte substantiæ generantis, vt contingit in semines si verò generatio sit perfecta, vt in Divinis, tunc est de tota substantia generantis.

N. Villanova hic, omisis varijs expositionibus, dicit, per illa verba denotari, quòdu ad generationem viventium formaliter requiritur, vt generans sit coniunctum ipsi genito per suam virtutem: & ed magis coniunctum, quòdu perfectius est vivens genitum. Vnde quia viventia sola vita vegetativa, habent infimum gradum vitæ; idèd in actuali generatione generans non est tam coniunctum genito, sicut generans, quòdu vivit vita sensitiva, aut intellectiva. Generans enim vegetativum solum coniungitur mediatè cum genito, nempe medio semine à se diviso, vt docet Aristoteles, & testatur experientia. In gradu autem sensitivo maiorem coniunctionem habent principium, & effectus, nam semper principium coniungitur cum effecta in eodem subiecto; cum operatio sensitiva fieri non possit, nisi obiectum coniunctum sit potentie sensitivæ, vel per se, vel per speciem immixtam, & receptam in subiecto, in quo sit sensitio. In gradu verò intellectivo maiorem

iorum coniunctionem habent principium, & effectus, quam in gradu sensitivo; nam quando substantia Angeli cognoscit se ipsam, est sibi ipsi immediate præsens, & non per speciem; tunc autem verè generat, & parit noticiam sui, ut dicitur à Theologis cum P. Augustino. Idem contingit animæ nostræ separatae, cum se ipsam intelligit modo Angelico. Quia verò in hoc gradu intellectivo Deus perfectissimus est, ideò generat taliter coniunctum suo termino, nempe Filio, ut sit idem in natura, & solum differat in Personis.

Ex his patet, cur Angelus productus à Deo, non sit genitus ab ipso. Productio enim eius fait origo viventis à vivente, sed non fait per principium coniunctam in sensu explicato, nec Angelus factus est de substantia Dei, sed à substantia Divina. Ità P. Augustinus lib. 2. de Origine animæ cap. 3. *Creatura ità dicitur ex Deo, ut non ex eius natura facta sit; ex illo enim propterea dicitur, quia ipsum Auctorem habet, ut sit; non ità ut ab illo nata sit, vel processerit, sed ab illo creata, condita, facta sit.* Et lib. 3. cap. 3. *Oportet, ut dicas animæ Auctorem Deum, ut ab illo facta sit, non de illo: quod enim de illo est, sicut unigenitus Filius, eiusdem naturæ est, cuius & ille est.*

Ultima particula in similitudinem naturæ (quæ desumpta est ex Aristotele 7. Metaph. text. 22.

& 28.) variè explicatur à Commentatoribus D. Thomæ, sed melior explicatio est, verba, ut sonant, accipere. Sic intellecta, eò maior erit similitudo, quò perfectior sit generatio: vidè quia equus similior est equo generanti, quam mulus; ideò perfectior est generatio equi. Perfectio ista similitudinis in natura crescere potest vsque ad identitatem, ut patet in Divinis. Per hanc similitudinem excluduntur à ratione generationis viventium productiones capillorum, & unguium, quæ licet sint origo viventis à vivente per principium coniunctum, non procedunt in similitudinem naturæ. Nec sufficit similitudo in natura generica, ut patet de pulice, & lumbrico ex homine generatis, quæ conveniunt cum eo in ratione generica naturæ sensibilis. Ob id dicit P. Augustinus in Enchirid. cap. 39. *Non igitur concedendum est, quidquid de aliqua re nascitur, continud eiusdem rei filium nuncupandum; ut enim omittam alia, aliter de homine nasci filium, aliter capillum, vel lumbricum, quorum nihil est filius*

7. Notandum maximè, quòd ad generationem non sufficit similitudo in natura, materialitèr habitata per processionem, sed requiritur similitudo habitata formalitèr ex vi processionis. Ob id in Divinis Spiritus Sanctus procedens à Patre, & Filio, procedit per originem viventis à vivente in similitudi-

ludinem naturæ, nec tamèn est Filius: quia non est similis in natura ex vi processionis formalitèr, sed tantum materialitèr. Procedit enim per voluntatem, & ideò formalitèr procedit ut amor, & impulsus. Sed quia impulsus iste est identicè natura divina; ideò per voluntatem communicatur identicè natura divina Spiritui Sancto, non formalitèr: quare est similis in natura suo principio, sed non formalitèr ex vi processionis, sed materialitèr, identicè, aut concomitantèr, & ideò non procedit ut Filius.

Notandum etiàm cum N. Gerardo in 1. Sent. dist. 4. q. 1. art. 2. quòd generatio alia importat ex se formalitèr, præcisivè à subiecto, alia ratione subiecti, in quo est. Primo modo dicit communicationem esse substantialis, quòd generans dat genito. Deindè importat acceptionem illius, esse in genito à generante. Tertio, realem distinctionem, quæ nihil potest generare se ipsum. Quarto, relationem realem mutuam inter generans, & genitum, quæ essentialitèr sequitur ad generationem, & in ea fundatur. Tandem assimilationem in natura, ut dicitur in eius diffinitione. Hæc omnia formalitèr conveniunt generationi præcisivè à subiecto, & ideò dantur etiàm in Divinis.

Quòd autem generatio fiat ex contrarijs; & per approximatio-

nem activi, & passivi; quòd sit actio de predicamento actionis iuxta aliquos; quòd siteductio de potentia materiæ; quòd sit per defensionem partis substantiæ generantis: hoc ei accidit ratione subiecti, in quo est; nam quia generans agit ex præsuppositione materiæ, quæ alteratur ab accidentibus contrarijs, ideò generatio in tali agente fit ex contrarijs, & per applicationem agentis ad passum præsuppositum, & est cum motu alterationis subiecti præsuppositi. Hinc deducitur, quòd doctrina data §. præcedenti verissima est de generatione creata, ut concernit subiectam, in quo est. Quia tamèn generatio ad Divina transfertur, ubi ab imperfectionibus creaturæ depuratur; ibi generatio ea tantum habet, quæ ipsi conveniunt formalitèr præcisivè à subiecto.

§. III.

Designantur principia intrinseca, & extrinseca generationis.

8. Explicata essentia generationis, restat exponere principia intrinseca, & extrinseca illius. Libro 1. Physic. q. 1. explicavimus principia entis in fieri; quæ iuxta Aristot. sunt materia, forma, & privatio. Ibi §. 3. notavimus de men-

te B. Ægidij; quod privatio non est propriè principium entis, sed propriè principiat fieri entis. At qui fieri entis est generatio eius: ergo generatio substantialis intrinsecè principiatur à materia, forma, & privatione. Quidquid pro questione ista desideres, ibi tactum invenies.

In eodem libro q. 2. probatum est de mente P. August. quod principia entis inferiori sunt materia, forma, & ratio seminalis, quam S. Patens substituit loco privationis. Ibi probatum est, quid sit ratio seminalis, quam necessaria generationibus sublunariis, quando indita rebus creatis ad sui propagationem: & quod sententia Augustiniana præferri debet Aristotelicæ. Doctrina ibi data pro ente in fieri, potius deservit pro fieri, & generatione entis substantialis: quare questio illa hic potius reponenda est, & nobis tenendum hic cum P. August. D. Thoma; & B. Ægidio, quod principia intrinseca generationis substantialis sunt materia, forma, & ratio seminalis. Vide dicta loco cit.

9. Principium extrinsecum generationis substantialis est causa efficiens illius: & sic queritur, quæ sit causa efficiens generationis? Circa hoc fuerunt variæ sententiæ, tribuentes Deo omnem effectum sublunarem, ita ut creaturæ nihil operentur. De hoc vide D. Thomam, & B. Ægidium in 2. sent. dist.

1. q. 2. art. 6. ubi refert; & im-pugnât varios Antiquorum errores. De eis aliquantulum egimus in Physic. q. 9. Nec inter errores computanda est sententia Platonis, tenentis causas creatas agere, sed non producere formas substantiales, quas solus Deus efficit, postquam materia alterata, & disposita est ab agentibus creatis. Hęc sententia loquendo de generatione humana, est de fide: nam generans non producit materiam, aut animam rationalem, quæ à solo Deo creantur, genitoribus ministrantibus materiam, & disponentibus ad unionem. De reliquis formis, ut benè advertit Suarez in Metaph. disp. 18. sect. 1. nihil potest certò affirmari pro utraque parte. Idè Platonis sententiam ut probabilem defendit Aræsius. Quia verò sententia ista urgentissimè probatur ex P. August. ut vidimus quest. cit. à num. 6. idè ob solam auctoritatem P. August. debet esse nobis probabilis: quamquæ quicumque Nostrum velit eam defendere, poterit faciliter ex dictis à nobis loco cit.

Quia tamen sententia communis tenet, agentia creata verè generare, producendo formam substantialem ex materia præsupposita, quod insinuat etiam à P. August. propugnante rationes seminales, quæ ad hoc videntur indita creaturis. idè hoc supposito, quæsimus, quid in generante sit causæ efficiens

efficiens generationis substantialis. Scotus, Ockham, Hurtado, & communiter Doctores Societatis cum Scotistis docent, formam substantialem generantis esse effectivum principium generationis. Contra sententia docetur à Thomistis, negantibus, substantiam esse immediate operativam. Quare causa efficiens generationis non est sola substantia generantis, sed illa ut operatur medijs qualitibus, quæ sunt virtus instrumentaria substantiæ. Questionem istam latè versavimus in 2. Physic. q. 10. cui nihil est addendum in præsentî.

10. Solum restat explicare, quæ accidentia producunt substantiam genitam, an illa, quæ sunt producta in passo, an illa, quæ sunt in agente? Suarez in Metaphysic. disp. 14. sect. 3. Rubius, Hurtadus, & alij docent, accidentia, quæ sunt in agente, producere formam substantialem. Scotus dicit, accidentia, quæ sunt in genito, & prævidè disponunt materiam ad receptionem novæ formæ, solum materialitèr concurrere ad corruptionem formæ præteritæ. Ita in 4. Sent. dist. 1. q. 5. & dist. 12. q. 3.

Probatur. Nam accidentia, quæ sunt in genito, & producta à generante, vel sunt illa, quæ præcedunt generationem, & recipiuntur in composito corrupendo, vocanturque dispositiones præviæ: vel sunt accidentia, quæ pro-

ducuntur simul cum forma substantiali, & vocantur dispositiones concomitantes. De primis patet, non posse causare generationem, nam causa non causat, quando non existit; sed in instanti generationis non existunt dispositiones præviæ, quæ receptæ sunt in composito corrupendo, nam eo pereunte, pereant dispositiones in eo receptæ: ergo dispositiones præviæ non possunt esse causa generationis substantialis. De alijs patet etiam: nam accidentia, & dispositiones comitantes formam substantialem, sunt effectus formæ substantialis, ut colligitur ex Divo Thoma 3. p. q. 9. art. 3. ad 2. sed effectus non potest esse causa sui causæ in eodem genere infimo causalitatis: ergo dispositiones comitantes non possunt causare formam substantialem, & generationem.

Confirmatur de dispositionibus prævijs, de quibus est maior difficultas. Agens naturale nihil potest efficere, nisi circa subiectum præsuppositum; sed dispositiones præviæ nihil efficiunt circa subiectum, in quo recipiuntur: ergo non causant effectivè generationem, sed materialitèr, aut formalitèr. Minor probatur ex D. Thoma 1. 2. q. 85. art. 1. ad 4. ubi docet, quod *accidens non agit effectivè in subiectum; agit tamen formalitèr in ipsum eo modo loquendi, quo dicitur, quod albedo facit album.*

Probatur ratione. Nam agens naturale non intendit per se corrumpere, sed per accidens, quatenus intendit productionem alterius; sed dispositiones prævia nihil efficiunt toto tempore alterationis; calor enim productus in ligno non producit novam calorem in eadem parte ligni, alioquin se ipsum intenderet, quod est impossibile: ergo nullum habet effectum circa lignum de genere causæ efficientis. Expellit quidem à ligno aliquos gradus frigiditatis, sed eos expellit in genere causæ formalis, non autem efficientis.

II Contraria sententia est expressa in B. Ægidio 2. Sent. dist. 19. q. 1. art. 2. dub. 2. laterali. Eam docent Thomistæ communiter locis citatis à Prado hic q. 8. Ex nostris eam defendant Puteanus 1. 2. q. 113. art. 2. dub. 13. ubi asserit, hanc esse doctrinam communem Philosophorum. Noster Coqueus lib. 3. de Gratia disp. 9. cap. 3. N. Villanova hic disp. 7. dub. 3. Probatur primò. Nam agens alterando passum, producit formam substantialem; sed non alterat passum formaliter, nisi mediante qualitate inducta in passum: ergo agens producit formam substantialem medijs accidentibus inductis in passum. Secundò. Agens in tantum agit, in quantum tangit; sed agens non tangit passum per accidentia, quæ sunt in agente, sed per accidentia, quæ producuntur

in passum: ergo agit medijs accidentibus, quæ sunt in passum. Tertio. Agens debet esse per se, vel per virtutem suam præfens, & coniunctum passum; sed non est ita per accidentia, quæ sunt in agente, ut patet multis exemplis: ergo agit per accidentia, quæ sunt in passum.

Exempla, quibus probatur minor, sunt sequentia. Primum in semine deciso ab animali, cuius virtus efficit generationem in instanti, quo vel agens est distans, vel aliquando mortuum. Quia tamen virtus eius residet in semine, illa efficit generationem. Exemplum hoc commune est, & traditur à D. Thoma 1. p. q. 118 art. 1. Alterum est in Sole agente in his inferioribus, de quo dicit D. Thomas in 1. dist. 37. q. 1. art. 1. ad 2. *Virtus Solis imprimatur primò in corpore sibi coniuncto; & sic deinceps usque ad ultimum: & hac virtus est lumen eius, per quod agit in his inferioribus, ut Avicenna dicit.* Ecce Sol non agit effectus sublunares per accidentia, quæ sunt in Sole, sed per lumen, & calorem à Sole productum in corpora inferiora. Tertium exemplum: Impellens lapidem est causa totius motus per impulsum, & causat toto tempore, quo motus durat, ut docet D. Thomas q. 3. de Potentia art. 11. ad 5. sed motus potest multum durare, cum tamen impellens possit statim motum ac impellit; & licet vivat, manet distans

distans à lapide iactato, qui movetur: ergo causat motum illum per accidentia, quæ sunt in passum, non autem per ea, quæ sunt in agente.

Nec urgent fundamenta contraria. Ad primum concedimus, dispositiones comitantes formam, non esse causam efficientem illius, licet sint causa materialis ultimò dispositiva ad formam. Nego tamen de dispositionibus prævijs, quod non possint causare generationem. Et admissio, quod non existant in instanti generationis; nego, quod non causent generationem. Tum, quia relinquunt materiam sigillatam, & in illa sigillatione sufficienter existunt virtualiter, ut causent. Tum, quia in entibus successivis, sufficit ad causandam, existisse in instanti, aut tempore immediatè antecedenti. De hoc plura diximus in 2. Physic. q. 5. §. 2. per totum, ubi quidquid in contrarium objicitur, plene solutum est. Ad confirmationem dic, accidentia geniti nihil agere in subjectum, ut ibi; & alibi sæpè docet D. Thomas: ceterum inde nihil contra nos, qui non dicimus accidentia agere in subjectum, sed causalitatem exercere in formam substantialem, quod non improbat, ab arguente.

12. Quæres, an ultima dispositio ad formam dimanet à forma, ad quam disponit? Supponit hæc

quæstio dispositiones comitantes formam substantialem, quarum alia dantur ad ornatum, & perfectionem subjecti; alia autem ad preparandam materiam, & ultimò disponendam ad receptionem formæ. Distinctio sumitur ex D. Thoma 3. Sent. dist. 13. q. 3. art. 1. Non est dubium de dispositionibus ornantibus, nam istæ possunt esse effectus formæ, cum non petant præcedere formam. Difficultas est de dispositione disponente, quæ præcedit formam, nec potest præcedere causam suam. Ob id negativa sententia tenetur à Sumario disp. 14. Metaph. sect. 3. n. 28. Lorca, Montescin. Aversa, & alij communiter. Ex nostris Villanova 2. Physic. disp. 6. dub. 2. & videtur mens Ægidij in 2. dist. 28. q. 1. art. 3. & alijs locis, quæ allegat N. Mendoza in quodlib. q. 2. Scholast. Contraria sententia docetur à Thomistis communiter, & eam putamus expressam in P. Augustino, cuius mentem expendimus 2. Physic. q. 19. §. 3. ubi quæstio ista plene discussa est, & probatum de mente P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, quod in ordine naturali ultima dispositio ad formam substantialem est effectus eius, necnon contritio est effectus gratiæ, ad quam disponit peccatorem. Videantur ibi dicta, & respondentur hic.

§. III.

Enodantur precipue difficultates circa terminum generationis.

13 **T**erminus generationis correspondet principio: & principium est duplex. Alterum est efficiens, & tale principium est generans, cui pro termino correspondet genitum. Dicitur etiam principium generationis id, à quo incipit generatio: & hoc modo principium, & initium generationis est privatio formæ generandæ iuxta Aristotelem. Vel ratio seminalis iuxta P. Augustinum; cui principium correspondet ut terminus formæ genitæ. Communiter DD. docent, terminum generationis esse duplicem, nempe, *qui*, & *quo*. Terminus *qui* est ille, qui generatur, & adæquatè terminat generationem. Terminus *quo* est ratio illa formalis, ratione cuius terminus *qui* adæquatè terminat generationem. His notatis, quædam dubia sunt circa utrumque terminum, quæ breviter dissolvemus.

Circa terminum *qui* aliqui dicunt, esse compositum substantiale, non verò suppositum, quod vel est terminus extrinsecè resultans ex generatione, vel speciali actione distincta producitur. Ità Vazquez 3. p. disp. 31. cap. 3.

vbi negat, actiones esse suppositorum. Ità tenent Conimbricenses, Rubio, & alij. Probatur: Nam Beatissima Virgo Maria fuit verè, & propriè Mater Dei: & tamèn non genuit suppositum; nam suppositum Christi est Divinum, quod nequit effici à creatura: ergo suppositum non est terminus *qui* generationis, sed sola natura. Confirmatur in generatione accidentali, quæ non producit ut terminum totum concretum accidentale, sed solam formam: ergo idem in generatione substantiali. Antecedens patet, nam terminus generationis accidentalis debet esse vnus per se: concretum autèm accidentale constat ex subiecto, & accidente, ex quibus non fit vnus per se.

Contraria sententia est communis apud Thomistas, & alios. Ex nostris eam defendit Villanova in præsentibus citans N. Ariminensem in 1. Sent. dist. 5. q. 2. art. 2. vbi latè disputat contra Aureolum de utroque termino. Accedit Argentinas in 2. dist. 19. q. 1. art. 1. N. Gavardi hic q. 1. art. 2. vbi allegat B. Egidium varijs locis. Probatur. Nam principium ut *quod* activum generationis est suppositum iuxta illud P. Augustini 15. de Trinit. cap. 22. vbi dicit: *Memoria non meminit, nec intelligentia intelligit; sed homo per intelligentiam, & memoriam intelligit, & meminit.* Ad idem D. Thomas 3. p. q. 20. art. 1. ad 2. dicit:

est: Agere non attribuitur nature ut agenti, sed persone; actus enim suppositorum sunt, & singularium. secundum Philosophum; sed terminus qui correspondet principio quod generationis: ergo si principium quod non est forma, aut natura, sed suppositum, aut natura subsistens; terminus qui generationis non erit forma substantialis, aut natura sola, sed natura subsistens.

Ad primam rationem in contrarium dic, quòd iuxta eam non benè ponitur Virgo Maria Mater Dei, si eius influxus terminatur ad solam humanitatem Christi. Ut ergo salvetur vera Mater Dei hominis, tenendum est, Virginem Matrem disposuisse, & præparasse humanitatem Christi, ut assumeretur à Verbo Divino in unitatem suppositi. Sic reliqui genitores generant totum hominem, licèt non producant materiam, & animam rationalem; quia disponunt materiam ad unionem cum anima. Ad aliud dic, quòd generatio substantialis convenit cum accidentali in termino *quo*, nam utriusque terminus est forma. Cæterùm in termino *qui* non conveniunt quoad unitatem, nam terminus *qui* substantialis est vnus per se, sed non terminus *qui* accidentalis propter rationem argumenti.

14 Circa terminum *quo* est maior difficultas, nam Aureolus docet, esse existentiam; probatur, quia finis præcipuus generationis

est dare esse genito; sed existentia est forma, qua formalitèr habet esse, quod generatur: ergo est terminus *quo* formalis generationis. Ex eodem principio procedit sententia aliorum, quos citat Prado, docentium, terminum formalem generationis esse subsistentiam. Sui adetur, nam terminus *qui* generationis est suppositum, ut dictum est; sed subsistentia est forma constituens suppositum: ergo subsistentia est terminus *quo* generationis substantialis.

Communis sententia Thomistarum docet, terminum *quo* adæquatè esse naturam, terminum autèm *quo* inadæquatè esse formam substantiale. Cæterùm, quia per formam constituitur genitum in suo esse substantiali, idèd forma substantialis est absolutè terminus *quo* generationis. Probatur. Nam terminus *quo* generationis correspondet principio *quo* effectivo illius; sed in generante forma substantialis est absolutè principium *quo* effectivum generationis: ergo ex parte geniti forma substantialis est terminus *quo* formalis generationis. Hæc ratio sumitur ex Divo Thoma 1. p. q. 41. art. 5. Rursus. Generatio per se intendit assimilationem geniti cum generante; sed assimilatio utriusque in natura specifica habetur per formam substantialem, quæ dat esse specificum: ergo forma est finis, & formalis terminus generationis.

Tertia sententia traditur à Durando, & Suario, quos sequitur Hurtado disp. 11. Physic. sect. 5. ubi contendit, terminum formalem quo generationis non esse formam substantialem, sed unionem formæ cum materia. Probatur. Nam terminus qui generationis est ille, qui producitur ut quod, & terminus quo producitur ut quo; sed in generatione humana forma nullo modo producitur à generante, nam anima rationalis à solo Deo creatur; unio verò formæ cum materia producitur à generante in generatione humana, & quacumque generatione: ergo in omni generatione terminus quo est unio, non autem forma. Confirmatur ex Durando. Terminus non præexistit actioni, quam terminat; alioquin frustra esset actio; sed anima rationalis præexistit actioni generativæ humanæ; nam hæc est actio unio, & unio materiæ formam, quam supponit à Deo creatam; ergo anima non est terminus actionis generativæ.

Alij dicunt, quòd quando forma educitur, & producitur per generationem, tunc est terminus formalis: quando verò non producitur, sed tantum unio, terminus formalis est unio. Ita Conimbricenses hic q. 15. Lugo de Incarnat. disp. 11. sect. 2. dicit, generationem habere duos terminos formales: alter est unio, quam respicit ut terminum productum, ani-

nam autem respicit ut terminum communicatum. Sententiam istam sequuntur Cabero, & alij RR. eorum fundamenta patent ex dictis pro alijs sententijs.

15. Nostra sententia est cum Villanova in præfenti, qui supponit ex doctrina Egidij in 1. sent. dist. 5. q. 3. generationem posse multipliciter considerari: nempe ut est actio, ut est mutatio, ut esteductio, ut est via ad assimilationem in natura, & tandem ut est unio formæ cum materia. Hoc supposito, dicimus, terminum formalem generationis, ut actio est, esse suppositum. Probatur ex Philosopho 5. Metaph. ubi docet, quòd proprium est actionis esse medium inter agens, & patiens; sed agens, & patiens sunt duo supposita convenientia in natura specifica: ergo terminus formalis actionis ut actio est, est ipsum suppositum genitum. In hoc sensu est aliquo modo vera sententia Aureoli, & altera ei coniuncta, nam actio ut actio terminatur ad dandum esse supposito, & sicut actio ut actio non determinat speciem actionis, sic eius terminus est esse commune, & non sub aliqua determinatione.

Dicimus secundò, terminum generationis, ut mutatio est, esse existentiam, seu esse. Probatur. Nam mutatio est transitus subiecti de contradictorio in contradictorium, ut docet Aristot. 5. Physic. ubi

ubi distinguit mutationem à moto, qui est de contrario in contrarium; unde mutatio est transitus de non esse ad esse; ergo eius terminus formalis est esse sub hac generalitate, & sic est existentia, quæ est ultimus actus, & terminus entis in communi.

Dicimus tertio, terminum generationis, uteductio est, esse formam productam dependentem à materia. Probatur. Quiaeductio est productio rei ex præsupposito subiecto: ergo terminus formalis eductionis est forma ut dependens à subiecto.

Dicimus quarto, terminum generationis, ut estassimilatio, geniti ad gignentem, esse formam substantialem. Ita B. Egid. & N. Gregorius ubi supra. Probatur. Quia ut docet Aristot. 2. Physicor. textu 14. Generatio ut assimilativa, est via ad naturam: sed natura primò, & per se reperitur in forma substantiali, cui per se primò convenit ratio naturæ; composito enim convenit ratione formæ, ut probatum est à nobis 2. Physic. q. 1. §. 2. ergo terminus formalis generationis, ut est assimilativa, est forma substantialis geniti. Hinc colliges, quòd, cum præcipuum munus generationis sit assimilare, & producere sibi simile; idè terminus formalis generationis est forma substantialis, ut bene docent Thomistæ.

Dicimus tandem, terminum

generationis ut unio est, non esse unionem, sed illud esse specificum, quod forma unio materiæ eidem præstat formaliter. Diximus lib. 2. Physicor. q. 7. per totam, quòd effectus formalis formæ realiter distinguitur ab ipsa forma communicata, & est modus quidam realiter distinctus à forma, & effectus eius afficiens subiectum. Hic modus afficiens subiectum, est terminus formalis generationis ut unio est. Probatur, quia terminus formalis generationis coincidit cum fine per se intento à generatione; unde idem est terminus formalis, & finis generationis; sed generatio ut unio non unio propter unionem, sed propter esse specificum, quod præstat formam materiæ per unionem cum illa: ergo terminus formalis generationis ut unio est, est illud esse specificum, quod habetur per unionem, non autem unio, quæ est via ad terminum per se intentum à generante.

16. Hinc conciliantur alie sententiæ præter tertiam, cui directè opponitur ultima assertio nostra. Prima Aureoli sententia, & altera eidem adiuncta verum tenent de generatione, ut actio est, & mutatio: nam sub ista generalitate generatio intendit dare esse genito. At quia generatio ut actio specialis est, habet esse assimilativam in natura specifica; ideo eius finis non est dare esse existentem.

existentiæ, aut substantiæ, quod est esse commune omni enti, & substantiæ; sed præcipuè intendit assimilare quantum potest, dando esse specificum, quod habetur per solam formam substantialem. Fundamenta sententiæ Thomistarum sunt pro nobis, si accipiantur de generatione sub præcipuo conceptu assimilandi. Si autem generatio sumitur sub alijs considerationibus explicatis, nihil convincunt fundamenta Thomistica.

Ad fundamenta tertiæ sententiæ dicimus, primum manifestè instari in Divinis, ubi terminus qui generationis Divinæ est terminus productus, quia est Filius, qui producit, & generatur à Patre: cæterùm terminus quo generationis est natura Divina, Filio comunicata per generationem; unde est terminus communicatus, sed non productus, alioquin cum terminus productus realitèr distinguatur à producente, natura Divina in Filio realitèr distingueretur à Patre, quod est contra Fidem. Hinc patet, quod, licèt in generatione humana non producat à generante forma substantialis, est tamen terminus quo generationis, nam hic non petit produci, sed vel produci, vel communicari, vel uniri subiecto alterato, & disposito per generationem. Ad confirmationem ex Durando dic, quod, licèt anima entitativè, & materialitèr præsupponatur ad genera-

tionem; non tamen anima ut comunicata materiæ dispositæ per generationem: & ita est terminus generationis.

Dices: ergo terminus generationis non est forma, quoad entitatem, sed forma ut unita materiæ dispositæ, & alteratæ; sed forma unita dicit formam, & unionem: ergo terminus formalis generationis non est sola forma, sed unio. Respondemus, quod unio est conditio, ut forma sit terminus formalis, non verò est ratio formalis terminandi. Sic causa effectivæ non est sola substantia, sed substantia existens: ac existens non est ratio formalis ad causandum, sed mera conditio. Generatio autem præcipuè intendit assimilare genitum generanti: assimilatur in forma substantiali, non in unione, quæ solùm est conditio, ut totum compositum ex materia, & forma evadat simile.

Dices adhuc ex D. Thoma in 4. dist. 44. q. 1. art. 1. *Generatio, & resurrectio non sunt idem motus*: ergo habent terminos formales distinctos. Sed distinctio terminorum non est ex parte formæ, quia idem homo, qui fuit mortuus, resurget: ergo differentia est ex diverso modo unionis. Sed quod diversificat actiones, est terminus formalis: ergo unio est terminus formalis generationis. Respondemus, in resurrectione redire idem compositum substantiale, quod fuit ante mortem,

mortem, quare redit eadem materia, eadem forma, & eadem unio, maximè si hæc est realitèr distincta ab extremis. Diversitas est tantùm in modo informandi materiam, nam post resurrectionem informat anima inamissibilitèr, & ex isto diverso modo informandi oritur distinctio generationis à resurrectione. Si verò quis resurgat ut Lazarus ad vitam mortalem: tunc resurrectio differt à prima generatione propter diversum modum terminandi actionem productivam, sicut etiàm differt homo genitus ab homine factò à solo Deo per creationem.

§. U.

Quid sit subiectum generationis?

17 **E**xplicavimus quidditatem generationis, eius principia intrinseca, & extrinseca, causam efficientem eius, & terminum formalem illius: restat pro complemento exponere causam materialem, & subiectum generationis. Supponimus, materiam non esse subiectum denominationis, quia, cum ipsa sit ingenerabilis, nec fieri possit nisi per creationem, ut dictum est 1. Phisicor. q. 3. non potest denominari genita, & sic relatè ad generationem non est subiectum denominationis: hoc enim est totum

compositum, quod verè est, & denominatur genitum. Queritur de subiecto inhesionis, an videlicèt actio generativa inhæreat materiæ nudæ, an verò materiæ præhabenti formam substantialem, ita ut generatio ut actio recipiatur in toto composito. Prima sententia docet, generationem recipi in toto composito; unde materia prima est subiectum commune utriusque termino mutationis de non esse ad esse, sed non est subiectum immediatè receptivum generationis.

Probat. Quia generatio substantialis est verum accidens de prædicamento actionis; sed nullum accidens recipitur immediatè in materia prima, sed in toto composito: ergo generatio substantialis subiectatur in toto composito. Minor probatur varijs auctoritatibus Divi Thomæ, sed præcipuè 1. p. q. 76. art. 6. ubi docet, impossibile esse, quod aliqua dispositio media accidentalis cadat inter materiam, & formam substantialem. Secundo probatur minor. Nam esse accidentis est *in esse*, quia recipit esse à subiecto, cui inhæret; sed materia prima nuda non habet esse existentia iuxta doctrinam D. Thomæ: ergo accidens non potest immediatè inhære materiæ. Tertio. Forma substantialis est actus primus materiæ: ergo non supponit in materia actualitatem ullam accidentis, & sic informat materiam ante omnia accidentia.

Secunda sententia tenens, dari formam substantialem corporeitate, docet generationem recipi in composito ex materia, & illa forma. Ita Avicena, & B. Albertus, necnon Scotista admittentes in viventibus formam corporeitatis. De forma ista corporeitatis egimus 1. Physic. q. 15. ubi ex P. Augustino, D. Thoma, & B. Egidio probatum est, non dari talem formam in viventibus: quare argumenta inde desumpta pro questione presenti nihil nobis probant, quod non solvatur ex dictis quest. cit.

Tertia sententia docet, materiam primam esse subiectum immediate receptivum generationis. Ita omnes Thomista, exceptis Banes, Ioanne à S. Thoma, & alijs paucis, qui sunt pro prima sententia. Ex DD. Societatis Toletus, Conimbricenses, Rubio, & alij. Ex nostris Venetus, & alij, quos sequitur Villanova in presenti. Doctores huius sententiae diversimodè illam defendunt, nam Rubius admittit, generationem esse accidens viale, quod ordine executionis præcedit sine inconvenienti formam substantialem. Complutenses dicunt, generationem (vt actio est) non differre ab alteratione, & sic esse accidens receptivum in toto composito corrumpendo: attamen, vt est mutatio, & acquisitio instantanea formae substantialis, sic est modus substantialis, & recipitur in sola ma-


teria: Hunc modum dicendi videtur amplecti Prado in presenti. Quidquid sit de his dicendi modis. Nostra sententia tenet, generationem recipi immediate in materia prima. Ita expressè Philosophus in presenti text. 24. quem uniformiter exponunt D. Thomas, & B. Egidius. Nec Thomista in hanc sententiam inclinantur, nisi propter expressa testimonia Divi Thomae. Dicit enim in 2. Sent. dist. 12. q. 1. art. 5. *Quod sicut in primo de generatione dicitur, materia est immediate subiectum generationis, & corruptionis.* Et in 3. dist. 21. q. 1. art. 3. ad 5. dicit: *Sciendum est, quod sicut generari, & corrumpi est compositi, quamvis subiectum generationis, & corruptionis sit materia.* Idem docet 1. p. q. 45. art. 2. ad 2. & 8. Metaph. lect. 1. & alibi sæpè. Hoc videtur insinuare P. Augustinus 12. Confess. cap. 6. dicens de sublunariibus: *Eorum transitum de forma in formam per informe quiddam fieri suspicatus sum.* En generatio, quae est transitus de forma in formam, fit per informe illud, quod est materia prima nuda in sensu Augustini: ergo de mente illius illud informe est subiectum immediatum transitus, & generationis.

Si quæ in hoc difficultas apparet, illa est tantum apud Thomistas illos, & Doctores, qui censent, generationem esse accidens de prædicamento actionis. At in nostra

nostra sententia, quæ habetur 3. Physic. q. 2. generatio substantialis secundum se sumpta non est entitas, aut modus distinctus à termino, sed est ipsa forma substantialis cum habitudine ad agens; sed materia prima nuda est subiectum immediatum formae substantialis genitæ dicentis habitudinem ad generationem: ergo materia in nostris principijs est sine vlla difficultate subiectum generationis. Si tamen sumitur generatio, vt includit alterationem, sic est accidens, & actio stricta de prædicamento actionis. Ceterum generatio hoc modo finitur, quando finitur alteratio; alteratio autem finitur ante instans generationis, & in ultimo esse compositi corrumpendi, ubi subiectionatur. Cumque in instanti generationis nulla sit alteratio, sed terminus illius; ideo generatio in illo instanti non includit alterationem, nec dicit aliud, quam formam substantialem cum habitudine ad agens: totum hoc sine inconvenienti recipitur in sola materia.

Fundamenta primæ sententiæ vrgent Doctores tenentes, generationem substantialem esse accidens, & veram actionem de prædicamento actionis: ceterum contra nos nihil probatur, & ideo Magister Prado Dominicus, vt evadat difficultatem in presenti q. 7. §. 3. n. 22. docet, generationem substantialem esse quid substantiale imperfectum, & modale. Hoc probat, quia motus, & mutatio reducuntur ad genus sui termini, sicut imperfectum ad perfectum: ergo sicut alteratio reducitur ad qualitatem, ita generatio substantialis ad substantiam. Quod confirmat ex D. Thoma 3. Physic. lect. 5. ubi ait: *Motus ponitur per reductionem in illo genere, quod terminat motum, sicut imperfectum reducitur ad perfectum.* Hæc vera sunt, & pro nostra sententia in presenti: sed confirmant etiam, quæ diximus 3. Physic. q. 2.

de indistinctione actionis ad terminum.



QVÆSTIO II.

An in generatione fiat resolutio vsque ad materiam primam?

§. I.

Explicatur ratio dubitandi, & sententia referuntur.



Compositum substantiale tunc resoluitur, quando corrumpitur; corrumpitur autem, quando materia deperdit unam formam substantialem, & de novo acquirit alteram. Sic contingit, dum moritur homo, deperdit materia formam viventis, & denud recipit formam cadaveris. In hoc transitu de forma in formam subiectum transiens est materia, quæ à principio mundi existit sub diversis formis substantialibus, quas variat continua, & successiva corruptione, & generatione sublunarium. Queritur, an ex omnibus earibus, quæ erant in composito corrupto, transeat sola materia ad novum compositum generatum? An verò cum materia transeat aliquid sub-

stantiale, vel accidentale, quod prius fuerit in composito corrupto? Si primum, datur resolutio vsque ad materiam primam: secus si cum materia transit ad novum genitum aliquid substantiale, vel accidentale, quod fuerit in composito resolutio.

Observat Prado 1. de Generat. q. 12. quod decisio huius questionis pendet ex triplici alia questione. Prima est de forma substantiali corporeitatis, quam aliqui defendunt coævam materiae, alij necessariam saltèm in viventibus, alij saltèm in hominibus. Doctores isti negant fieri resolutionem vsque ad materiam primam, nam dicunt, quod, dissoluto precedenti composito, transit ad novum genitum non solum nova materia, sed etiam forma corporeitatis, quæ erat in corrupto. Contra hanc sententiam disputavimus 1.

Phy-

QVÆST.

II. §. I.

Physic. q. 15. vbi probatum est de mente P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, non dari talem formam corporeitatis, nec esse in composito substantiali, nisi unicam formam, à qua materia recipit speciem. Quare ex ibi dictis nobis certissimam est, quod in resolutione compositi substantialis nihil substantiale transit cum materia ad compositum denud generatum.

Restat ergo questio de accidentibus, quæ erant in corrupto, an aliquod eorum transeat cum materia ad novum compositum substantiale. De Hoc est duplex questio, una specialis de quantitate, quam multi dicunt recipi in sola materia prima. Quare dissoluto composito, & manente materia prima, debet manere quantitas propria materiae, & cum illa transire ad novum compositum substantiale. Altera questio est de qualitatibus disponentibus materiam ad novam generationem; nam ista iuxta plures Doctores non recipiuntur in composito corrupendo, sed in materia illius, quam disponent ad novam formam: ergo cum in resolutione compositi maneat materia, quæ subiectum est accidentium disponentium ad novam formam, transit materia cum eisdem accidentibus ad novum compositum, & sic non fit resolutio vsque ad materiam primam. Hac ratio dubitandi non habet locum in nostra sententia, si vera

sunt, quæ diximus lib. 2. Physic. q. 8. vbi de mente nostrorum Doctorum probatum est, quod sola materia non est subiectum alicuius accidentis, sed totum compositum substantiale est causa materialis receptiva quantitatis, & qualitatum disponentium ad novam generationem.

2 His suppositis, nulla videtur restare questio in presenti, si stemus doctrinæ Prado, & aliorum Thomistarum, qui, ut probent dari resolutionem vsque ad materiam primam, & nihil substantiale, vel accidentale, quod erat in corrupto, transire cum materia ad novum genitum, satis eis videtur persuadere, nullam esse formam corporeitatis, aut pluralitatem formarum in composito; nullumque accidens recipi in sola materia prima. Quod breviter, & quasi palmariter demonstratur à Prado vbi supra sic. Si aliquid transiret cum materia, illud esset substantiale, vel accidentale: sed non transit aliquid substantiale, quia in corrupto præter materiam non erat nisi unica forma substantialis, & hæc separata est per corruptionem. Non etiam aliquid accidentale, quia omnia accidentia subiectantur in toto composito iam destructo; & per destructionem subiecti pereunt accidentia, nisi divinitus conserventur, ut in Eucharistia: ergo ex his, quæ erant in corrupto, nihil transit ad novum genitum nisi sola materia.

Lll 3

Hæc

Hæc ratio, quæ videtur aliquibus demonstrativa, debilis est in principijs nostris, datis 2. Physic. q. 8. ubi probatum est, quoddam licet accidentia non recipiantur in sola materia prima, sed in materia præhabente formam substantialem, transeunt tamen cum materia ad novum genitum substantiale aliqua accidentia compositi corrupti. Et licet sententia ista loco cit. sufficienter probata sit, placet tamen eam iterum explicare in præfenti; pro quo prius aliorum sententias proponemus cum suis fundamentis.

3. Sententia Thomistarum docet, nullum accidens, quod fuerit in composito destructo, perseverare in genito, quare per corruptionem sic resolutio usque ad materiam primam. Ita D. Thomas 2. de Generat. lect. 4. Et lib. 1. lect. 10. dicit: *Dicendum, quod non manet idem numero accidens in corrupto, & in genito, sed id quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subiecti, recedente forma, & advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem.* Idem habet quodlib. 1. art. 6. ubi dicit: *Formæ verò accidentales, quæ prius inerant disponentes ad animam, corrumpuntur quidem non per se, sed per accidens ad corruptionem subiecti: unde manent eadem specie, sed non eadem numero: sicut etiam contingit circa dispositiones formarum elementarium, quæ primitus materia*

advenire apparent. Vide alias auctoritates 2. Physic. q. 8. ubi de mente D. Thomæ disputavimus. Videtur etiam sententia Aristotelis hic dissidentis sic generationem: Mutatio totius in totum, nullo sensibili manente. Hic Interpretes per *ly sensibili* intelligunt accidentia: ergo iuxta Aristotelem nullum accidens, quod fuit in corrupto, conservatur in genito.

A ratione probatur sic ab illustri Palanco. Accidentia corrupti recipiuntur non in sola materia prima, sed in composito, ut multis probat 1. de Generat. q. 4. sed destructo subiecto, in quo recipiuntur accidentia, non possunt ipsa naturaliter permanere: ergo in generatione substantiali, pro qua destruitur compositum præcedens, nullum permanet accidens ex his, quæ in ipso erant. Probatur minor primò. Quia accidentia naturaliter dependent à subiecto: ergo illo destructo, non possunt nisi per miraculum permanere. Secundò, quia iuxta communem sententiam accidentia non possunt migrare de subiecto in subiectum: ergo destructo vno subiecto, in quo erant, non possunt eadem numero permanere in alio. Tertio, accidentia individuantur à subiecto, unde ex distinctione subiecti inferitur distinctio individualis, & numerica accidentis; sed si accidentia corrupti transirent ad genitum, iam reciperentur in diverso subiecto:

subiecto: ergo essent numerice distincta, nec possunt eadem numero transire.

4. Si dicas, compositum genitum esse entitative distinctum à corrupto, sed non in ratione subiecti accidentium, quia sic est idem æquivalenter in munere sustentandi accidentia. Si hoc dicas, contra est. Primò, quia ex hoc ad summum probatur, quod in genito persistant accidentia æquivalentia, seu eadem in munere cum accidentibus corrupti, quia hoc modo tantum persistit idem subiectum; non autem eadem numero entitative, quia sic non perseverat idem subiectum, ut fatetur solutio. Secundò, licet possit vna causa efficiens æquivalere alteri in ordine ad eundem numero effectum, si illum præcontineat; non tamen vna causa materialis potest pro alia substitui: ergo &c. Probatur antecedens. Vna causa formalis specificans non potest substitui pro alia in ordine ad præstandam eandem speciem; unde repugnat, quod idem specificè actus, nunc specificetur ab vno obiecto, postea ab alio specie distincto: ergo nec vna causa materialis potest substitui pro alia ad præstandam eandem individuationem.

Tertio, quia nec vna causa efficiens eiusdem ordinis potest substitui pro alia ad eundem numero effectum producendum, quia nequit eundem numero continere, ut

dicitur à Thomistis 2. Physic. ergo multo minus vna causa materialis, quæ est magis intrinseca, & individuans, poterit substitui pro alia ad sustentandum idem numero accidens. Quarto, quia nec vna materia prima potest substituere pro alia ad eandem animam etiam rationalem sustentandam; aliàs posset anima rationalis naturaliter migrare de subiecto in subiectum, quod est hereticum; sed magis dependet accidens à subiecto, quam anima rationalis à materia: ergo &c. Quintò, quia aliàs nulla esset ratio, cur accidentia corrumperentur, quia nunquam deest subiectum proximum loco, & tempore, quod substitui possit ad ea sustentanda; unde expulsum ab vno, sustentaretur ab alio: hoc est ridiculum: ergo idem.

Sextò, & à priori, quia accidens, dum recipitur in vno subiecto, limitatur ab illo: ergo manet determinatum, & particularizatum ad illud, non verò universaliter potens perficere alia subiecta; aliàs albedo existens in subiecto determinato, non esset determinata, & particulariter albedo illius subiecti tantum, sed esset ex se universalis quædam, & illimitata albedo omnium dealbabilium, quod dici non potest: ergo accidens receptum in subiecto, est ita determinatum ad illud, ut pro illo non possit substitui aliud subiectum sustentans. Tandem, S. Augustinus

gustius lib. 5. contra Iulianam cap. 14. docet, accidentia non posse migrare de subiecto in subiectum: quod esset falsum, si pro vno subiecto posset alterum substitui.

5. Si dicas secundò, quòd, licet accidens non possit migrare de subiecto in subiectum adæquatè distinctum, benè tamèn, si subiectum solùm inadæquatè distinguitur. Ità contingit in casu questionis, nam corruptum, & genitum conveniunt in materia, & solùm differunt quantum ad formam substantialem. Si hoc dicas, contrà est. Nam si sufficeret perseverantia subiecti inadæquati, nunquàm ad corruptionem subiecti corrumpetur accidens in illo receptum, quia nunquàm subiectum adæquatè destruitur, sed manet quoad materiam, aliàs annihilaretur; sed evidens est, accidentia aliquando corrumpi per defectum subiecti, à quo dependent in esse, & conservari: ergo ut perseveret accidens, non sufficit manere subiectum inadæquatum.

Secundò, accidens non individuatur immediatè à subiecto inadæquato, nec immediatè in eo recipitur, sed in subiecto adæquato: ergo ut perseveret idem accidens, nihil prodest, quòd perseveret idem subiectum inadæquatum. Tertio, quia si sufficeret ad identitatem accidentis, identitas subiecti inadæquati, etiam ad dis-

inctionem sufficeret distinctio subiecti inadæquati, nempe formæ substantialis, quæ variatur: ergo accidens ratione materiæ esset idem, & simul diversum ratione formæ; quare esset simul idem numerò, & diversum, quod implicat.

6. Contraria sententia docetur ab eis DD. qui tenent, accidentia materialia compositi recipi in sola materia prima; nam cum ea transeunt ad novum compositum generatum. Ita Averroes lib. 1. de substantia orbis, & 1. Physicor. comment. 63. ubi docet, esse in materia dimensiones indeterminatas, illi coævas, quæ sunt effectus quantitatis. Eandem sententiam quoad quantitatem, & alia accidentia communia, tenent Simplicius, N. Gregorius, Aureolus, Marsilius, & alij, quos citat, & sequitur Suavius in Metaph. disp. 14. sect. 3. cum quo ferè omnes DD. Societatis. Citatur etiam ab eis B. Ægidius 7. Metaph. q. 4. de cuius mente infra.

Probatum primò, ex Aristot. hic textu 24. ubi docet, quòd in corporibus, quæ ad invicem transmuntantur, quandoque manet eadem passio in genito, & corrupto: item non corrumpuntur omnia accidentia, sed permanent in genito illa, quibus assimilatur corrupto. Huius exemplum ponit in aqua, generata ex aere, in qua permanent humiditas, & transparentia aeris. Huic auctoritati respondet D. Thomas lib,

lib. 1. de generat. lect. 10. quòd non manent eadem accidentia numero, sed specie. Quod repetit S. Doctor lib. 2. lect. 4. Hinc patet, quòd D. Thomas in Comment. textus Aristotelis fuit in ea sententia, quam nunc defendit Schola Thomistica. Nec audiendus est Raphael Averfa quæst. 37. sect. 6. dicens, ista commentaria non esse magnæ auctoritatis, quia vel dubitatur, an sint D. Thomæ, vel ab eo iuniore adhuc fuerunt dictata. Idem alijs verbis sensit Caberus: sed Prado ubi suprà corrigit sic sentientes, & quasi detrahentes auctoritati tanti Doctoris.

Rursus probatur ex Aristot. 7. Methaph. textu 8. ubi indicat quantitatem primò inesse materiæ. Et 3. Physic. dicit quantitatem esse proprietatem materiæ. Et 2. de Generat. textu 6. dicit, quòd dispositiones ad formam substantialem, proximè versantur circa materiam. Ergo cum in transitu de corruptione ad generationem conservetur eadem materia, permanet in novo genito quantitas materiæ, quæ erat in corrupto, nec non manent ea accidentia, quæ circa materiam proximè versabantur.

7. A ratione probatur hæc sententia eis argumentis, quibus suadetur, quantitatem, & accidentia materialia recipi in sola materia: quæ licet pertineant ad questionem de causa materiali accidentium, quam latè versavimus,

lib. 2. Physicor. concernunt formaliter, ut nec Thomistæ aliter probent à ratione, nisi ostendendo subiectam accidentium esse totum compositum. Iam verò quòd sit sola materia, probatur sic. Sola materia sufficit, ut sit subiectum formæ substantialis: ergo & formæ accidentalis; nam nihil amplius requiritur ad unum, quàm ad aliud. Confirmatur. Quantitas in homine non subiectatur in anima, quæ spiritualis est: nec item in toto composito ex corpore & anima, quia repugnat uniri toti composito, & non uniri partibus; cum compositum sit indistinctum à partibus unitis. At quantitas non potest inherere animæ spirituali, adhuc ut unitæ materiæ, quia sic etiam spiritualis est: ergo quantitas, & alia accidentia corporea non possunt in homine afficere totum compositum, sed solam materiam.

Probatum secundò à ratione. Omne agens naturale corporeum petit præsupponere materiam quantam, & extensam: ergo ante introductionem formæ in materia, iam in sola materia subiectatur quantitas. Antecedens patet, quia agens corporeum, in tantum agit, in quantum tangit, & agit tangendo materiam; eam autem tangere non potest nisi extensam & quantam. Confirmatur. Agens solùm inducit formam in propriam materiam, & determinatam ad

nenſis in 2. diſt. 12. q. 2. art. 1. N. Venetus. 5. Phyiic. textu 18. N. Gerardus & alij. Hinc apud nos non valet illa conſequentia, quã demonſtrativam putant RR. nempe *omnia accidentia recipiuntur in toto composito: ergo deſtructo composito, pereunt omnia accidentia.* Nam vt docet B. Ægid. tract. de gradibus formarum p. 2. cap. 5. & 12. ſubiectum accidentium materialium eſt materia vt habens formam ſubſtantialem: non quodd forma ſit ratio recipiendi accidentia; ſed quia eſt actus primus materiæ, debet præſupponi in materia ordine cauſalitatís, & perfectionis.

Ante probationem ſententiæ noſtræ, eam explicamus ſic. Illa accidentia, quæ vel ſunt proprietates materiæ, vt quantitas interminata; vel debentur materiæ ratione formæ ſubſtantialis communis, vt extenſio determinata, calor, &c. Iſta recipiuntur in materia, non nuda, ſed præhabente formam ſubſtantialem ſub eo gradu communi. En recipiuntur in toto composito, & non in materia nuda. Caterùm, quia forma ſubſtantialis non eſt ratio recipiendi, ſed conditio, vel expeditio potentiæ materiæ, requiſita ordine cauſalitatís & perfectionis; idem mutata hac forma, ſi tamen altera ſuccedat in eodem gradu, manent in materia eadem accidentia corrupti: quia per mutationem formæ

non mutatur ſubiectam accidentium, ſed ſola conditio, & expeditio recipiendi, ſubſtituiturque altera, quæ tantum valet, quantum prima. Vide lib. 1. de Anima q. 5. num. 25. & 26. vbi Thomiſtæ docent idem de ſubiecto formæ ſubſtantialis.

Hęc ſententia, quæ expreſſa eſt in N. Ægidio, & infrà probabitur de mente P. Auguſt. traditur à Magiſtro Aſtudio in præſenti q. 2. vbi contendit eſſe expreſſam in D. Thoma quæſt. de Anima art. 9. & de Spiritualib. creatur. art. 3. & 1. p. q. 76. art. 6. Nec virget, quod obijcit Prado in contrarium, vt ſuadeat, quodd forma ſubſtantialis non eſt pura conditio, ſed ratio formalis recipiendi accidentia; eo quodd eſt ratio formalis exiſtentiæ materiæ, & totius compositi. Non virget, nam dato, formam ſubſtantialem eſſe rationem formalem exiſtendi, adhuc non convincitur intentum. Siquidem exiſtentiæ materiæ non eſt ratio formalis recipiendi, ſed conditio ad recipiendum: non enim accidentia recipiuntur in exiſtentiæ materiæ, ſed in materia exiſtente, ergo exiſtentiæ conditio eſt ad recipiendum, ſed non eſt cauſa receptiva accidentium, nec dat materiæ potentiam recipiendi, ſed tantum expedit, vt dicitur de exiſtentiæ cauſæ efficientis. Ergo quantumcumque forma ſubſtantialis ſit ratio formalis exiſtentiæ materiæ, &

com.

compositi, quod poterat diſputari; non inferitur, quodd ſit ratio formalis recipiendi accidentia. Quidquid ſit de probationibus Magiſtri Aſtudij.

11. Probatur ſententia noſtra integro opusculo 41. D. Thomæ, quod eſt de natura accidentis. Ibi propè medium diſtinguens formam generalem & communem, vt eſt forma inanimatorum, dans materiæ eſſe corporeum; & formam ſpecialem dantem materiæ eſſe perfectius, vt eſt forma omnis viventis: inde diſtinguit accidentia quæ ſequuntur materiam, & accidentia, quæ ſequuntur formam. Prima ſunt ea, quæ communia ſunt animatis, & inanimatis, vt quantitas, color, denſitas. Alia ſunt, quæ conveniunt ſolum materiæ habenti formam perfectam, vt organizatio viventium, calor intentus &c. De omnibus dicit ad eſſe materiæ, non nuda, ſed ſecundum actum illius compositi: & hæc eſt materia, in qua accidens habet eſſe. En accidentia omnia recipi in toto composito iuxta D. Thomam.

Sed loquendo infrà de primis accidentibus, ſequentibus materiam, dicit ſic: *Non enim pereunte re perfecta, perit ordo materiæ ad formam generalem: ſed potius per eam perficitur in eſſe actus, & idem in vivo, & mortuo quantitas diſcreta manet, & ſimilitèr albedo, & nigredo, & veſtigia vulnerum, quæ in quantitate recepta ſunt: nec eſt acci-*

dentium tranſitus propter hoc. Mallet enim origo, & radix accidentis, eadem materia in ordine ad formam generalem remanente, licet ſit tranſitus in eſſe actu. Hæc S. Doctor, qui contrarium ſtatuit de accidentibus ſecutis ad formam ſpecialem, vt quæ ſunt principia actionum vitalium; nam remota forma ſpeciali viventis, & poſita cadaverica, quæ eſt generalis, ſicùt corporea, non manent in cadavere potentiæ operandi vitalitèr, quæ erant in vivente. Vide dicta 2. Phyiic. q. 8. à n. 10. vbi de mente D. Thomæ diſputavimus: ſatis ſit in præſenti allegata autoritas, quæ in terminis continet ſententiam B. Ægidij, & Scholæ noſtræ.

12. Probatur ſecundò ex P. Auguſtino lib. 1. contra Adverſarium Legis cap. 10. vbi hoc egregium dat nobis teſtimonium, dicens: *Materia ignota eſt humanis ſenſibus, & vix utcumquè intelligitur, cum res in deterius commutatur (id eſt, quando corrumpuntur) tanquàm ei propinquet quidquam deformius, nec perveniat tamen ad illam informitatem quantumlacumque vel viſibilis remanens, vel intelligibilis ſpecies.* Ecce cum homo corrumpitur, & in deterius commutatur, recedente anima, advenit materiæ forma cadaverica, quæ eſt quali deformior ipſa informitate materiæ. At in iſta reſolutione dicit P. Auguſtinus, quodd materia non pervenit ad ſuam infor-

Mam 3

mitatem,

mitatem. Sed si tunc daretur resolutio usque ad materiam primam, materia perveniret ad suam nuditatem, & informitatem: ergo docet Augustinus, non resolvi compositum usque ad materiam primam.

Sed cur non? Respondet ibi S. Parens, quia remanet materia visibilis, nempe, per quantitatem extendentem, & colorem qualificantem, quo redditur materia visibilis: ergo idem non fit tunc resolutio compositi usque ad materiam informitatem, quia ex accidentibus hominis vivi manent cum materia in cadavere quantitas, color, & alia visibilia.

Dices cum Thomistis, manere materiam cum visibilibus, sed non cum eisdem, quæ habebat in vivente, sed cum alijs, quæ similia sunt. Contra: audi P. Augustinum Serm. 13. de Martyribus cap. 4. docentem, manere eadem visibilia. Dicit sic: *Anima deserente, iacet corpus cadaver, insunt membra, oculi, aures; sed hæ fenestrae sunt domus, habitator abscessit. Eodem autem fenestrae sunt, sive sit, sive non sit habitator in domo.* Et Serm. 243. de Tempor. cap. 2. *Oculi, etsi pateant, nihil vident. Adsunt aures, sed migravit auditor. Linguae organum manet, sed abscessit M-ficus, qui movebat.* Et Ser. 186. de Tempore: *Contingit, ut in corpore humano, imò de corpore aliquod præcidatur membrum, manus, digitus, pes:*

nunquid præcisum sequitur animam? Cum in corpore esset, vivebat; præcisum amittit vitam. Non dicit, amittit quantitatem, colorem, & alia accidentia communia, sed vitam, & ea accidentia specialia formæ viventis.

13. A ratione probatur conclusio nostra ex D. Thoma opusc. laud. sic. Quantitas dimensiva, color, cicatrices, & alia accidentia quæ sunt in homine vivente, conveniunt ei ratione materiæ, non nudæ, sed ut dicentis ordinem ad formam substantiæ corporeæ, vel ad animam sub gradu corporeitatis communis animatis, & inanimatis; sed recedente anima, non mutatur in materia ordo, quem dicit ad formam sub gradu corporeitatis: ergo tunc remanent eadem accidentia, non quidem in materia nuda, sed in composito ex materia & forma cadaverica. Consequentia patet, quia illa accidentia non possunt deficere, nisi defectu subjecti; subjectum autem est materia sub eo ordine: ergo si manet materia sub eo ordine, non deficit subjectum.

Maior est expressa in D. Thoma ubi supra, & ratione probatur. Nam ea accidentia, quæ communia sunt viventibus, & inanimatis, non possunt convenire materiæ nisi per formam sub gradu communis omnibus: gradus autem communis viventibus, & inanimatis, est gradus formæ substantiæ corporeæ;

corporeæ: ergo, illa accidentia, quæ non conveniunt materiæ nudæ, conveniunt materiæ ut dicenti ordinem ad formam sub gradu corporeo.

Minor principalis probatur. Ordo materiæ ad formam corpoream, non specificatur à tali forma in particulari, sed à gradu in communi: ergo quacumque forma particulari variata, dummodò subsistat gradus formæ corporeæ, manet idem ordo in materia, vel materia sub eodem ordine. Explicatur. Ordo ille materiæ, sicut omnes relationes, habet unitatem numericam à fundamento, & specificam à termino; & non à termino utcumque, sed formaliter, & sub ratione communi termini. At fundamentum illius ordinis est materia, quæ eadem est in mortuo, ac fuit in vivente: Rursus, ratio specificativa ordinis materiæ est gradus corporeitatis, qui est idem formaliter in forma cadaverica, ac in forma vitali: ergo ordo ille materiæ ad formam cadavericam est idem numericè, & specificè, ac fuit in vivente ad animam sub gradu corporis.

14. Probatur secundò à ratione: & quidem primò, quòd nullam accidens recipiatur in sola materia prima, imò nec quantitas, quæ vocatur corva materiæ. Nam vel ex materia, & quantitate unitis fit unum per se, vel fit unum per accidens. Non primum, quia ex sub-

stantia, & accidente non fit unum per se; quantitas accidens est, & materia substantia. Non etià secundum, nam si ex materia, & quantitate fit unum per accidens, ex materia habente quantitatem, & ex forma substantiali non fiet unum per se. Patet hoc, nam forma adveniens subjecto, quod est unum per accidens, non potest cum illo facere unum per se; sed forma substantialis adveniens materiæ, cum illa facit unum per se: ergo advenit materiæ nudæ, & non præhabenti quantitatem. Vide alias probationes lib. 2. Physic. q. 8. à num. 12.

Iam verò quòd forma substantialis præsupposita in materia ante omnia accidentia, non sit concausa receptiva, nec pars subjecti accidentium, sed pura conditio ad recipiendum, probatur contra Bañez, Prado, & alios RR. Thomistas. Quod non dat materiæ virtutem receptivam accidentium, sed plene eam supponit in materia, solum est conditio ad recipiendum, non autem concausa materialis. Sic, quia applicatio ignis ad stupam, supponit in igne adæquatam vim comburendi, idem est sola conditio, & non est partialis causa combustionis; sed forma nullam dat materiæ virtutem receptivam sed eam adæquatè supponit in materia: ergo solum est conditio, & expeditio potentiæ materiæ. Minor probatur: Nam materia non recipit

recipit à forma potentialitatem, sed actualitatem; sed vis receptiva est potentialis: ergo hæc tota supponitur in materia, nec potest illi venire à forma. Rursum. Materia prima est prima causa materialis, habens per identitatem virtutem receptivam, ut dictum est 2. Physic. q. 6. ergo nullam recipit à forma.

Confirmatur, & præcipuum contrariæ sententiæ fundamentum convellitur. Quod materia debeat prius compleri substantialiter, quam accidentaliter, probat, quod debeat prius recipere existentiam substantialem, quam accidentia: sed inde non probatur, quod accidentia recipiantur in existentia, vel quod existentia substantialis sit causa receptiva accidentium; vel quod ab existentia recipiat materia vim causandi materialiter accidentia; sed vice quod existentia sit complementum virtutis receptivæ; conditio, vel expeditio ad recipiendum: ergo quod materia debeat prius compleri per formam substantialem, quam recipere accidentalem; probat formam esse conditionem, complementum, vel expeditionem, non autem quod sit comparsialis causa receptiva accidentium.

15. Confirmatur secundò. Accidentia recipiantur in composito substantiali, sicut recipiuntur in supposito; sed ita recipiuntur in supposito, ut substantia non sit

causa receptiva, sed complementum, & conditio ad recipiendum; ergo ita recipiuntur in composito, ut forma substantialis sit complementum, & pura conditio. Maior patet ex doctrina Thomistarum, apud quos accidentia supponunt in materia formam substantialem, tum quia accidentia supponunt materiam prius completam in linea substantiæ; tum quia materia recipiendo accidentia, non recipit ab eis esse, sed potius dat eis; nec potest eis dare, nisi præsupponatur iam completa in suo esse substantiali. Rationes istæ æquè probant de substantia, per quam materia ultimò completur in genere substantiæ: ergo sicut accidentia debent recipi in composito, debeat & in supposito. Minor probatur primò generaliter de omni substantia, quæ est tantum complementum substantiæ ad recipienda accidentia, non autem partialis causa receptiva eorum, ut de existentia dictum est. Præterea. Substantia, & existentia nullam denominationem, aut effectum formalem recipiunt à quantitate, qualitate, & alijs accidentibus compositi substantialis: unde licet compositum dicatur extensum, calidum, &c. Secus de existentia, & substantia, quæ non suscipiunt tales denominationes. Tandem specialiter probatur de substantia humanitatis Christi Domini, quæ cum sit divina & immutabilis, non potest recipere

recipere accidentia humanitatis; potuit tamen complere humanitatem, ut reciperet accidentia, & sic facere quidquid faceret, si adesset substantia propria creata: ergo licet substantia sit conditio ad recipienda accidentia, non est partialis causa eorum receptiva.

Confirmatur tertio. Si forma substantialis esset partialis causa receptiva accidentium, daretur inter accidentia & formam mutua causalitas in eodem genere causæ; sed hæc est impossibilis etiam apud Thomistas: ergo impossibile est, quod forma sit partialis causa receptiva accidentium. Probatur maior. Accidentia materialia, quæ disponunt materiam ad receptionem formæ, pertinent ad genus causæ materialis, & se tenent ex parte subiecti receptivi, sicque sunt vera causa materialis formæ. Aliundè si forma ponitur susceptiva accidentium, erit causa materialis eorum: ergo forma, & illa accidentia mutuo se causabant in eodem genere causæ materialis, quod est impossibile.

Tandem, accidentia materialia compositi humani nullo modo possunt recipi in anima rationali: ergo taliter recipiuntur in composito humano, ut forma sit pura conditio ad recipiendum. Antecedens probatur. Anima rationalis in se est formaliter spiritualis, & sic impotens recipere acciden-

tia materialia: non enim potest extendi per quantitatem, nec reddi alba per albedinem, calida per calorem &c. Anima etiam ut eminenter corporea, est incapax eorum accidentium: nam perinde est esse eminenter corpoream, ac esse formaliter spiritualem: sed ut spiritualis est, incapax est eorum accidentium: ergo etiam ut eminenter corporea. Vergetur, quia in substantia divina idem est esse eminenter substantiam creatam, ac esse formaliter substantiam divinam; ideo quidquid repugnat substantiæ divinæ, ut divina est, repugnat etiam substantiæ divinæ, ut eminenter est substantia creata, ut supra dicebamus de impotentia recipiendi accidentia humanitatis: ergo &c. Tandem, quod anima adhuc reduplicativè ut unita corpori, non sit receptiva accidentium materialium, probatur. Subiectum incapax effectus formalis formæ, incapax est recipere formam; sed anima rationalis adhuc ut unita corpori, incapax est recipiendi effectum formalem quantitatis, & aliorum accidentium materialium: ergo etiam reduplicativè ut unita, non est receptiva accidentium. Prob. minor. Anima etiam ut unita, & informans, est indivisibilis, tota in toto corpore, & tota in qualibet parte; unde informat modo indivisibili, & inextenso; sed forma unita in-

divisibiliter, & inextensè, incapax est ut vnita, extensionis, & divisibilitatis, quæ sunt proprius effectus quantitatis: ergo &c.

§. III.

Expenduntur fundamēta vtriusque sententiæ.

16. **F**undamenta sententiæ Thomistarum posita à num. 3. suadent, quòd D. Thomas fuit eiusdem opinionis eis locis, quibus allegatur: cæterùm alibi quàm sæpè tenuit contrariam sententiã, ut vidimus 2. *Physic.* q. 8. quare pro vtraque parte adest auctoritas S. Doct. & sic ea sententiã debet prevalere, quæ vrgentioribus rationibus probetur. Pro nostra ultra rationes habemus auctoritatem P. August. nec vlla in contrarium vrget ratio, quæ nos removeat à tanti Doct. sententiã. Ad primam rationem Illustris. Palanco, desumptam ex diffinitione generationis tradita ab Aristot. nempe *Mutatio totius in totum, nulla sensibili manente*: respondemus, esse diminutam, nec ita tradi à Philosopho, qui addit *ut subjecto eodem*. Sic traditur ab Aristotele, ut distinguat generationem ab alteratione, & à simplici elementorum mixtione, in quibus manet idem totum substantiale secundum esse

sententiã: non enim corrumpitur lignum, dum ex frigido fit calidum; cæterùm in generatione corrumpitur compositum, & denuò aliud generatur, quod est diversum secundum essentiam. Hoc intendit Philosophus in diffinitione integra generationis: quæ si diminuta traderetur, ut nobis obicitur, corrigenda esset per auctoritatē P. August. dicentis, quòd in morte hominis materia non pervenit ad informitatem suam, sed remanet *visibilis*: ergo remanet in genito aliquod *sensibile* ex his, quæ fuerunt in corrupto.

Ad aliam rationem, ibidem positam, quæ potissima est, dicimus primò, quod licet accidentia non recipiantur in sola materia prima, ut defendimus cum Thomistis; non sequitur recipi in toto composito. Nam ut non recipiantur in sola materia, sufficit, quòd in ea præsupponant formam substantialem, ut complementum, & conditionem ad recipienda accidentia; sed inde non sequitur recipi in toto composito, ut de existentia & subsistentia dictum est. Præterea. Compositum dicit materiam & formam unitas, & æquè in recto, ut dicitur 1. *Physicor.* quæst. de distinctione totius à partibus simul sumptis, & unitis: sed in nostra sententiã accidentia non recipiuntur in materia & forma æquè in recto, sed in materia præhabente formam, quam dicit in obliquo: ergo ad-

missio

missio, quòd non recipiuntur in materia nuda; nobis non probatur, quòd recipiatur in toto composito.

17. Admissio tamen disputandi gratia, quòd accidentia recipiuntur in toto composito; distinguo *minorem*: sed destructo subjecto, in quo recipiuntur accidentia, non possunt ipsa naturaliter permanere; destructo *formaliter*, concedo *minorem*, destructo *materialiter*, & permanente *formaliter*, nego *minorem*, & consequentiam. Subjectum accidentiū materialium, quæ sequuntur materiam, est materia sub ordine ad formam generalem, communem animatis, & inanimatis, ut docet D. Thomas opusc. à nobis allegato: unde est compositum substantiale ex materia, & forma complete in ratione substantiæ corporeæ. Atqui hoc compositum in morte hominis, v. g. non destruitur *formaliter*, licet destruat *materialiter*: ergo accidentia propria huius compositi corporei debent permanere post mortem hominis. Probatur minor. Et quidem de destructione materialiter patet, quia compositum corporeum hominis viventis constituebatur per animam rationalem eminenter corpoream: ergo corruptio dissolvens unionem materiæ cum anima, destruit *materialiter* compositum corporeum, quod erat in homine vivente. Iam verò quòd non destruat *formaliter*, probatur. Nam vel corruptio causetur effi-

cienter à dispositionibus alterantibus, vel causetur formaliter per incompatibilitatē qualitatum alterantium cum qualitibus viventis; ista alteratio non pugnat cum homine, ut substantia corporea est, sed ut vivens est; & ideo privat vitam, sed non privat corporeitatem: ergo licet *indirectè*, & *materialiter* destruat hominem, ut substantia corporea est, non destruit *formaliter* huiusmodi substantiam corpoream.

Confirmatur. Anima rationalis præstabat in homine vivente gradum corporeitatis, ut eminenter corporea: ergo præstabat gradum illum, ut eminenter continens formam corporeitatis. si ibi adesset: ergo præstabat eundem gradum quem præstaret forma corporeitatis. Sed non eundem *materialiter*, quia anima, & forma corporeitatis sunt entitativè diversæ: ergo anima præstabat eundem gradum *formaliter*, quem præstaret forma corporeitatis, si adesset. Ergo compositum corporeum ex materia & anima erat distinctum *materialiter*, sed non *formaliter* à composito constante ex materia & forma corporeitatis, quam anima continebat eminenter. Sic dicendum de corporeitate, quam habet materia in homine vivente, & habet postea in homine mortuo. Corporeitas substantialis materiæ v. g. obliquæ est *materialiter* diversa, quia formæ illæ in gradu corporeitatis conveniunt sine vlla diversitate,

Non 2

que

que tantum desumitur ex alijs gradibus, & differentijs. Sic homo, & equus, non differunt formaliter in animalitate; differunt materialiter, ratione identitatis cum differentijs inæqualibus, & oppositis.

Contra hanc doctrinam non videntur probationes minoris, inducuntur à Palanco. Ad primam dicimus, accidentia naturaliter dependere à subiecto formaliter sumpto, secus à subiecto materialiter tali. Quare si Deus poneret in homine illam formam corpoream, quam anima continet eminenter; accidentia convenientia homini ut corporeo, eadem remanerent sine miraculo, nam mutaretur subiectum materialiter, sed non formaliter. Ad secundam dic, quod accidentia non possunt migrare de subiecto in subiectum formaliter. In casu nostro manentibus accidentibus in cadavere, vel non est transitus de subiecto in subiectum, ut expressè docet D. Thom. à nobis allegatus: vel subiectum variatur materialiter, sed non formaliter, ut probatum est. Ad tertiam dic, accidentia individuari à subiecto formaliter tali: & hoc idem est in vivente, & mortuo relatè ad quantitatem, colorem, & accidentia propria substantiæ corporeæ. Quod autem gradus corporis præstetur ab ista vel altera forma, sicut non diversificat materiam in ratione substantiæ corporeæ, ita non reddit diversum formaliter subiectum eo-

rum accidentium; & sic retinent eandem individuationem.

18. Solutio data num. 4. traditur à P. Hurtado, & alijs RR. coinciditque cum solutione à nobis data. Quare expendere oportet probationes in contrarium. Ad primam dic, quod non solum manent eadem accidentia æquivalenter, sed eadem entitativè. Ratio est, quia licet mutetur entitativè subiectum, ut est causa materialis accidentium formæ; non mutatur ut est subiectum accidentium materiæ. Ita D. Thomas num. 11. allegatus, ubi dicit de morte hominis, postquam manet quantitas, color, & alia accidentia, dicit sic. *Nec est accidentium transitus propter hoc. Manet enim origo & radix accidentis, eadem materia in ordine ad formam generalem remanente, licet sit transitus in esse actu.* Hinc fit, quod in morte hominis pereunt omnes potentia vitales, quia perit subiectum horum accidentium, nempe compositum vivens. Cæterum, quia non perit compositum illud ut corporeum, & per formam cadavericam substituitur materiæ idem gradus corporeitatis formaliter, licet sit diversus materialiter: idè manent eadem accidentia materialia non solum æquivalenter, sed entitativè & formaliter.

Ad secundam dic, quod in nostris principijs idem effectus potest contineri in duplici causa totali, ut diximus 2. Physic. q. 21. §.

Et

Et licet ibi dictum sit, quod non est eadem ratio de causa materiali, in quo genere duæ causæ materiales non possunt præstare eandem effectum. Hoc intè ligendum est de causis materialibus diversis formaliter in ratione causæ. In præsentem non mutatur formaliter causa materialis accidentis corporei, sed unice est duplex materialiter, & sic non inconvenit sustentare eandem accidentia, & præstare eandem individuationem. Exemplum de causa formali specificante actum, non est ad rem: nam si objecta specificantia differunt specificè, differunt formaliter. Secus in nostro casu, ubi subiectum quantitatis variatur tantum materialiter. Et instatur. Nam idem actus intellectus terminatus ad demonstrationem logicalem, non variat speciem, etiam si terminetur ad aliam demonstrationem eiusdem speciei. Sic etiam relatio paternitatis ad plures filios salvatur per ordinem ad quemlibet; quia licet in quolibet sit ratio terminandi materialiter diversa, est tamen formaliter una in omnibus. At ratio subiecti receptivi quantitatis est substantia completè corporea: ergo eum per quamcumque formam ita compleatur, variatis materialiter formis, manet idem subiectum formaliter. Ad tertiam dicimus, falsam esse in principijs nostris eam sententiam; quare inde nihil contra nos.

Ad quartam dic, hæreticum esse affirmare de facto animam rationalem migrare de subiecto in subiectum, quia transmigratio animarum primò asserta à Pythagoricis, & postea ab Hæreticis, in Concilio damnata est. At non est damnata sententia asserens possibilem eam migrationem. Et quidem si anima potest conservari separata ab omni materia, ut docet fides; multò facilius poterit sustentari in materia diversâ ab illa, quam primò informavit. Quidquid sit, paritas non est ad rem, quia duæ materiæ differunt formalitè in ratione subiecti animæ, & de una ad aliam fieret transitus, & migratio de subiecto in subiectum. Non sic in casu nostro, ubi est eadem materia cum eodem gradu formali corporeitatis: unde quantitas, color, & alia accidentia materialia, quæ manent in cadavere, non faciunt transitum, ut vidimus ex D. Thoma, nec mutant formalitè subiectum.

Ad quintam nego sequelam; quia in morte hominis verè pereunt potentia vitales, & illa accidentia, quæ petunt compositum vivens. Cæterum illa, quæ tantum petunt pro subiecto substantiam corpoream, ista manent, quia permanet in cadavere materia completa in ratione substantiæ corporeæ, ut dictum est. Ad sextam concesso antecedenti de limitatione accidentis ad determinatum subiectum, concesso etiam, non posse

recipi in alio subiecto; quod sit aliud formaliter; bene tamen, si sit diversum prius materialiter, ut contingit in casu nostro. Sic intellige auctoritatem P. Augustini nobis obiectam; eo maxime, quia de mente illius probatum est, manere in cadavere illam quantitatem, & organizationem, quæ fuit in homine vivo: ergo quia sentit. S. Doctor, non mutari per mortem subiectum formale eorum accidentium, nec dari migrationem de subiecto in subiectum formaliter. Secunda solutio, posita num. 15. non est conformis doctrinæ nostræ, & idem approbamus illius impugnationes.

19. Ad fundamenta secundæ sententiæ, posita num. 6. respondemus: & ad auctoritates Philosophi dicimus, primam ex textu 24. lib. 1. de Generat. esse pro nobis, nam ibi Philosophus agit de mutua corporum transmutatione, in qua permanent ea accidentia, in quibus genitum & corruptum assimulantur. Et licet D. Thomas in Cōment. illius textus tenuerit sententiam nobis contrariam, exponens Philosophum de unitate specificæ accidentium: alibi favet sententiæ nostræ, ut dictum est. Illa autem assertio de quantitate coæva materiæ, & dimensionibus indeterminatis, quas secum semper materia defert, non est contra nos, quia debet exponi, sicut auctoritas Aristot. 7. Metaph. text. 8. ubi indicat quantitatem primo in-

esse materiæ, & 3. Physic. ubi dicit, quantitatem esse proprietatem materiæ. Quantitas inest materiæ, non quiddam nudæ, sed præhabenti formam substantialem. Vocat autem Philosophus compositum substantiale nomine materiæ, quia talis putabatur, & vocabatur à Philosophis, cum quibus disputabat 7. Metaph. ut ibi advertit D. Thomas. Dicitur etiam quantitas proprietas materiæ, licet recipiatur in toto composito; sicut calor ignis dicitur proprietas formæ, etiam in toto composito recipiatur.

Ad tertiam auctoritatem Philosophi, quæ est de dispositionibus alterantibus materiam ad generationem, dicimus, materiam esse subiectum denominationis, quia illa sola disponitur ad novam formam. Cæterum non sola, sed ut præhabens formam substantialem, recipit dispositiones. Observa, quod hic q. 1. n. 11. in fine, & 2. Physic. q. 5. diximus, dispositiones prævias non existere in instanti generationis, sed in immediatè antecedenti, & relinque materiam sigillatam ad determinatam formam, vi cuius sigillationis dispositiones illæ causant, quando non existunt. Sic diximus, de mente Thomistarum, qui nullum accidens admittant in genito, quod fuerit in corrupto. At nunc loquentes iuxta nostram sententiam, dicimus, dispositiones illas prævias manere in genito. Nec sigillatio materiæ,

materiæ, quæ est effectus formalis earum dispositionum, manere potest sine eis dispositionibus, ut probatum est num. 8.

20. Hinc dicimus cum Philosopho, quod in transmutatione elementorum permanent in genito omnes qualitates symbolæ, quæ erant in corrupto. Contrarium docet sententia Thomistarum, quæ consequenter ad suam doctrinam dicit, quod in generatione hominis, in qua primò inducitur forma embryonis cum suis accidentibus; hæc cedit adveniente forma vegetativa, & tunc pereunt omnia embryonis accidentia. Similiter adveniente forma sensitiva, cedit forma vegetativa cum omnibus suis accidentibus. Tandem, dum infunditur anima rationalis, cedit anima sensitiva, & pereunt omnia illius accidentia. Non est difficultas in eo, quod adveniente forma perfectiore, cedat imperfectior, quia forma substantialis producit in instanti; cum fiat per mutationem instantaneam.

At difficultas est de accidentibus propriis formæ sensitivæ, quorum unum est organizatio, in qua elaboranda multos dies insumpit natura. Hæc organizatio, si perit in instanti infusionis animæ rationalis, dicendum est, quod in eo instanti nova efformatur propria animæ rationalis. A quo efformatur? Non à solo Deo, nam Deus solus creat animam, & illam in-

fundit corpori; sed non solus organizat, & disponit partes, quia hoc munus est generantis, & non Dei creantis. Restat, quod organizatio illa sit ab agente naturali. Sed quomodo fit in instanti, si agens naturale non potest agere nisi mediâ transmutatione, alteratione, & motu successivo? Rursus. Agens naturale non est validius in instanti generationis, ac fuit tempore antecedente; sed primam organizationem, deservientem formæ vegetativæ, & sensitivæ, efformavit successivè spatio plurium dierum; ergo non potest in unico instanti infusionis animæ rationalis formare novam organizationem perfectiorem præcedente. In nostris principiis permanet prima organizatio elaborata à natura: quia, licet cedat forma sensitiva per adventum animæ rationalis; materia recipiens animam eminentè sensitivam, est formaliter idem numero vivens, ac fuit sub forma sensitiva perperita: solùm est diversum vivens materialiter, quod non sufficit ad varianda accidentia propria illius numero viventis.

21. Ad rationes positas n. 7. dicimus, nullum accidens recipi in sola materia prima. Et licet attempta potentia receptiva materiæ, sola sufficiat recipere formam substantialem, & accidentalem, petit tamen accidentalis præsupponere in materia formam substantialem, quæ est actus primus materiæ, & sic

sic est conditio, & expeditio ad recipiendam formam accidentalem. Ad confirmationem dic, quod in homine quantitas subicitur, per hoc, quod recipiatur in materia præhabente animam rationalem. Nec idem quantitas illa recipitur in anima, quæ non præsupponitur ut subiectum quantitatis, sed ut conditio, & expeditio materiæ ad suscipiendam quantitatem.

Ad secundam rationem dic, quod quantitas compositi corrupti permanet in novo genito: quare semper manet materia tangibilis ab agente corporeo. Nec iudè sequitur, quantitatem recipi in materia nuda, sed præhabente formam substantialem, ut dictum est. Sic dicendum ad confirmationem, nam dispositiones præviæ, disponentes materiam ad novam formam,

manent in genito iuxta sententiam nostram; nec aliter possunt determinare materiam in instanti generationis ad hanc formam præ aliam, ut n. 8. probatum est.

Ad tertiam probationem desumptam ab experientia, qua videmus, post mortem hominis manere in cadavere plura accidentia, quæ fuerant in vivente: dicimus, argumentum esse pro nobis, & probate, quod resolutio non fit usque ad materiam primam. Cum hoc tamèn stat, ea accidentia non recipi in materia nuda, sed præhabente gradum corporeitatis ab aliqua forma; vel ut ait D. Thomas, recipiantur in materia, ut stat sub ordine ad formam generalem, ut vidimus ex S. Doctore. Vide

dicta 2. Physicor.

q. 8.

QUÆSTIO TERTIA.

An sit, & quid sit corruptio substantialis?

§. I.

Traditur definitio, & quedam dubia incidentia dissolvuntur.

DARI corruptionem substantialem certa, & ocularis experientia testatur. Probari potest cum eisdem rationibus, qui-

bus generatio substantialis: cum enim materia sublunaris sit capax omnium formarum, nec ullam habeat inamissibilitèr; idem unam habens, alias appetit ad sui conservationem, & perpetuitatem, quæ non stat sine continua successione genera-

QUÆST.

III. §. I.

generationum, & corruptionum.

Diffinitur corruptio ab Arist. 5. Physic. sic: *Est mutatio ex subiecto in non subiectum*. Eandem diffinitionem tradit P. Aug. lib. de Categor. cap. 21. dicens: *Ineritus est immutatio ex subiecto in non subiectum*. Sic debet diffiniri, quia omnes concipiunt corruptionem ut oppositam generationi, sed generatio est mutatio de non subiecto ad subiectum: ergo corruptio est mutatio de subiecto in non subiectum. Hæc verba idem valent, ac si dicas, generatio est mutatio de non esse ad esse; corruptio est mutatio de esse ad non esse. Quia tamèn dum corrumpitur lignum, & fit ignis, destruitur primum compositum ligni, quod erat subiectum accidentium suæ speciei, & transit ad non esse illius compositi; idem corruptio dicitur mutatio de subiecto in non subiectum.

Hinc colliges, corruptionem non bene diffiniri à P. Arriaga, & alijs RR. per hoc, quod sit *Destitutio rei in aliam*. Nam in mysterio Eucharistiæ per consecrationem definit substantia panis, & transit in carnem Christi, sicut vinum in sanguinem: & tamèn non est corruptio, sed *transsubstantiatio*, ut docet Tridentinum. Nec valet amplius aliorum diffinitio, nempe: *Destitutio entis dependentis à subiecto*. Nam si Deus annihilaret formam materialem, desineret ens dependens à subiecto: nec tamèn tunc esset corruptio, sed *annihila-*

tio. Sicut enim creatio differt à generatione per hoc, quod est actio plenè independens à subiecto præsupposito, ut diximus 1. Physic. q. 12. ita annihilatio est suspensio actionis conservatiæ independens à subiecto. Et quia nullum agens creatum potest efficere nisi dependentèr à subiecto præsupposito; idem nulla creatura potest creare, aut annihilare, sed tantum generare, aut corrumpere.

Pro maiori intelligentia Aristotelicæ diffinitionis, nota, quod corruptio simpliciter intelligitur de substantiali, in qua deperditur substantialis forma. At quia interdum pereunt formæ accidentales, manente composito substantiali; idem dicitur, tunc eas corrumpi, sed corruptio est talis *secundum quid*, quia plenè manet compositum substantiale, quod erat subiectum accidentium. Hinc corruptio accidentalis non est transitus de subiecto in non subiectum, sed est transitus subiecti de forma in formam accidentalem. Quæ hæc desideres de termino formali corruptionis, colliges ex dictis q. 1. n. 13. circa terminum generationis.

2. Quæres, an corruptio sit actio? Negat P. Suarius in Metaph. disp. 18. sect. 11. necnon Complutenses, quibus adhæret noster Villanova. Probatur. Nam omnis vera actio transiens est vera efficiens, & productio: ergo est fieri alicuius esse; sed corruptio non est

productio, nec fieri alicuius esse; ergo non est actio. Rursus. Sic se habet corruptio formæ, ac se haberet eius anihilatio; sed si forma deficeret per anihilationem, deficeret sine actione per solam suspensionem concursus: ergo corruptio non est actio, sed suspensio actionis. Contrariam sententiam tenent Caietanus, & Banez, quorum fundamentum est. Eadem actio, qua agens producit calorem in passo, ab eo expellit frigus; sed in quantum terminatur ad calorem, dicitur generatio; in quantum expellit frigus, dicitur corruptio: ergo corruptio est actio, imò eadem, ac generatio; quicquid sit, an terminetur primariò ad generationem, an ad corruptionem.

Magist. Ioannes à S. Thoma dicit, quòd corruptio non est actio adhuc mediata, sicut est actio generantis, quæ immediatè producit formam, & mediatè proprietates eius: nam, cum terminus corruptionis sit non esse formæ; hoc non esse non petit actionem effectivam adhuc mediatam. Est tamèn actio virtualitèr: nam qui facit aliquid impossibile cum alio, effectivè virtualitèr illud corrumpit. Non enim corrumpitur forma ex vi tantùm suspensionis concursus, sed ex vi impossibilitatis cum forma denuò genita: ergo actio denuò generans formam impossibilem cum alia, virtualitèr effectivè destruit præcedentem.

Hoc indicat D. Thomas 1. 2. q. 113. art. 6. ad 2. & in 2. dist. 34. q. 1. art. 2. ad 5. Et confirmatur ex B. Ægidio in 2. dist. 19. q. 1. art. 2. & ex DD. nostris infra allegandis, qui docent, unam formam alteram expellere in genere causæ efficientis: ergo actio generantis formam, mediatè efficientèr expellit aliam, quam corrumpit. Nec urgent fundamenta contraria, nam solùm probant, quòd corruptio non sit vera actio distincta à generatione, quia ut sic non habet terminum positivum: est tamèn actio indistincta, quæ primariò terminatur ad esse genitum, & secundariò ad non esse formæ, quam expellit. Ità corruptio clariùs differt ab anihilatione, quæ sit per meram suspensionem concursus.

3. Quæres secundò, an generatio, & corruptio sint duæ mutationes diversæ? Affirmant Thomistæ cum D. Thoma ubi supra, & q. 28. de Veritat. art. 1. Suarez, noster Villanova cum alijs communitèr. Probat, quia in generatione terminus à quo, & ad quem distinguitur à termino à quo, & ad quem corruptionis; sed mutationes distinguuntur per suos terminos: ergo generatio, & corruptio sunt mutationes distinctæ. Confirmatur, nam generatio est mutatio acquisitiva, corruptio est deperditiva: ergo sunt distinctæ. Quæres, an distinguantur realitèr? Affirmativè respondet N. Villa-

nov4

nova; & videtur sententia etiàm Thomistarum. Probat. Nam potest dari generatio sine corruptione, ut patet in generatione lucis, quæ non est corruptio alterius formæ, sed sola expulsio tenebrarum, quæ nihil sunt. Patet etiàm in prima productione elementorum, si fuit per educationem formarum; nam fuit generatio sine corruptione alicuius entis præsuppositi; sed quæ separantur, realitèr distinguuntur: ergo si datur generatio sine corruptione, sunt mutationes realitèr diversæ.

Contrarium videtur probari ex dictis. Nam generatio, & corruptio sunt eadem actio; sed actio non est duplex realitèr: ergo mutatio identificata cum illa actione non est duplex realitèr. Patet consequentia, quia ex identificatis non potest unū pluralitari, & aliud non. Confirmatur ex dictis 3. Physic. q. 1. §. 3. ubi probatèr est, quòd actio non differt à motu, si sumatur uniformitèr, in qua acceptione actio generativa est motus latus, vel mutatio: ergo si generatio, & corruptio sunt unica actio, sunt unica mutatio realitèr, & non duplex.

Nihilominus prima sententia est vetior, & nostris principijs conformior: nam motus, vel mutatio est indistincta à suo termino; sed terminus generationis est esse, terminus autèm corruptionis est non esse: ergo cum esse, & non esse differant realitèr, generatio, &

corruptio sunt mutationes realitèr distinctæ. Nec urget fundamentum contrarium, quia terminus corruptionis sufficiens est ad diversificandam mutationem, sed non ad terminandam actionem distinctam. Omnis enim actio est factiva alicuius esse; mutatio autèm non petit terminari ad esse, cum possit terminari ad non esse, ut de corruptione dictum est: ergo licèt non esse sit terminus sufficiens ad diversificandas mutationes, secùs ad actiones. Identitas actionis cum mutatione est talis, qualem diximus inter essentiam physicam, & metaphysicam hominis; cum tamèn essentia physica sit divisibilis in corpus, & animam; essentia autèm metaphysica, nempe animal rationale, sit realitèr indivisibilis. Dicimus, actionem, & mutationem, si uniformitèr sumantur, esse duas, & unicam: sunt duæ in ratione mutationis, quia termini duo sunt, & realitèr distincti. Sunt unū in ratione actionis, quia non est nisi unicus terminus actionis, ut actio est.

§. II.

Explicatur, quomodo, & qualiter generatio unius est corruptio alterius.

Philosophus hic textu 17. & 3. Physic. textu 73. docet, quòd Generatio unius est corruptio alterius. Hoc verissimum est

in eis formis, quæ habent contrarium, sed non de formis intentionalibus, quæ nullam habent contrarietatem: & idè generatur lux sine corruptione alicuius entis; etiã generantur species intentionales deservientes sensibus internis, & externis: nec tamèn aliqua intervenit corruptio in huiusmodi generationibus, quia formæ genitæ non habent contrarium, nec sunt per transmutationem, aut alterationem. At reliquæ formæ sive substantiales, sive accidentales, sunt per generationem media alteratione contrariarum qualitaturn, quæ sicut disponit materiam ad receptionem novæ formæ, eadè alteratione dissolvitur vniõ formæ substantialis præcedentis. Id ipsum contingit composito, dum ab agente extrinseco redditur calidum, nam agens introducens calorem, eadè actione expellit frigus. Quæritur, an generatio vnius sit identicè, & formalitèr corruptio alterius?

Dicimus primò. Si generatio, & corruptio accipiuntur in ratione actionis, generatio vnius est identicè, & formalitèr corruptio alterius. Ità Thomistæ communitèr cum D. Thoma q. 28. de Verit. art. 6. ad ultimum, dicente: *Generatio vnius dicitur à Philosopho corruptio alterius per concomitantiam, quia de necessitate sunt simul; vel propter unitatem motus, qui ad has duas mutationes terminatur.*

Eandem sententiam tenent quotquot asserunt, corruptionem non esse actionem distinctam à generatione. Et probatur. Nam vna actio positiva est generativa vnius, & virtualitèr destructiva alterius, vel mediatè, vt supra diximus ex B. Ægidio; sed si actio est vnica in generatione, & corruptione, non differunt in ratione actionis: ergo sic loquendo, generatio vnius est identicè, & formalitèr corruptio alterius. Quòd si à D. Thoma dicitur, esse idem *per concomitantiam*, hoc intelligendum est de generatione, & corruptione, vt mutationes sunt.

5. Dicimus secundò, loquendo de generatione, & corruptione in ratione mutationis, generatio vnius non est formalitèr, & identicè corruptio alterius, sed solum per concomitantiam. Ità Philosophi omnes communitèr, vt testatur Rubio in præsent. q. 3. tract. 2. Probatur ex dictis. Nam sunt duæ mutationes habentes terminos realitèr distinctos, & in se sunt realitèr diversæ: ergo in sensu formali generatio vnius non est corruptio alterius. Iam verò quòd vna mutatio naturalitèr comitetur aliam, suadetur, ex quo materia non potest esse in rerum natura sine aliqua forma; nec potest naturalitèr duas formas simul recipere: ergo nec potest naturalitèr perdere vnã, quin alteram recipiat; nec denuò ex materia potest vna genera-

generari, nisi præcedens corrumpatur.

Notandum tamèn, quòd, licèt ad corruptionem formæ semper sequatur generatio alterius; non tamèn ad generationem vnius formæ sequitur semper corruptio alterius. Nam in morte hominis generatur forma cadaverica, nec tamèn corrumpitur anima rationalis, quæ immortalis est, & manet separata à corpore. D. Thomas 12. Metaph. lect. 3. contendit, Aristotelem agnovisse veritatem istam, ibi text. 17. Et P. Augustinus referens opinionem eorum, qui dixerunt, mortem non esse corruptionem, sed discordiam, & dissolutionem partium compositi viventis, docet, hanc opinionem esse veram de morte hominis, sed non de reliquis, vbi perit forma separata à materia. Dicit sic lib. contra Felician. cap. 16. *Quidam sanè communem mortem etiã hoc pacto diffiniunt, dicentes, nihil aliud hoc esse, quàm cum diversarum rerum consensu vitam facientium velut per dissidium quoddam ab invicem fuerit facta dissensio. Hæc si hominis mors est, quæ non consumit iuncta, sed dividit, cum origini vtrumque refertur.*

Objicies. Si semper ad corruptionem vnius sequeretur corruptio alterius; mundus semper haberet eundem numerum individuorum, nam vno corrupto aliud succederet; sed licèt mundus semper ab

initio habuerit easdem species sublunarium, non tamèn semper habet eundem numerum individuorum, vt experientia comprobatur: ergo falsum est, quòd generatio vnius sit concomitantèr corruptio alterius. Respondetur eum Toletò, quòd non semper est idem numerus individuorum, quia accidit, materias multorum effici vnã; & vnica materiam fieri plures per divisionem. Sic contingit, cum ex vno cadavere multi vermes generantur: nam tunc partitur materia, & generantur plura individua vermium, quarum formæ recipiuntur in diversis portionibus materiæ. E contra multa in vnum coniunguntur, quando nutritur homo, & varia alimenta convertit in propriam substantiam. Ab ista divisione, vel reunionem portionum materiæ, sumitur maior, vel minor numerus individuorum sublunarium.

6. Quæres secundò, an generatio, & corruptio habeant virtutum ordinem prioris, & posterioris? Prima sententia negat, quia corruptio nullo modo est prior generatione, sed semper posterior. Probatur. Nam vna forma expellit aliam ratione incompatibilitatis cum illa, & idè illa expellitur, quia introducitur altera: ergo prius est in omni genere causæ generatio formæ, quàm corruptio alterius. Secundò, expulsio formæ corruptæ est effectus secundarius

formæ, quæ generatur; sed implicat, quoddam effectus secundarius sit ante primarium: ergo corruptio formæ nullo modo præcedit generationem, sed subsequitur. Ità Suárez disp. 27. Metaph. sect. 11. n. 21. Eum sequuntur Hurtado, & Arriaga, ac communiter DD. Societatis.

Addit Arriaga disp. 8. Physicæ sect. 4. quoddam causalitas, qua forma expellit sibi contrariam, non est ipsa forma expellens, nec forma expulsa: nam illæ duæ formæ possunt divinitus esse simul; causalitas autem, & forma expulsa nec divinitus possunt simul esse. Est ergo causalitas expulsiōnis antiquæ formæ actus divinæ voluntatis, quo attendendo ad contrarietatem novæ formæ cum præcedente, & vili existentia novæ, vult cessare à conservatione antiquæ. Subscribunt alij RR. dicentes, quoddam non est alius modus, quo vna forma expellat aliam, nisi moraliter exigendo à Deo, ut suspendat concursum, quo formam antiquam conservabat.

Secunda sententia per oppositum docet, corruptionem substantialem esse omnibus modis priorem. Ità Arriaga, & Cabero, citati à Prado hic. Probat, quia forma substantialis non perit immediate per introductionem formæ novæ, sed per ablationem dispositionum, quibus conservabatur; sed prius auferantur dispositiones

formæ præcedentis, quam introducatur nova forma: ergo prius est corruptio vnius formæ, quam generatio alterius. Addunt DD. isti, non esse idem dicendum de formis accidentalibus, quia istæ non perunt dispositiones contrarias, præparantes subiectum, ut introducantur.

7 Communis sententia Thomistarum, quam P. Rubio hic tract. 2. q. 5. dicit communem in Schola, & veram, docet, quoddam in genere causæ materialis corruptio est prior generatione: ceterum in genere causæ finalis, efficientis, & formalis, generatio est prior; & idem simpliciter, & absolute generatio est prior corruptione. Eandem sententiam tenet noster Villanova cum B. Aegidio in 2. Sent. dist. 19. q. 1. art. 1. docens, quoddam ex parte passivi prior est corruptio, sed ex parte agentis prior est generatio. Id ipsam docuit D. Thomas 1. 2. q. 113. art. 8. ad 1. ubi ait: *Ex parte Solis prius est illuminare, quam tenebras removere: ex parte autem aeris prius est purgari à tenebris, quam consequi lumen ordine nature; licet utrumque sit simul tempore.* Eum mutua prioritas ex parte passivi, & agentis, quod est ponere mutua prioritatem in diverso genere causæ materialis, & efficientis. De illa egimus 2. Physic. q. 19. §. 3. tractantes de ultima dispositione ad formam, quæ cum forma alternat in diverso genere causæ

causæ mutua prioritate.

Probat sententia ista ex doctrina de mutua prioritate inter formam, & eius dispositiones; sed vna ex dispositionibus materiæ ad novam formam est expulsio præcedentis, & dispositionum eius, quæ incompatibiles sunt cum forma noviter generanda: ergo inter corruptionem præcedentis formæ, & generationem subsequentis datur mutua prioritas in diverso genere causæ. Explicatur exemplo ignis generati ex aere. Nam agens primò calefacit materiam aeris, quam calefaciendo rarefacit, & rarefaciendo extendit illam amplius, & amplius in ordine ad locum, donec sit rarefacta, non possit cum tanto calore, & rarefactione forma ignis conservari. Tunc cedit à materia forma aeris, & inducitur forma ignis. Hic ordo, in quo præcedit corruptio aeris, est ordo ex parte passivi, & in genere causæ materialis dispositivæ. Ceterum ex parte agentis invertitur ordo, & dispositiones alterantes materiam aeris primò intendunt ignem inducere, & posterius, ac ex consequenti formam aeris expellere.

8 Fundamenta contraria non videntur. Ad primum dic, illam causalem, idem vna forma expellitur, quia alia introducitur, esse veram in genere causæ efficientis, sed non in genere causæ materialis, in quo idem nova forma intro-

ducitur, quia præcedens expellitur. Quare sicut in diverso genere causæ est vera utraque causalitas, ita prioritas mutua verificatur in diverso genere causæ. Ad secundam, admissio, quoddam expulsio formæ præcedentis sit effectus formalis, & secundarius formæ genitæ, dicimus, quoddam effectus secundarius potest esse prior ex parte passivi, & in genere causæ materialis; licet sit posterior in genere causæ formalis, finalis, & efficientis. Sic nisi aer prius naturæ ordine purgaretur à tenebris, non consequeretur lumen, ut ait D. Thomas.

Ad aliud, quod cum Arriaga docent RR. præterquam quoddam denegare agentibus creatis veram, & physicam efficientiam, de quo errore egimus 1. Physic. q. 12. dicimus, quoddam D. Thomas in 2. Sent. dist. 1. q. 1. art. 4. docet, positionem illam stultam esse: *Quia ordinem tollit universi, & propriam operationem à rebus, & destruit iudicium sensus.* Si enim expulsio formæ est solum à causa prima: ergo frustra sunt operationes, & virtutes naturales, nec aqua extinguit ignem, sed Deus ad illius presentiam. Tandem, si solum pro expulsionem formæ causa creata agit moraliter: ergo eodem modo extinguit ignem ille, qui infundit aquam, ac ille, qui orat, ut à Deo ignis extinguatur: quod non indiget prolixiori impugnatione.

Fundamentum P. Arriaga nol-
lum

lum est, quia causalitas, qua forma expellitur, est actio ipsa, qua nova forma generatur. Hæc actu est indistincta à termino producto, & sic est ipsa forma expellens, non absolutè, sed cum habitudine ad formam, quam expellit. In casu autem, quo divinitus utraque forma simul esset, forma genita non diceret habitudinem ad formam expulsam, vnde non esset causalitas expellens.

Fundamentum secundæ sententiæ probat, corruptionem priorem esse ex parte passivi, & in genere causæ materialis, nam in isto dispositiones præcedunt formam. Cum hoc tamèn stat, quod in diverso genere præcedat generatio corruptionem, ut dictum est. Ut enim ait D. Thomas q. 28. de Veritat. art. 7. *Nihil prohibet, aliquid altero esse prius, & posterius secundum diversum genus cause. Sed tamèn illud est prius simpliciter ordine nature, quod est prius secundum genus illius cause, quæ est prior in ratione causalitatis.* Cumque causa efficiens sit prior reliquis, & finalis prior efficiente, quia illam movet ad efficiendum: tenendum est, generationem esse simpliciter priorem corruptione, quia prior est in genere causæ finalis, efficiens, & forma-

lis.

§. III.

Explicatur, an forma expellat aliam efficienter, & quomodo corruptio sit intenta à natura?

9 **C**ommunis sententiâ Thomistarum docet, formam genitam expellere præcedentem in genere causæ formalis. Probatur. Nam forma in genere causæ formalis dat esse materiæ; sed expulsio formæ præcedentis est effectus secundarius formæ: ergo est effectus in genere causæ formalis. Patet consequentia, quia effectus primarius, & secundarius debent esse in eodem genere causæ. Rursus, Forma substantialis est incompatibilis cum alia in eodem subiecto: ergo ex vi, quod nova forma informet materiam, ab ea expellit formam præcedentem. Sed forma nova informat materiam in genere causæ formalis: ergo in eodem genere expellit præcedentem. Tertio, Forma nova in unico instanti expellit præcedentem; sed si expelleret in genere causæ efficientis, non expelleret in instanti: ergo expellit in genere causæ formalis. Probat. minor. Causa efficiens creata agit cum motu, & alteratione; sed motus, & alteratio fiunt in tempore, nec possunt fieri in instan-

stanti.

stanti: ergo si expelleret &c.

Pro contraria sententiâ N. Villanova citat B. Egidium in 2. sent. dist. 19: q. 1. art. 2. N. Aragonium 2. 2. q. 24. art. 10. N. Lestianum tom. 3. de Beatitud. lib. 1. q. 5. art. 4. N. Mendosa, & alios, qui tenent, vnam formam expellere aliam in genere causæ efficientis. Probatur. Nam formæ substantiales non opponuntur immediatè ratione sui, sed ratione qualitatum, quibus conservantur: ergo forma non expellit aliam formaliter, & immediatè per suam entitatem, sed medijs qualitibus. Antecedens patet ex Aristot. in lib. de Prædicam. cap. de substantia, & 5. Physic. vbi docet, quod substantiæ nihil est contrarium: quare si duæ formæ substantiales opponuntur v. g. forma ignis, & aquæ, tantum contrariantur ratione caloris, & frigiditatis, siccitatis, & humiditatis, quæ sunt proprietates ignis, & aquæ, sibi invicem contrariæ. Consequentia autè probatur. Nam vna forma non expellit aliam, nisi ratione contrarietatis, & oppositionis; vnde quia formæ intentionales ex se non opponuntur, possunt naturaliter esse in eodem subiecto, ut patet de albedine & nigredine immittentibus suas species in eandem partem aeris intermedij, teste Aristot. cap. cit. de substantia.

Nunc sic. Sed si forma substantia-

lis expellit aliam medijs suis qualitibus, expellit illam efficienter, non autem formaliter: ergo forma expellit alteram efficienter. Probatur minor. Forma substantialis non venit suis qualitibus ad exercendam causalitatem formalem, sed efficientem, nam licet non sit immediatè operativa, est tamèn immediatè informativa; vnde agit medijs accidentibus, sed immediatè per se ipsam informat materiam: ergo si expellit formam præcedentem medijs suis qualitibus, expellit illam efficienter, non autem formaliter.

Confirmatur. Quando duo aliqua sunt ordinata, attingens unum, attingit & alterum, & eodem modo; sed corruptio vnius formæ, & introductio alterius sunt inter se ordinatæ, ut nobiscum fatentur Thomistæ: ergo generans, quod medijs accidentibus introducit novam formam, medijs eisdem corrumpit præexistentem. Sed quod agit generans medijs accidentibus, tribuitur etiam formæ genitæ, cuius sunt ea accidentia, quæ recepta in passivo expellunt ab eadem formam præexistentem: ergo forma substantialis expellit præexistentem efficienter, ac medijs accidentibus.

10. Ad primum dic, quod expulsio formæ præexistentis vocatur effectus secundarius formæ novæ, sed ita dicitur ab eis DD. qui tenent, expulsionem esse effectum

formalem illius: unde ex tali locutione non bene arguitur contra nos. Sumendo tamen rationem causæ in tota sua latitudine, potest dici effectus secundarius, quia effectus primariò intentus à forma genita est dare esse materiæ; expellere autem formam præcedentem secundariò intenditur, & per accidens, ideoque est effectus secundarius. Cæterum sunt in diverso genere causæ, nempe dare esse in genere causæ formalis, expellere autem in genere causæ efficientis.

Ad secundum dic, quòd forma ratione sui non contrariatur alteri formæ, nec ullam ratione sui habet incompatibilitatem, sed ratione qualitatum, quas petit ad sui conservationem. Quare si denudata ab omni qualitate esset forma nova, & præexistens, se haberent sicut formæ intentionales de mente Aristotelis; atqui forma intentionalis informans aerem intermedium, non expellit alias formas intentionales præexistentes: ergo ex vi præcisè, quòd forma substantialis informet materiam, non habet expellere præexistentem. Nec contra hoc procedunt rationes datæ 1. Physic. q. 16. ad probandum, quòd naturaliter non potest duplex forma informare eandem numero materiam. Nam rationes illæ solùm probant incompatibilitatem de facto in formis habentibus suas qualitates: casus autem noster ponit formas à qua-

litate denudatas, & sic præternaturaliter.

11. Dices. Forma qualibet, etiam præcisivè ab accidentibus proprijs, est actus primus materiæ, & adæquatus respectu illius; sed actus primus non præsupponit alium; & actus adæquatus dicit negationem alterius: ergo præcisivè ab accidentibus proprijs formarum substantialium, formæ ipsæ relatè ad materiam habent incompatibilitatem. Respondemus, quòd formæ præcisivè ab accidentibus, remanent veluti formæ intentionales, ut dictum est: sed quia formæ intentionales nec ex se, nec ex alio adiuncto habent contrarietatem, ideo possunt simul esse in eodem aere intermedio; nec una est actus primus, vel adæquatus subjecti receptivi: ergo idem contingeret formis substantialibus, si denudarentur à contrarietate qualitatum. Urgetur. Magis opponuntur albedo & nigredo; quam duæ formæ substantiales, nam istæ non opponuntur ratione sui, ut dictum est, albedo & nigredo ratione sui strictè contrariantur; sed quia albedo & nigredo in suis speciebus intentionalibus denudantur à contrarietate, possunt esse in eodem subjecto, ut dicit Philosophus: ergo pariter de formis substantialibus, si à contrarietate denudentur.

Ad tertium dic, quòd forma præcedens expellitur in instanti consu-

consummativo alterationis præcedentis, & efficienter expellitur à generante. Argumentum probat, non expelli à generante efficienter: probat etiam, quòd forma genita non producitur efficienter à generante, cum non producatursuccessivè, sed in instanti. Directè respondemus, quòd generans utrumque efficit, nam præexistentem formam expellit, & novam inducit. Totum hoc fit ab agente media alteratione, & motu successivo: cæterum motus ille, & alteratio à principio usque ad finem nihil substantiale efficit usque ad terminum. In termino autem motus expellitur forma præexistens, & alia inducitur, ut dictum est num. 7. Quia ergo accidentia ultimò disponencia ad formam novam sunt effectus eiusdem formæ, & medijs his accidentibus expellitur forma præexistens; ideo tribuitur formæ genitæ expulsio præexistentis, & tribuitur in eo genere causæ, quo accidentia corrumpunt formam præexistentem: hæc est causalitas effectiva, ut dictum est.

12. Quæres, an corruptio sit per se intenta à natura? Negant Henricus, Conimbr. & aliqui: nam appetitus naturæ est ad bonum, quia nemo respiciens ad malum operatur: sed corruptio tendit ad malum, & ad non esse: ergo per se non intenditur à natura, sed per accidens. Rationem

istam tradit D. Thomas 1. p. q. 19. art. 9. Contraria sententia docetur à Rubio, & aliquibus in præsentia. Probatur. Nam materia per se primò inclinatur in formas, quas naturalitèr non potest habere sine corruptione præcedentium; sed potentia passivæ materiæ correspondet potentia activæ agentis naturalis: ergo natura agens per se intendit corruptionem formarum præcedentium, tanquam medium ad novas introducendas.

Verior sententia communis apud Thomistas, & nostros docet, corruptionem nullo modo per se intendi à natura particulari; bene tamèn à natura, & agente universali: non per se primò, sed per se secundò. Ità D. Thomas 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. dicens: *Corruptiones, & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem: sed tamèn sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi; nam corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur.* Et 3. contra Gent. cap. 94. dat rationem dicens: *Particulare agens tendit ad bonum partis absolute, & facit eam quanto meliorem potest: universale autem agens tendit ad bonum totius.* Sed ad bonum universi conducit diversitas, & variatio formarum; ergo per se primò intenditur generatio, & per se secundò corruptio ab agente universali.

Dices. Idem à natura vniuersali intenditur corruptio, quia si ne ipsa non stat generatio; at hoc etiã est veram relatẽ ad agens particulare: ergo etiã particulare agens per se intendit corruptionem. Respondemus, causalem maioris esse diminutam, nam adæquata causa est, quod ordinare corruptionem vt medium ad finem

vniuersi, pertinet ad vniuersalem providentiam, & sic per se intenditur à solo agente vniuersali. Relatẽ autẽ ad agens particulare non est medium per se intentum, sicut non est ab eo per se ordinatum: & idem per accidens se habet, & præter intentionem agentis particularis. Per hoc patet ad fundamenta aliorum Doctorum.



QUÆSTIO QUARTA.

Quomodò, & qua virtute res corrupta possit iterum reproduci?

§. I.

Explosis aliquibus erroribus, sententiæ referuntur.



Præcipuus vit primus error quorundam Philosophorum, tementium, res omnes esse in perpetuo, & æterno circuitu, taliter vt post perfectam circulationem octavæ sphaeræ, quam completi dicebant spatio triginta & sex millium annorum, omnia, & eadem individua iam pridem corrupta, redire assererent viribus ipsius naturæ. Tribuitur hic error Platonicis, licet quàm plures nolint eam vnquam fuisse Platoni,

Aristoteles 1. Physici text. 32. insinuat; Empedoclem tenuisse, mundum insistentem per circuitum ad eadem redire. Fundamentum huius erroris duplex est. Primum, quia posuerunt Philosophi isti successivam generationẽ sublunarium ab æterno: ergo nõ concederent possibile infinitum secundum numerum, lapsi sunt in errorem circulationis generationum. Secundum, quia ponebant sublunaria plenè dependentia ab aspectu, & influxu cœlesti: ergo cum post completum annum magnum, id est, circulationem octavæ sphaeræ, quæ not

anno.

annorum millibus, & forsàn pluribus peragitur, alia omnia redeant ad eundem aspectum; idem necesse est, quod in mundo sublunari redeant eadem numero individua, quæ fuerunt.

Nec audiendus est Suavius tom. 2. in 3. p. disp. 44. sect. 6. dicens, Philosophos istos non de eisdem numero effectibus, sed de similibus locutos fuisse. Nam contrarium colligitur ex P. Augustino 12. de Civit. Dei cap. 13. vbi dicit: Non aliter putaverunt, se posse controversiam dissolvere, nisi vt circuitus temporum inducerent; quibus eadem semper fuisse renovata, atque repetita in rerum natura. Et infra: Sicut in isto sæculo Plato Philosophus in Vrbe Atheniensi, in ea Schola, quæ Academia dicta est, discipulos docuit; ita per innumera retrò secula multum prolixis quidẽ interval-
lis, sed tamẽ certis, & idem Plato, & eadem Civitas, eademque Schola, eisdem discipuli repetiti, & per innumerabilia deinde secula repetendi sint. En error fuit de numerica unitate individuum redeantium.

Errorem istum impugnat S. Pater loc. laudat. cum ratione, quia, cum in illo circuitu involvant animas racionales, quas dicebant beatas in statu separationis, & miserabiles in statu unionis ad corpus: sequebatur ex positione ista, animas destinatas esse ad veram miseriam huius vitæ, & ad

falsam beatitudinem status separationis, nam non potest esse vera beatitudo, quæ aliquando finienda est. Impugnat etiã auctoritate Apostoli ad Rom. dicentis, quod semel Christus mortuus est pro peccatis nostris: resurgens autẽ à mortuis, iam non moritur, & mors ei vltra non dominabitur. Nos etiã iuxta Apostolum 1. ad Thessalon. 4. post resurrectionem semper cum Domino erimus. Et Psal. 111. dicimus Deo: Tu Domine servabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. Addit S. Pater ibi de Philosophis contrarium sentientibus: Satis autẽ istis existimo convenire, quod sequitur: In circuitu impij ambulat, non quia per circuitos, quos opinantur, eorum vita est recursura, sed quia modò talis est erroris eorum via, id est, falsa doctrina.

2. Per oppositum alter error negabat possibilem resurrectionem mortuorum. Itã Philosophi Epicuri, & Stoici apud P. August. lib. 22. de Civit. Dei cap. 23. Sadducæi apud Indros, vt habetur Matth. 22. vbi dicitur: Accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt, resur: esse onem non esse. Errorem istum in Ecclesia tenuerunt à tempore Apostolorum aliqui Hæretici, vt Simon Magus, Hymeneus, Philetus, quos secuti sunt Cedron, Marcion, Basilides, Apelles, Valentinas, & innumeri alij. Porphyrius autẽ, vt restatur P. August.

12. de Civit. Dei cap. 26. tenuit damnatos resurrecturos, sed non iustos, quia existimavit, beatitudinē cum corpore simul stare non posse.

Fundamenta huius erroris ex factis literis nulla sunt. Quæ à ratione petuntur, videre poteris in nostro Lusitano tom. 3. de Beatitud. q. 3. art. 4. & q. 4. art. 1. §. 1. Pro catholica veritate adest illad Symboli Apostolorum: *Credo carnis resurrectionem, & illad Symboli Nizeni: Et expecto resurrectionem mortuorum.* Accedit illud Christi Domini solventis argumentum Sadducæorum contra resurrectionem, & Matth. 22. dicentis: *Erratis nescientes Scripturas, nec virtutem Dei: in resurrectione enim non nubent, nec nubentur; sed sunt sicut Angeli Dei in Cælo. De resurrectione enim mortuorum non legistis, quod dicitur est à Deo, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: non est Deus mortuorum, sed viventium.* Et Ioann. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* De eadem resurrectione expressè testatur Paulus 1. ad Thessalonic. 4. & Epist. 2. ad Corinth. 15. & 2. ad Timoth. 2. & ad Philipp. 3. & alibi sæpè. Quare est unum ex articulis Fidei resurrectionis mortuorum, de qua, & rationibus comprobantibus vide nostrum Lusitanum q. 4. cit. per

totam, vbi facilissimè, & eruditè disputat de hoc.

3. Omisissis his erroribus, prima sententia Theologorum docet, fieri posse viribus naturæ, vt id, quod corruptum est, idem numero redeat: non tamèn in omnibus, sed in aliquibus rebus. Ità Scotus in 4. Sent. dist. 43. q. 3. Basilius ibidem, & ante eos Ricardus in 4. dist. 43. art. 3. q. 1. Henricus quodlib. 10. q. 4. & probabilem dicit hanc sententiam Toletus 2. de Generat. q. 13. conclus. 2. Hi Doctores excipiunt hominem à sua sententia, quoniam vi agentis naturalis non potest anima rationalis semel à corpore separata, eidem reuniti: nam vt communiter dicitur, illa reunitio, licèt naturalis sit quoad substantiam, attempis extremis vultis, supernaturalis est quoad modum.

Probatu hæc sententia ex Aristotele 8. Metaph. textu 11. vbi dicit, si materia est eadem, & agens idem, effectus est idem. Rursus 8. Phisic. textu 3. dicit, idem eodem modo se habens, semper aptum est facere idem. Sed post rei corruptionem manet eadem materia, & potest perseverare idem numero agens; potest etiàm accidere, vt ipsam agens erga eandem materiam eodem modo se habeat, ac fait, quando produxit illum numero effectum: ergo si vera est doctrina Aristotelis, potest idem numero effectus iam corrup-

tus,

tus, iterùm reproduci.

Secundò. Supponamus, quòd ignis A. possit producere ignem B. in instanti tertio, & non producat illum tunc, sed in instanti sexto. Nunc sic. Virtus ignis ad producendum B. in instanti sexto eadem est, siue producat, siue non producat in instantibus antecedentibus: ergo sicut produxit in instanti sexto, & potuit in antecedentibus; dato quòd produxisset in instanti tertio, & corrumpere-tur in instanti quarto; posset iterùm produci in instanti sexto. Patet consequentia ex dictis, nam supponimus, manere in igne A. virtutem producendi ignem B. in sexto instanti. Tertio. Radius productus à Sole in instanti A. & ab eodem conservatus per horam, est idem numero in fine horæ: sed illius identitas, quæ est in primo instanti & ultimo horæ, per se non pendet ab hoc, quòd existat in tempore medio: ergo radius ille potuit existere in primo instanti, & ultimo horæ, licèt in tempore medio corrumpatur.

Quarò. Corruptum idem numero redire, non est absolute impossibile; alioquin nec divina potentia posset idem redire, quòd est falsum: ergo corruptum idem numero redire, est simpliciter possibile: ergo est adhuc in potentia activa eorum, in qua antea fuit. Sed antea fuit in potentia activa causarum naturalium: ergo etiam

post corruptionem; & sic poterit idem numero naturaliter redire. Quintò. Si vna aqua in plures partes dividatur, corrumpitur illa numero aqua, quæ erat ante divisionem. Rursus. Si iterùm illa partes coniungantur, redit eadem numero aqua: sed sicut prima illa aqua naturaliter dividi potuit, ita naturaliter coniungi possunt partes, in quas fuit divisa: ergo idem numero corruptum viribus naturæ redire potest.

Confirmatur primò. Nasus abscisus amisit eandem numero formam substantialem, & verè substantialiter corruptus est: & tamen cum arte medicinæ eidem carni iterùm coniungitur, idem numero nasus redit: ergo idem numero corruptum potest naturaliter redire. Confirmatur secundò. Res artificiales postquam dissolutæ sunt, aut dissipatæ, possunt per causas naturales iterùm instantari; v. g. domus, vestis, exercitus, & alia similia: ergo etiam res naturales.

4. Sextò arguitur. Eadem numero privatio, quæ inerat materiæ ad hanc numero formam, antequàm produceretur, redit post illius corruptionem: sed propter illam privationem materia erat in potentia naturali ad hanc formam, & ideo naturaliter potuit eam recipere: ergo post corruptionem illius manet in materia potentia naturalis ad recipiendam eandem formam.

formam. Minor cum consequentia tenet, & maior probatur. Nam ad identitatem numericam privationis sufficit identitas subjecti, & formæ privatæ; sed facta corruptione, manet eadem numero materia, & eadem numero forma, quæ corrupta fuit: ergo manebit in materia eadē numero privatio, quæ antea inerat.

Tandem. Licet nunquam accidat, ut omnes causæ, quæ ad eundem numero effectum concurrunt, re verà sint in eadem dispositione; tamen idem non repugnat: nam hoc univèrsum, tam apto ordine dispositum est, ut possit perpetuò durare, & eodem modo, quo nunc, procedere. Præterea. In eadem causa reperitur eadem potentia ad omnes effectus post productionem, ac antea: tum, quia causando, sicut nullum deperdit esse, ita nulla naturali potentia privatur. Tum etiam, quia sicut materia in generatione transit à privatione ad habitum, seu formam; ita in corruptione revertitur ab habitu ad privationem: idem enim est terminus ad quem corruptionis, ac terminus à quo generationis; sed privatio forme amisse non potest esse in materia sine potentia ad illam; cum privatio sit carentia formæ in subjecto apto ad illam: ergo post corruptionem manet in materia potentia naturalis ad formam amissam, & sic viribus agentis naturalis potest ea-

dem forma redire. *Contra.* sententia negat, posse viribus naturæ redire idem numero, quod corruptum est. Ita D. Thomas quodlib. 4. art. 5. & 4. contra G. cap. 81. & supra Epist. 1. ad Coriph. cap. 5. N. Agidius Theorem. 1. corporis Christi, & lib. 2. de Generat. in fine ad illa verba *Principium autem intensiois.* N. Argentinas in 4. dist. 43. q. 1. art. 2. N. Saxonia 2. de Generat. q. 14. N. Venetus ibidem cap. 20. & communiter DD. nostri, sicut & Thomiste cum D. Thoma, quem sequitur Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 44. sect. 6. & in Metaph. disp. 5. sect. 9. à num. 4. Hæc sententia, sicut communior est, ita & verior: ceterarum rationes, quibus suadetur, non sunt ita solidæ, ut ab omnibus comprobentur. Aliquas breviter expendemus, ut postea communem sententiam ex principijs nobis probatis confirmemus.

Communior Theologorum, & Philosophorum ratio probativa huius impossibilitatis sumitur ex eo, quod unus numero effectus per naturam suam exigit unam tantam numero causam secundam, unam etiam numero actionem eiusdem agentis; ita ut ille effectus nec produci possit naturaliter ab alio agente, nec ab eodem diversa actione, sed illa numero actio, qua primò ac cepit esse effectus corruptus, non potest naturaliter redire; ergo effectus

fectus semel corruptus, non potest iterum redire. Hæc ratio adducitur à D. Thoma, à B. Agidio, & ferè ab omnibus DD. pro communi sententia relatis.

Ratio ista non admittitur à quàm pluribus, quia procedit ex præmissis dubijs, ad tuendam conclusionem certam. Et quidem in nostris principijs maior non tenet, quia, ut diximus 2. Physic. q. 21. §. 2. idem numero effectus naturaliter continetur in virtute duplicis causæ totalis eiusdem ordinis, ita ut divisivè possit à quolibet causa produci: Ergo si hoc benè probatum est loco citato, falsum erit, quod effectus pendeat ab hoc numero agente. Præterea 3. Physic. q. 21. à nobis probatum est, quod actio instantanea, qualis est generatio substantialis, est realiter entitativè, & modalitèr indistincta à termino: ergo si terminus probatur idem, actio etiàm eadem redire potest, si hoc aliundè non repugnet termino.

Propter hæc, & alia, quæ in præcedenti ratione assumuntur dubia, idèd alij Doctores pro assignanda impossibilitate reditus individui corrupti, recurrunt ad causam primam: vndè dicunt, quod Deus, à quo causæ secundæ determinantur ad agendum, suum naturalem concursus determinavit ad novos effectus, non verò ad alium effectum, qui semel productus, iam corruptus est. Ità Fon-

seca, & alij, quos suppresso nomine refert Suarez, nec ab eis dissentit censens, hunc modum dicendi esse probabilem. Fundatur in eo, quod causa creata ex se indifferens ad plures numero effectus, non habet ex se determinationem ad unum præ alio: ergo quod unum præ alio efficiat, nascitur ex libera determinatione Dei. Ergo recursus ad causam primam, quæ determinat agentia creata ad solos effectus nondum productos, est ratio vera, & à priori impossibilitatis naturalis redendi eundem numero effectum corruptum.

Rationem istam vrgentèr impugnat ut improbabilem N. Lufitanus vbi supra. Nam, licet probabile sit, Deum determinare causam creatam ad hunc numero effectum præ alio; non est probabile, quod Deus pro sua præcisè libertate decreverit, nullam causam secundam determinare ad effectum, qui productus periit. Vndè enim constare potest, Deum ita determinasse? Nam quæ simpliciter sunt libera Deo, non possunt constare nobis nisi ex revelatione. Si dicas, liberam determinationem Dei fundari in natura causarum secundarum, quæ ex se petit novos effectus producere, & non præteritos: ergo iam concedis, ultimam determinationem ad hoc non esse divinam voluntatem, sed exigentiam ipsam naturæ. At restat probare,

habere, unde natura talem habeat exigentiam?

7 Propter hoc alij dicunt, impossibilem esse reditum eiusdem individui corrupti, impossibilitate desumpta ex determinatione naturalis ordinis, qui in agentibus servatur. Nam, licet ex se habeant virtutem generalem, & indifferentem ad individua eiusdem speciei; tamèn in usu, & exercitio suæ virtutis natura determinata est ad semper producendum nova individua. Hæc determinatio non aliter probatur, quàm repetita experientia, qua ab initio mundi observatum est, naturam semper produxisse individua nova, nec unquam reprodisse iam corrupta: ergo signum est huiusmodi determinationis in natura ad producendos semper novos effectus. Hæc probatio est à posteriori; sed reputatur à Philosophis ut efficax, maximè in re occulta, ubi non apparet alia efficacior. Quicumque nolit premi his angustijs, respondere poterit, dari quidem naturalem causam huius impossibilitatis, sed esse nobis occultam. At non decet Philosophos recurrere ad occultas causas in difficultatibus

solvendis.

§. II.

Communis sententia defenditur, & auctoritate, ac ratione comprobatur.

8 **N**ostra sententia tenet, esse naturaliter impossibilem reproductione effectus iam corrupti. Probatur primò ex Aristot. 2. de Generat. textu 70. ubi statuit differentiam inter incorruptibilia, quæ moveantur solo motu locali, & corruptibilia, quæ secundum substantiam mutantur, & desinant esse: nam incorruptibilia eadem numero redeunt; Sol enim idem numero est, qui finito circulo, redit ad idem punctum, & eadem numero astra, quæ finito circulo, revertuntur ad nos. Cæterum corruptibilia, quæ transeunt, non redeunt eadem numero, sed specie. Indè infertur progressionem generationum tam in animalibus, quàm in alijs corruptibilibus semper fieri in rectum quoad individua, nec dari circulum in illis nisi secundum speciem. Ibidem textu 78. opponit circulum, qui apparet, quando pluvia fit ex aere, & aer ex pluvia. Respondet, circulum istum esse quoad speciem, non verò quoad identitatem numericam; nam aer, qui redit,

redit, non est idem numero aer, sed idem specificè: ergo de mente Philosophi patet assertio nostra.

Confirmatur ex Aristot. 2. de Generat. textu 70. ubi testatur, quod in natura sublunariam plura redeant secundum unitatem specificam, sed nullum secundum unitatem numericam; sed quod natura nunquam fecit, indicatur, ab ea fieri non posse; alioquin si haberet talem potentiam, frustra, & inutiliter, aut otiosè habuisset illam ab initio mundi: ergo in natura non sunt vires ad reproductionem eiusdem numero effectus iam corrupti.

Noster Lusitanus, ostensa inefficacia rationum pro communi asserto, promittit specialem rationem, quæ formatur sic. Nullum agens potest aliquem effectum producere, nisi illum contineat in sua virtute; sed effectus iam productus non continetur in virtute agentis naturalis: ergo nullum agens naturale potest reproducere. Minor, in qua est tota difficultas, probatur. Effectus dum producit, ponitur extra suas causas; id enim est rem producere, ponere illam extra causas; sed quod est extra causam, est extra virtutem agentis naturalis, & sic non continetur intra virtutem eius; alioquin esset intra, & extra, quod implicat: ergo effectus semel productus non continetur intra virtutem agentis naturalis.

Hæc ratio videtur probare, quod nec Deus potest reproducere: & hoc est falsissimum, nam, ut ait P. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 20. *Qui potuit ex nihilo creare, cur non poterit omnia recreare?* Et lib. de Catechis. serm. 1. *Non fuistis, & estis; & non resurgent mortui, qui fuerunt? Si ergo potens est Deus facere, quod non fuit; non potest reparare, quod fuit? Non dubitat charitas, etsi non apprehendit infirmitas.* Vbi notandum, quod potestas resuscitandi mortuos probatur in Deo ex potestate, qua fecit vivos, non utcumquè, sed ex nihilo creationis; alioquin agens naturale, quod primò fecit vivos ex præsupposito subiecto, posset illos resuscitare, & iterum ex pulverere reproducere. Iam ergo ratio N. Lusitani probat etiàm impossibilem Deo reproductionem. Nam dum primò producit, ponit effectum extra virtutem omnipotentia; nec manet intra; sed quod non manet intra virtutem Dei, non potest ab ipso produci; ergo nec Deus potest effectum semel productum iterum reproducere.

Præterquam quod Scotus in 4. Sent. dist. 43. q. 3. solvit rationem istam, dicens, post corruptionem formæ redire eandem numero potentiam naturalem, quam materia habebat ad hanc numero formam; ergo post corruptionem effectus redit iterum ad naturalem potentiam causæ efficientis. Et li-

cet solutio ista videatur difficilis, quia corruptio non dat esse, nec potentiam ad esse, sed potius destruit esse. At sicut post corruptionem advenit materia vera privatio formæ, quæ non est pura carentia, sed coniuncta cum aptitudine ad formam deperditam; probabile est, aut saltèm dubium, an materia habeat naturalem appetitum ad formam amissam, de quo disputavimus 1. Physic. q. 10. §. 4. Quòd si in materia conceditur appetitus ad formas amissas, concedendum est in agente naturali, quòd sit virtus ad eas reuniendas materia.

9 N. Villanova in præsentì, relicti alijs rationibus, alteram adducit ex B. Agidio theorem. 1. de Sacram. altaris, & alijs locis, ubi docet, quòd creatura semper operatur media transmutatione, & motu: unitas autèm numerica motus desumitur ex continuitate mobilis; & idèd si semel intercitur, non redibit idem numero motus, & consequentè nec idem numero effectus. Hæc ratio probat impossibilitatem naturalem reproductio- nis relatè ad causam creatam, sed non respectu causæ primæ: nam causa prima non agit alterando, & transmutando, sed media actione immanente secum identificata, quæ unica, & eadem semper est, quare potest quencumque effectum infinities reproducere.

Hæc ratio est explicatio primæ rationis suprâ inductæ pro com-

muni sententia: quare sicut illa non videtur efficax, quia conclusio- nem certam probat ex dubijs, sic dicendum in præsentì. Præter- quamquòd unitas numerica effectus non pendet essentialitèr ab has numero actione, quidquid sit de distinctione actionis à termino; ergo sicut effectus productus ab vna causa, potuit divisivè ab altera produci, ita potuit produci per aliam actionem à diverso agente: ergo per alia etiàm ab agente ipso.

10 Efficax ratio pro communi sententia desumi potest ex principijs P. Augustini, apud quem non sufficit pro actuali generatione sublunarium virtus agentis naturalis ex parte causæ, & potentia passiva materiæ, sed ulterius requiritur ratio seminalis, de qua disputavimus lib. 1. Physic. q. 2. per totam. Ibi dictum, quòd Deus dedit rebus virtutes activas, & passivas ad proprios effectus, dum primò res creavit. Cæterùm quia pro actuali generatione, & propagatione non sufficiebant virtutes activæ, & passivæ sine rationibus seminalibus, has indidit tertio die creationis herbis, & plantis dicens: *Germinet terra herbam viventem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum, & habens unumquodque sementem secundum speciem suam.* Quinta die rationes istas seminales indidit benedictione sua animalibus, ut se propagarent, dicente Moysè Ge-

nes

nes. *Benedixitque eis dicens: Crescite & multiplicamini.* Homini autèm rationes seminales dedit sexta die, postquam ipsum creavit.

Ex hac doctrina P. Augustini probatur, reproductio- nem effectus esse viribus naturæ impossibilem. Nam pro productione effectus cuiuscumque non sufficit virtus activa agentis, & potentia naturalis passiva materiæ, nisi Deus sua benedictione concedat rationes seminales explicatas de mente Augustini; sed ad reproductio- nem effectus non indidit Deus creaturis rationes seminales: ergo quantumcumque sit in materia potentia naturalis ad formam corruptam, & in agente virtus activa ad eam producendam, non potest naturalitèr illam iterùm producere. Probatur minor ex sacro-textu, vnde P. Augustinus rationes istas seminales agnovit, & necessarias docuit ad generationem sublunarium: nam istæ rationes datæ sunt sublunari- bus, ut crescerent, & multiplicarentur, ubi: *Crescite, & multiplicamini;* at sublunaria non multiplicantur per reproductio- nem, sed per novas, & distinctas productiones individuorum: ergo pro reproductio- ne non sunt datæ rationes seminales. Rursus, iuxta primum textum datæ sunt rationes seminales ad conservandam, & perpetuandam speciem, non autèm ad perpetuandum individuum, ubi: *Habens unumquodque sementem*

secundum speciem suam; sed reproductio solum conducit ad perpetuandum individuum repetitis productionibus; pro conservacione autèm speciei non est necessaria reproductio: ergo pro illa non sunt inditæ rationes seminales.

Tertio. Iuxta P. Augustinum lib. 9. de Genes. ad lit. cap. 18. quòd agentia naturalia certos, & determinatos effectus producant, provenit ex ratione seminali: quare dicit sic: *Vnde fit, ut de grano tritici non nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus:* ergo sicut experientia docet, quòd tritico non dedit Deus rationem feminalem ad fabas generandas; sic experientia docemur, non indidisse rationes seminales ad reproductendum iam semel productum. Quare sicut suprâ à posteriori probatum est, non esse in natura virtutem reproductivam, sic à posteriori probatur eodem argumento, non dedisse rationes seminales ad reproductendum. Hoc semel auctoritate, & ratione à posteriori comprobato, adest ratio à priori pro communi sententia. Nam sine principijs intrinsecis entis naturalis, non stat naturalitèr productio substantialis: sed 1. Physic. q. 2. probatum est ex P. August. D. Thoma, & B. Agidio quòd rationes seminales sunt principium intrinsecum entis naturalis, ergo cum ad effectum iam se-

mel productum non datur in natura rationes seminales, non datur in natura virtus ad reproductionem. Vide loco cit. quid sint, & ad quid rationes istæ seminales.

§. III.

Solvuntur argumenta contraria.

EX dictis in probatione nostra, facile est solvere argumenta contraria supra posita à num. 3. Ad primum dic, Philosophum non agnovisse rationes seminales, & idem posuit privationem pro tertio principio entis in se. Nos autem, qui cum P. August. agnoscimus rationes seminales necessarias, dicimus non sufficere manere materiam, & eandem virtutem agentis, ut possit esse effectus; sed insuper requiri rationem seminalem. Cumque pro effectu iam semel producto, non adsit ratio seminalis in agente creato: idem licet maneat idem, non potest facere idem. Vel dic, quod post primam productionem effectus non manet idem agens, nam licet maneat cum sua virtute activa, deficit ab ipso ratio seminalis ad illum effectum iam semel productum. Defectus huius rationis seminalis, licet non sit mutatio agentis, ut ens est, & sic non sit mutatio entitativa, aut

modalis; est tamen mutatio agens in esse cause, quia re vera post primam productionem effectus non potest causare, cum possit ante primam productionem.

Ad secundum DD. qui reputant, effectum pendere essentialiter ab hac numero actione, & actionem pendere à circumstantiis extrinsecis loci & temporis, dicent, quod non est idem numero ignis, qui potest produci in instanti tertio, ac ille qui produciatur in instanti sexto: quare apud hos DD. argumentum procedit ex falsa suppositione. Nobis videtur improbabile, quod unitas substantialis numerica effectus, quæ intrinseca est effectui, pendeat essentialiter à circumstantia extrinsecæ & accidentali loci, & temporis. Per ordinem ad locum sumitur *ubiatio*, & per ordinem ad tempus sumitur *quantio*, ut dictum est in prædicamentis; & 4. lib. Physic. ceterum nihil substantiale ab eis desumitur, ut bene suadet loco cit. Metaph. P. suavius. Directè respondemus, ignem A. posse producere ignem B. in quocumque instanti: sed quia ad productionem non sufficit virtus activa sine ratione seminali; & ratio ista seminalis solum datur pro prima productione: idem in casu argumenti ignis A. non potest producere ignem B. iam à se productum, quantuncumque in agente maneat virtus eadem in esse entitativo.

Ad

Ad tertium dic, quod radius Solis, potens durare per horam, si corrumpatur in medio horæ, discontinuatur, & indiget nova actione productiva, ut fiat. Hæc nova actio est reproductio, & ad eam non habent astra virtutem, quæ sicut animalibus data est ad solam primam productionem, sic & astris ad novam, ac semper novam emissionem radiorum.

Ad quartum dic, corruptum idem numero redire, non est absolute impossibile, relatè ad potentiam Dei: at est impossibile relatè ad virtutem agentis naturalis creati, & sic corrumpitur argumentum. Vel dic, quod possibile est correlativum potentie active: cumque post primam productionem effectus maneat in causa virtus activa, sicut erat antea, idem effectus iam productus potest denominari possibilis, & ipsum redire, absolute possibile est. Non tamen unquam redibit, nec simpliciter redire potest viribus nature, quia illis deficiunt rationes seminales, quæ non sunt in agente creato pro reproductioe effectus.

Ad quintam dic, quod quando aqua dividitur in partes, non corrumpitur quantum ad totalitatem substantialem, nam manet ubique materia aquæ sub eadem forma aquæ, ac fuit ante divisionem. Corrumpitur quantum ad totalitatem integram, & quantitatem: sed inde nihil probatur

contra nos, qui disputamus de corruptione substantiali, qua separatur forma à materia. Si quæras, an facta divisione aquæ, maneat idem suppositum, ac fuit? Respondeo cum N. Lusitano, non manere idem suppositum, sed tot supposita denudè existere, quot sunt partes aquæ separatæ. In casu autem reunionis partium sunt iterum unum suppositum; sed non idem numero, quod fuit in aqua ante divisionem: nam semel destructum, non potest iterum redire. Substantia autem aquæ eadem est in linea substantiæ, nam eius totalitas destructa non est per divisionem. Ceterum in linea suppositi variata est, quia perdidit primam substantiam, & plures acquisivit vi divisionis, sicut & vicam vi reunionis. Si quæras, quomodo per divisionem multiplicantur substantiæ, sine nova actione productiva? Me vide in Logica lib. 6. q. 5. à num. 32. ubi egi de divisione lacertæ, qua multiplicantur animæ sensitivæ sine nova actione.

Ad primam confirmationem dic, quod natus abscissus ab homine, deperdit animam, qua vivebat, ut ait P. August. Ser. 136. *Cum in corpore esset, vivebat, spiritum amittit vitam.* Ceterum licet substantia alimenti debitè applicata homini per nutritionem, informatur ab anima rationali se extendente ad illam substantiam, ita se extendit

extendit ad nasum abscisum, si promptè, & debite secundum artem medicam applicetur. Iudè nihil contra nos, quia in abscissione nasi nulla est corruptio totalitatis substantialis, sed quantitativa: in presenti disputamus de corruptione totius substantialis. Idem dic ad aliud argumentum, quod fieri solet de homine suas proprias carnes manducante, quod contingit aliquando ad conservandam vitam. Tunc caro abscisa perdit animam, sed manducata ab eodem, cuius erat, & conversa in substantiam aliti, denuò vivit informata eadem anima. Propter hoc aliqui dicunt, non implicare partialem reproductionem, licet repugnet reproductio substantiæ totalis. Nobis videtur in hoc casu & similibus nullam fieri reproductionem, quia nec producit materia, nec forma, nec aliud intervenit, quam motus nutritionis, qui tunc versatur circa alimentum, quod antea fuit substantia aliti.

Notant hic Coimbra. & Fonseca quòd aliter dicendum est de parte abscisa animalis imperfecti, ac de parte abscisa ab homine. In hoc non est nisi unica forma indivisibilis, quæ se retrahit à parte abscisa, & dum corpori reunitur, se extendit ad eam informandam, & vivificandam. In animalibus imperfectis forma est divisibilis: quare dum lacerta v. g. dividitur, dividitur & forma, unde videmus

caudam abscisam moveri, & per propriam animam se contrahere, & sentire. Dum ergo reunitur pars abscisa in his animalibus, non manet cum illa numero parte animæ, sed per reunionem sicut fit vnum quantitativum ex duobus, fit vnicum totum substantiæ cum unica forma. Ad secundam confirmationem dicit N. Lusitanus, res artificiales non instaurari cum eadem forma, sed cum diversis, eiusdem tamen rationis.

13. Ad sextum positum in num. 4. dic, non constare inter DD. an post corruptionem formæ redeat eadem privatio in materia, ac fuit ante primam formæ productionem. Sonecinus. 3. Metaph. q. 1. 8. Sotus 1. Physic. q. vlt. docent, esse eandem privationem, quia pro hoc sufficit identitas subiecti & formæ. Negant tamen esse in materia eandem potentiam ad formam, quia ante productionem erat potentia naturalis, post corruptionem solum adest potentia obediens. Ferrariensis. 4. Contra G. cap. 8. t. dicit, redire eandem privationem formæ materialiter, sed non formaliter, quia non redit privatio formæ naturaliter educibilis de potentia subiecti, nisi semel producta non possit reproduci ab agente naturali. Hæc solutio est verior, sed nobis neutra est necessaria: nam licet redeat eadem privatio, non inclinatur materia ad formam, propter defectum

tum rationis seminalis ad reproductionem, ut à nobis probatum est. 1. Physic. q. 1. 0. num. 11.

Ad vitium dic, illud esse possibile, sed inde nihil contra nos: nam licet motus cæli, qui cessabit in die universalis iudicij, duret in perpetuum, nunquam natura viribus suis reproduceret iam corruptum. Nihil potest generari sine rationibus seminalibus: nec istæ dependent à motu cæli, & concursu aliarum causarum, sed à Deo, qui rerum Creator omnium, sicut dat virtutem producendi, illam determinat per rationes seminales: determinat autem ad primam productionem, non ad reproductionem. Hinc admissio, quòd maneat in agente eadem virtus activa, in materia eadem virtus receptiva, & eadem privatio formæ, ac fuit, nihil convincitur propter defectum rationis seminalis ad reproductionem.

14. Quæres, an Angeli virtute propria possint mortuos suscitare. Ratio dubitandi est, quia virtute naturali possunt disponere materiam, ut ipsi reuniatur anima rationalis separata. Sic faciendum ab Angelis in generali resurrectione, docent plures, & ita contingit in resurrectione Lazari, possibile est. Sed non aliter homo generans est causa filij geniti, quam disponendo materiam ad primam unionem cum anima: ergo si Angeli virtute propria possunt dispo-

nere ad reunionem, erunt vera causa illius, & sic poterunt virtute naturali reproducere.

Fonseca 8. Metaph. cap. 5. q. 1. tangit istam difficultatè, N. etiam Lusitanus vbi supra, & concorditer negant, posse Angelos reproducere animal iam corruptum, aut homines mortuos suscitare. De animalibus patet, nam petunt fieri eorundem formæ à generante, nec sufficit materiam disponere. De hominibus, quorundem animæ non generantur, sed creantur, sufficit pro prima generatione disponere materiam ad animam rationalem, & hoc non possunt Angeli sine interventu hominis generantis. Pro reproductione, vel resurrectione non sufficit dispositio materiæ, quia materiæ sic dispositæ non debetur naturaliter reunio animæ, quæ supernaturalis est quoad modum. Quare licet admittamus, Angelos virtute naturali disponere materiam ad reunionem (quod non fiet in universali resurrectione sine speciali concursu Dei) nihil concluditur, quia reunio est indebita potentiæ naturali, nec ulla est in materia ratio seminalis naturalis, sed obedientiæ ad reunionem, ut diximus

cum P. Aug. 1. Physic.

q. 2. d. 2.

§. III.

Deciditur, an idem numero corruptum possit redire per Divinam potentiam?

DE hac questione pro dignitate scribit Noster Lusitanus tom. 3. q. 3. art. 2. ubi videri potest quid pro utrâque parte allegatur. Prima sententia est Durandi in 4. Sent. dist. 43. q. 3. Abulensis in cap. 22. Matth. q. 238. Marfilij lib. 2. de Generat. q. 18. quibus favere videtur D. Thomas 4. Sent. dist. 12. q. 1. art. 2. & 3. p. q. 77. art. 5. Dicit hæc sententia, repugnare reproductionem individui, cuius partes, vel saltè formam corrupta est; quia verò in morte hominis partes separatae consistunt, idè potest homo reproduci à Deo, & de facto suscitandus est, vt docet Fides. Secunda sententia docet, res omnes permanentes posse reproduci, sed non res successivas. Hæc est sententia communis cum D. Thoma quodlib. 4. art. 5. & 4. contra G. cap. 81. & Opusc. 9. cap. 82. eam tenent N. Ægidius theorem. 1. Henricus quodlib. 7. q. 16. Paludanus, Capreolus, Hispanensis, & alij. Tertia sententia dicit, res permanentes,

& etiam successivas posse à Deo reproduci. Ita Basolius, & alij quibus favet Suárez tom. 2. ad 3. p. disp. 44. sect. 6. Ultima sententia vnicè excludit tempus à potentia Dei reproducentis. Ita Aureolus apud Capreolum in 4. dist. 43. q. 1. art. 2.

Nobis tenèda est secūda sententia, quæ probatur argumento P. Augusti, convincentis possibilitatem resurrectionis ex iam facta creatione. Dicit sic serm. 15. de verbis Apost. *Te appello, quicumque fidei animo de resurrectione dubitas, & putas non posse mortuos resuscitari. Quid est amplius, ex nihilo homines facere, qui vivant; an eos, qui facti sunt, & vixerunt, reparare post mortem? Vtique plus est facere quod nunquam fuit, quàm reparare quod fuit. Quomodo ergo impossibile esse dicis, vt Deus, qui hominem formavit ex nihilo, reformet? Quomodo nos suscitare non potest conversos in pulverem, qui, etiamsi in nihilum rediremus, facere poterat, vt essemus; sicut & fecit nos esse, cum antea nunquam fuissetis.* Sic docet varijs locis, semper vtens eodem argumento creationis, qua nos fecit ex nihilo: & similiter arguit S. Gregorius Magn. Homil. 26. in Evangel. & Homil. 2. in Ezechiel. lib. 14. Moral. cap. 30.

16. Formatur ratio sic. Infinita Dei potentia non minuitur producendo, vel ex eo, quòd res ab ipso producta desinit esse sequens

dum totum, aut secundum partem. Rursus, ex parte rei, quæ desinit esse, nulla datur repugnantia, vt iterum sit: etenim illi post anihilationem non magis repugnat esse, quàm repugnabat, antequàm conderetur; sed Deus propter infinitam suam potentiam potuit eam ex nihilo producere: ergo postquam in nihilum redigitur, poterit Deus eam ex nihilo iterum reproducere. Patet consequentia, quia iuxta P. Augustinum: *Etiam si nos in nihilum rediremus, facere poterat Deus, vt essemus, sicut & fecit nos esse, cum antea nunquam fuissetis.*

Confirmatur ex Scoto. Cùm res semel condita, cedit in nihil, illud nihil est eiusdè rationis cum nihilo, quod erat terminus à quo creationis; sed illud nihil, quod creationem præcessit, non repugnavit, quominus res illa crearetur à Deo: ergo illud nihil, quod est terminus anihilationis, non repugnavit, quominus eadem res possit iterum habere esse per divinam potentiam. Minor est nota, & maior probatur. Nam mutationes oppositæ habent eundem terminum, licet modo converso, quatenus terminus à quo vnus est terminus ad quem alterius; creatio, & anihilatio eiusdem rei sunt mutationes oppositæ: ergo habebunt eundem terminum, & idem nihil: ergo illud nihil, quòd habet res anihilata, habet eandem possibilitatem

in ordine ad potentiam divinam, quam habebat illud nihil, quòd antecessit primam rei productionem. Hæc ratio procedit de reproductione rei anihilatæ, vt contingit substantiæ panis, quæ per consecrationem anihilatur.

Quantum autem ad substantias corruptas, quæ desinunt esse quantum ad formam, sed non quantum ad materiam, probatur sic ex illis verbis P. Augustini: *Vtique plus est facere, quod nunquam fuit, quàm reparare, quod fuit.* Ex quo sic. Plus est rem facere pleuè ex nihilo, quàm facere ex præsupposito subiecto. Patet hoc, quia primam est create, quòd ita proprium est Dei, vt sit incommunicabile creaturæ: facere autem ex præsupposito subiecto convenit creaturis eductibus formas de potentia materiæ; sed pro reparatione individui corrupti tantum quantum ad formam, sufficit virtus eductiva eiusdem formæ ex præsupposito subiecto: ergo maior virtus requiritur ad creandum ex nihilo, quàm ad restaurandum individuum, quòd defecit tantum quoad formam. Quare si infinita virtus Dei est potens create, à fortiori concedenda est potens quòd; cumque corruptum iterum reproducere.

Confirmatur secundò. Idè agens naturale iuxta communem sententiam non potest idem numero corruptum reproducere, quia

ad illud reproducendum requiritur eadem numero dispositiones, & eadem applicatio agentis ad passum in eodem loco, in eodem tempore, cum eodem motu, & actione: quæ omnia naturaliter non possunt redire. Sed Deus ob suam infinitam potentiam non dependet in agendo à motu, à loco, aut tempore; semperque operatur actione sua æterna, & immanente: ergo nihil obstat, ut Deus possit eandem rem infinities reproducere.

17 Dices cum Durando, potentiam Dei semel producentis effectum, manere integram, & invariata: ceterum effectus redditur impossibilis iterum produci, quia pro hoc petit eandem actionem, qua primò productus est, & quòd agens habeat ad illum eandem habitudinem; sed prima actio non potest iterum redire, nec Deus dicere eandem habitudinē ad rem corruptam, quam dicebat ante corruptionem: ergo compositum, cuius aliqua pars corrupta est, nec per potentiam Dei potest idem numero redire. Hęc solutio, quæ unicuique continet Durandi fundamentum, expressè convincitur falsitatis auctoritate P. Augustini lib. 22. de Civit. Dei cap. 20. ubi agens de carne nobis reddenda in resurrectione, ita dicit: *Et si omnibus periisset modis, nec ulla eius materia in ullis natura latebris mansisset; tamen si vellet, eam repa-*

raret Omnipotens.

Ecce de mente Augustini materia omnino annihilata, potest eadem numero reproducī à Deo omnipotente: ergo forma, quæ per corruptionem transit in nihilum, potest ab Omnipotente eadem reparari. Patet consequentia, quia difficilius est reparare materiam, quæ in nullius potentia continetur, quàm reparare formam destructam, quæ continetur in potentia materiæ existentis. Patet secundò, quia si pro reparanda materia annihilata non requiritur, quòd redeat eadem actio, & eadem habitudo Dei, quam habuit relatè ad primam productionem, nec requiritur pro reparatione formæ. Vel si requiritur, & redit pro materia reparanda, redire potest pro forma reproducenda.

Iam verò, licet pro reproductione faciendā ab agente creato, necessarium sit redire eandem actionem, falsum est, hoc requiri pro reproductione faciendā à Deo. Ratio huius est, quia effectus relatè ad Deum non pendet ab unica actione: ergo per eandem, vel per diversam potest produci, vel reproducī à Deo. Probatur antècedens, & loquimur in sententia asserente, Deum operari ad extra per actionem formalitèr transeuntem, nam si ponitur, Deum agere actione immanente secum identificata, hæc semper eadem est pro ducendo, & reproducendo. In alia senten-

sententia probatur sic. Deus hunc ipsam mundum potuit creare, priusquam illum creavit; sed tunc actio creativa transiens esset distincta ab actione præsentē, cum sibi vindicaret differentiam temporis diversam: ergo idem mundus relatè ad Deum non pendet ab unica actione, sed à diversis. Rursus. Deus cum igne producat alium ignem, potest se solo illum producere; sed actio, qua se solo produceret, est distincta ab actione, qua producit in consortio agentis creati; nam illa est concursus specialis, hæc universalis: ergo effectus relatè ad Deum non petit unicam numero actionem, sed quancunque actionem Dei. Sic dicendum de habitudine Dei ad effectum creatum, nam hæc fit mediante actione: ergo si Deus eundem numero effectum potest producere ista, vel diversa actione, potest ista, vel diversa habitudine.

18 Quòd autem quoad res successivas non sit possibilis reproductio, probatur. Nam de ratione unitatis numericæ rei successivæ est continuitas; patet in tempore, & motu, quæ si dividantur, & discontinuentur, non servant eandem unitatem; sed si res successiva perit, & iterum redit, discontinuatur: ergo non redit eadem numero. Confirmatur. Identitas petit maiorem unitatem, quàm continuitas; sed dies hodierna non

habet sufficientem unitatem, ut continuetur cum anno præterito: ergo implicat, quòd dies hodierna habeat unitatem, ut sit idem cum anno præterito. His, & alijs rationibus probatur quoad istam partem sententia communis. Ceterum sicut lib. 8. Physic. q. 2. defendimus, mundum potuisse esse ab æterno etiā quoad res successivas, quia nulla in contrarium apparet ratio convincens, & iuxta P. Augustinum dicendum est, quòd amplius Deus potest agere, quàm nos possimus intelligere: idè cum Suariorum, & alijs censemus probabilius, Deum posse reproducere etiā res successivas. Vide Suarium loco citato.

Quæres primò, quid sit obiectum formale reproductionis? Secundò, an specie differat à generatione? Tertio, an sit supernaturalis quoad substantiam? Ad primum dicimus, obiectum formale reproductionis esse idem, ac obiectum formale generationis. Inde oritur, quòd sit actio eiusdem speciei cum generatione. Tandem inferitur, quòd est actio naturalis quoad substantiam, & supernaturalis quoad modum. Per quod patet ad secundum, & tertium dubium. Vide N. Lusitanum tom.

cit. de his latè disputantem.

facto, & diffinitum est in Cap. Firmiter de Summa Trinitate. Quæstio ergo est, an divinitus possit elevari creatura ad creandum? Negat D. Thomas 1. p. q. 45. art. 5. & cum eo Thomista. Negant etiam omnes Nostri cum B. Ægidio quodlib. 5. q. 1. & in 2. Sent. dist. 1. q. 3. art. 3. Contracta sententia traditur à N. Veracrucio, ab Arriaga, Hurtado, & ferè omnibus DD. Societatis, quibus rationes probativæ non videntur efficaces. Si velis breviter, & solidè percipere rationes in utramque partem, vide N. Argentinam in 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. ubi tenens sententiam D. Thomæ, & B. Ægidij, solvit quæcumque in contrarium obijciuntur. Ex ipso aliqua breviter hic proponemus, vide etiam Suarezium ubi supra.

Sit ergo nostra sententia cum D. Thomæ, & B. Ægidio. Ratio D. Thomæ est: Potentia infinita non est communicabilis creaturæ; sed potentia creandi est infinita: ergo incommunicabilis. Maior patet, nam omnis creatura est finita; & sic incapax virtutis infinitæ. Probatur Minor. Infinita distantia non potest tolli nisi per potentiam infinitam; sed creatio est fieri rei ex nihilo; & inter nihilum & ens est distantia infinita: ergo potentia creandi est infinita.

4. Ratio B. Ægidij est. Sicut se habet agens secundum ad agens

primum, ita effectus agentis secundum ad effectum agentis primum; sed agens secundum necessariò præsupponit agens primum, nec divinitus potest agere sine tali præsuppositione: ergo effectus agentis secundum necessariò præsupponit effectum agentis primum; & per consequens non potest creare, quia creare est nihil præsupponere, vel nullo præsupposito, producere de nihilo.

Tertiò etiam ex B. Ægidio. Esse cuiuslibet creaturæ, præsupponit essentiam, in qua recipiatur: ergo actio cuiuslibet creaturæ præsupponit aliquid, in quo recipiatur; & per consequens non est creatio, quæ nihil habet præsupponere. Antecedens patet ex dictis 1. Physic. q. ult. de essentia, & existentia. Consequentia probatur, quia sicut res se habet ad esse, ita ad operari.

Quartò ex eodem. Nullum agens creatum potest agere se toto: ergo nullum potest creare. Antecedens patet, nam agens agit secundum quod est in actu, & non secundum quod est in potentia, nam sic patitur, & non agit; sed nullum agens creatum est se toto in actu, nam nullum est actus purus, sed admixtus potentialitate: ergo nullum agens agit se toto. Iam verò prima consequentia probatur. Quod creatur, totum per creationem producitur; sed quod non agit se toto, non potest totam rem producere; nam tunc ageret ultra conditionem

conditionem suam naturæ; & ergo non agens se toto, non potest creare. Antecedens. Nulla creatura agit immediate per suam substantiam: ergo, nulla potest creare. Antecedens latè probatum est 2. Physic. q. 10. Consequentia probatur. Si creatura agit immediatè per accidens, agit transmutando subiectum: ergo agit ex præsupposito subiecto, vnde illi repugnat creare, aut facere ex nihilo. Secundò probatur consequentia. Si creatura agit mediante accidente, quod primò producit, est accidens, & mediante illo substantiam effectus, ut dictum est supra q. 1. n. 11. sed accidens productum præsupponit subiectum, in quo recipiatur: ergo creatura agens veris accidentibus, necessariò agit ex præsupposito subiecto. Explicatur exemplo B. Ægidij quodlib. cit. Eo ipso, quod ignis non potest agere per suam substantiam, sed mediante calore, nequit agere, nisi alterando passum, & quod primò producit in passu, est calor; sed actio alterativa præsupponit essentialitèr subiectum alterabile; calor, etiam productus, præsupponit subiectum receptivum: ergo ignis, & quæcumque substantia creata agens, medijs accidentibus, est impotens creare, aut agere sine subiecto præsupposito.

5. Confirmantur rationes istæ auctoritate, P. Augustini lib. 9. de Genesi ad lit. cap. 15. ubi ait; An-

gelum tam non posse quamvis rem creare. Quamvis ipse se ipsum; sed Angelo in se divinitus potest communicari virtus creativa sui ipsius; ergo nec communicari potest virtus creandi alia. Patet consequentia, quia iuxta P. Augustinum tam repugnat Angelo virtuti, quam alteram. Ex hac auctoritate fortassis colligitur specialis ratio, cur virtus creativa sit incommunicabilis creaturæ: nam talis virtus se extendit ad omne creabile: nec habet, vnde limitetur: ergo si communicaretur Angelo, v. g. posset producere se ipsum; & idè afferit P. Augustinus, tam repugnare Angelo creare, quam creare se ipsum.

Urgetur sic ratio Augustiniana. Virtus creativa ex se se extendit ad omne creabile, nisi aliundè limitetur; sed virtus creativa non potest limitari: ergo virtus creativa non potest communicari, nisi se extendat ad omne creabile. Maior patet, quia obiectum formale virtutis creativæ est ens creabile, sicut obiectum omnipotentis est ens possibile, & sic de alijs. Minor probatur. Virtus, quæ non agit ex præsupposito subiecto, non potest limitari; sed virtus creativa non agit ex præsupposito subiecto, sed ex nihilo; à nihilo autè non potest limitari, nec determinari ad certos effectus: ergo virtus creativa non potest limitari. Secundò. Virtus in tantum limitatur, in quantum determinatur ad talem materiam

nam, & ad tale subiectum sic, vel sic dispositum: ergo virtus, quæ non præsupponit subiectum, nec agit circa determinatam materiã, non permittit limitationem. Tertio. Implicat intellectus, qui sit aliquorum entium cognoscitivus, & non omnium; vnde implicat limitatio virtutis cognoscitivæ ad entia determinata: ergo implicat limitatio etiã virtutis creativæ. Probatur consequentia. Idè antecedens est verum, quia quidquid cognoscitur, cognoscitur sub ratione veri, quæ se extendit ad omnia entia; vnde vel non communicatur virtus cognoscitiva, vel illa est cognoscitiva omnium entium; sed etiã quidquid creatur, producitur sub ratione entis creabilis, quæ se extendit ad omne creabile: ergo &c. Probatur minor. Quidquid creatur, fit ex nihilo, quare non præsupponit in effectu productam rationem entis creabilis, qua convenit cum omni creatura, sed eam efficit, & ex nihilo producit; sed ratio entis creabilis nequit attingi, nisi sub ratione universalissima entis creabilis: ergo.

Hæc ratio coincidit cum ea, quam tradit D. Thomas loc. laud. dicens: *Oportet universales effectus in universales, & priores causas reducere. inter omnes autem effectus universalissimum est ipsam esse. Vnde oportet, quod sit proprius effectus primæ, & universalissime*

cause, quæ est Deus. Producere autem esse absolute, non in quantum est hoc, vel tale, pertinet ad rationem creationis. Vnde manifestum est, quod creatio est propria actio ipsius Dei. En Petrus v. g. non producit naturam humanam absolute, sed naturam humanã vt in Petro: nam si produceret naturam humanã absolute, posset producere se ipsum, quia continetur sub natura humana absolute sumpta. Creatio non producit esse prout in hoc; quia hæc limitatio venit à subiecto præsupposito; creatio nullum præsupponit subiectum: ergo creatio producit esse absolute, & sub ratione universalissima entis creabilis: quare vel non communicatur, vel communicatur sine limitatione, vt se extendit ad omne creabile. Cùmque repugnet creaturæ posse creare se ipsam, eidem repugnat posse alia creare.

6 Pro contraria sententia plura adducit Argentinas, cum quo argue sic. Quicumque effectus non adæquat virtutem primi agentis, illius productio est communicabilis agenti secundo; sed nullus effectus creatus adæquat virtutem causæ primæ, quæ infinita est: ergo virtus productiva talis effectus est communicabilis creaturæ. Secundo. Omnis potentia finita, est communicabilis creaturæ; sed ad creandum sufficit finita potentia: ergo &c. Minor probatur multipliciter.

Primo

Primo sic. Creatura affirmativè sumpta, est finita: ergo negativè sumpta, erit finita. Antecedens patet, & probatur consequentia, quia non plus negat negatio, quàm affirmat affirmatio, nec plus debetur negationi, quàm affirmationi: vnde si esse creaturæ est finitum, non esse, & nihilum creaturæ est etiã finitum. Sed distantia inter terminos finitos est finita, & ad ipsam tollendam sufficit virtus finita: ergo ad creandum sufficit virtus finita.

Secundo. Resistentia inter duo contraria, v. g. inter calorem, & frigus, tollitur per potentiam finitam agentis naturalis transmutantis vnum contrarium in alterum: ergo etiã resistentia, quæ est inter ens, & nihil, poterit tolli per potentiam finitam. Probatur consequentia, quia non requiritur maior potentia ad tollendam minorem resistentiam, quàm ad tollendam maiorem; sed maior est resistentia inter duo contraria, quàm inter duo contradictoria, vt sunt ens, & nihil: ergo.

Tertio sic. Illud, quod à Deo producitur secundum rationem finitam, non requirit ad sui productionem potentiã infinitam; sed qualibet creatura producitur à Deo secundum rationem finitam: ergo non petit virtutem creativam infinitam. Probatur minor ex P. Augustino lib. 83. qq. q. 46. vbi dicit: alia ratione conditus est ho-

mo, & alia equus, & sic de alijs; nulla istarum rationum est infinita: tum, quia in eodè subiecto nõ possunt esse plures rationes infinitæ: tum, quia infinitum est, quo maius cogitari non potest; rationes hominis, & equi cogitantur aliquid maius, quàm ratio hominis tantum.

7 Confirmatur. Creatio non est actio infinita: ergo nec virtus creativa. Antecedens probatur. Terminus creationis est finitus, quia est esse creatum, quod finitum est: ergo & actio creativa finita est. Patet consequentia, maxime in nostris principijs non distinguendis actionem à termino. Rursum. Creatio passio est finita, & vel recipitur in termino, vel est ipse terminus: ergo creatio actio finita est. Patet consequentia, quia actio, & passio vel sunt idè materialiter, vel vna non excedit alteram.

Confirmatur secundo. Generatio activa est communicabilis creaturæ: ergo etiã creatio activa. Antecedens patet in sublanantibus producentibus sibi simile in natura. Probatur consequentia. Generatio secundum suam rationem formalem est nobilior creatione; quod patet, quia generatio ad intra reperitur in Divinis; sed non creatio; at si communicatur ad extra virtus nobilior creatione, non est cur repugnet communicari virtus inferior: ergo &c.

8 Ad primum dic, maiorem esse falsam, nam etiã virtus cre-

ativa omnis entis creabilis non adæquat esse Dei, quod est productivum etiam ad intra: & tamen virtus productiva omnis entis creabilis non est communicabilis creaturæ, alioquin posset se ipsam creare, ut supra arguebamus. Directè respondemus, quod, licet effectus creatus non adæquet virtutem primi agentis, modus tamen producendi ex nihilo, adæquat virtutem agentis primi, quia petit virtutem infinitam, agentem immediatè per suam substantiam: & hoc repugnat agenti secundo.

Ad secundum nego minorem, Ad primam eius probationem dic, quod sicut anima v. g. est quid finitum, nihilum animæ negans animam, finitum est. Cæterum dum anima fit ex nihilo, non fit tantum ex nihilo negante animam, sed ex omni nihilo universalitèr omnia negante. Hoc nihilum universale est terminus infinitus, & sic infinitè distans ab esse animæ creato; quare petit virtutem infinitam.

Ad secundam probationem minoris dic, quod resistentia contrariorum maior, vel minor non facit difficultatem in transitu, nisi ratione difformitatis. Hoc patet, quia calidum magis contrariatur frigido, quàm dulci; & tamen facilius transit calidum ad esse frigidum, quàm ad esse dulce: ergo contrarietas facit maiorem, vel minorem difficultatem ratione solius difformitatis. Sed nulla est maior

difformitas, quàm inter ens, & nihilum, quæ in nullo communicant: ergo maior virtus requiritur ad transitum de nihilo ad esse, quàm ad transitum de contrario in contrariam.

Ad tertium dic, quod rationes illæ ideales sunt idea divina, quæ simpliciter est infinita, cum sit ipsa divina essentia diversimodè imitabilis à creaturis. Distinctio autem unius ideæ ab alia est distinctio rationis, orta ex respectibus idealibus, de quibus egimus lib. 2. Logicæ q. 7. Quare licet in Deo non sint plures rationes infinitæ realitèr, ratio tamen idealis est infinita realitèr, licet non sit realitèr multiplex, & diversa. Præterquam quod Deus producit quodlibet sub ratione entis creabilis, quæ finita est: nec tamen sic producere est communicabile creaturæ, alioquin posset producere se ipsam: ergo dato antecedenti, nempe, quod ratio productiva hominis sit finita, non sequitur intentum.

Ad primam confirmationem dic, quod creatio passio, vel passivè sumpta, est ipse terminus, & sic est quid finitum. Sed creatio actio, vel activè sumpta, est actio immanens Dei cum Deo identificata, & sic quid infinitum, & incommunicabile creaturæ, quæ nequit agere per actionem infinitam. Dum dicitur 3. Physic. quod actio, & passio identificantur, fermo est de actione creata formalitèr

tèr transeunte, & sic nihil indè ad præsens, nam creatio actio est formalitèr immanens, & increata, quæ dicitur virtualitèr transiens, quoniam producit terminum ad extra.

Ad secundam confirmationem dic, quod, licet in Divinis generatio sit nobilior, quàm creatio: at generatio creata non est nobilior creatione. Si tamen generatio, & creatio præcisivè sumantur, & ex terminis, generatio videtur nobilior: cæterum indè nihil sequitur, si id, quod est minus nobile, adiunctum habeat aliquid incommunicabile. Sic contingit in præsentī. Et instatur, nam in Deo perfectiora sunt nostro modo concipiendi attributa positiva, quàm negativa: & tamen plura positiva communicantur creatoris, quibus communicari non possunt negativa, ut immensitas, independentia &c.

§. III.

Quid sit conversio, & an quodlibet possit in quodlibet converti?

Conversio substantialis est transmutatio unius rei in alteram. Hæc est duplex, ut docet D. Thomas 3. p. q. 75. art. 4. Alia formalis, altera totalis. Conversio formalis

est transitus subiecti de una forma substantiali in alteram. Sic contingit, dum lignum convertitur in ignem, non enim ibi fit conversio totalis; quia manet eadem entitas materiæ; fit tamen conversio formalis, quia mutatur forma. Conversio autem totalis est mutatio totalis unius substantiæ in alteram. Hæc reperitur in Santissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo tota substantia panis cum sua materia convertitur in substantiam corporis Christi, & tota substantia vini in Christi sanguinem. De hac conversione totali est quæstio in præsentī, licet ad Theologos pertineat vberior tractatio.

Quæres primò, an unum possit in alterum converti? Pars affirmativa est de fide, & constat in Eucharistia. N. Egidius theom. 1. de Sacram. altaris probat ratione naturali, quod Deus potest facere conversionem totalem, creatura autem solam formalem. Ratio est, quia solus Deus immediatè operans per suam substantiam potest immediatè attingere substantiam nedum partialitèr, sed totalitèr: creatura autem agens medijs accidentibus, agit dependentèr à subiecto, & circa illud; unde non agit in totam substantiam, sed in solam formam: ergo solus Deus potest convertere substantiam totalem in aliam. Vigetur. Solus Deus potens creare materiam, po-

test illam immediatè attingere, & in aliam convertere: ergo cum creatura non possit materiã creare, sed circa illam præsuppositam agere, & formam inducere, non potest efficere conversionem totalem, sed formalem.

Quæres secundò, an Deus possit uti creatura ut instrumento ad conversionem totalem? Ratio dubitandi est, quia creatura non potest esse instrumentum creationis: ergo nec conversionis totalis. Nihilominus tenenda est sententia affirmativa, quia Deus utitur ministerio Sacerdotis ad conversionem totalem Sacramenti Eucharistiæ, ut benè explicat D. Thomas. 4. Sent. dist. 8. q. 1. art. 3. Nec videtur ratio dubitandi, cum sit clara disparitas; nam ad conversionem totalem præsupponitur subiectum, circa quod operatur, nempe substantia panis, quæ destruitur: unde non repugnat creaturæ assumi ut instrumentum, nam ipsi non repugnat actio circa subiectum præsuppositum. Non sic in creatione, quæ supponit nihilum, circa quod creatura nullam potest habere actionem.

10 Quæres tertio, an virtute divina qualibet creatura in quamlibet converti possit? Difficultas est, an sicut corpus convertitur in corpus, possit corpus converti in spiritum, aut spiritus converti in corpus? Affirmat N. Argentinas in 4. Sent. dist. 11. q. 1. art. 1.

concl. 2. Probat, quia non est minoris potentia quamlibet creaturam de nihilo producere, quam quamlibet in quamlibet convertere: sed Deus produxit de nihilo quamlibet creaturam, vel saltem potuit eam de nihilo producere: ergo potest quamlibet in quamlibet convertere. Rursus, Agens habens posse super esse totale cuiuslibet creaturæ, & super eius non esse totale, potest quamlibet creaturam in quamlibet totaliter convertere; sed Deus est agens huiusmodi, nam creans dat esse totale, & annihilans exercet posse supra non esse totale; nulla est creatura, quam Deus non possit creare, aut annihilare: ergo &c.

Explicatur. In conversione totali una substantia plenè annihilatur, altera totaliter de novo producitur: ergo pro conversione totali non maior virtus requiritur, quam creativa, & annihilativa. At Deus potest annihilare substantiam spiritualem, & ibi substituere substantiam corpoream; & è contrà: ergo potest rem spiritualem in corpus convertere, & è contrà. Confirmatur. Deus potest Angelum ex nihilo producere: ergo potest producere Angelum post annihilationem corporis, & ex nihilo, in quod corpus annihilatum reductum est. Sic faciens converteret substantiam corpoream in spiritum: ergo hoc potest Deus virtute sua,

11. Contraria sententia docetur à N. Villanova in præfenti, quia expressa in P. August. 7. de Genesi ad lit. cap. 20. ubi tenens, corpus posse in corpus converti, negat posse converti in spiritum, dicens *Omne quippè corpus in omne corpus mutari posse, credibile est: quodlibet autem corpus mutari posse in animam, credere absurdum est.* Et ibidem cap. 12. dicit: *Omne quippè corpus in omne corpus posse mutari, non defuerunt qui assererent: corpus autem aliquod sive terrenum, sive caeleste, converti in animam, fierique naturam incorpoream, nec quemquam sensisse scio, neque fides hoc habet.* Hic S. Patens loquitur de potentia Dei absoluta: nam loquitur de potentia, qua corpus totaliter convertitur in corpus; conversio autem ista totalis supra naturam est, quæ non agnoscit nisi conversiones formales media alteratione: ergo loquendo de posse absoluto Dei, quo potest corpus in corpus totaliter convertere, negat posse convertere in spiritum.

Neque valet, si respondeas cum Argentina, P. August. loqui de potentia creaturæ, & non de potentia Dei. Nam contra est, quia potentia creaturæ non potest corpus in corpus totaliter convertere, ut dictum est. Imò loquendo de conversione etiã formali, & partiali, non potest quodlibet corpus in aliud convertere, v. g. colum

mutare in terram, aut aliud ex corporibus incorruptibilibus: ergo P. Augustinus loquens de potentia potente convertere quodlibet corpus in corpus, loquitur de potentia Dei.

Eandem sententiam tenit B. Ægidius in 2. dist. 3. p. 3. q. 1. art. 1. §. Tertia via, ubi adducit hæc testimonia P. Augustini. Et theorem. 32. ubi apertè loquitur de potentia absoluta Dei, docet, corpus non posse in animam converti. Rursus theorem. 2. latè probat, quòd, licet possit converti substantia in substantiam, non tamen est possibile quantum in quantum converti. Videantur ibi rationes Doctoris Nostri.

12 Ratio conclusionis nostræ sumitur ex conditione conversionis à Theologis recepta, nempe, quòd ultra terminos à quo, & ad quem conversionis, petitur aliquod tertium commune utrique termino, circa quod termini sibi succedant, & aliquomodo repugnent, ac deniquè fiat tota conversio. Colligitur ex D. Thoma 3. p. q. 75. art. 5. & 4. contra Gent. cap. 63. Et probatur inductione. Nam conversio formalis non stat sine subiecto communi utrique formæ, inter quas fit conversio, ut patet, quando lignum convertitur in ignem. Patet etiã in conversionibus supernaturalibus, v. g. dum in Cana Galilææ aqua conversa est in vinum, & dum vxor Loth ver-

sa est in statuam salis : nam in prima conversione eadem materia perdidit formam aquæ, & recepit formam vini; in secunda eadem materia perdidit animam rationalem, & recepit formam salis. Tandem, in conversione totali Eucharistica datur suo modo aliquid commune utrique termino, nempe accidentia panis, sub quibus fit conversio, tanquam sub medio communi utrique termino. Nec posset verè intelligi successio vnus substantiæ ad aliam, & repugnantia vtriusque, nisi relatè ad aliquod tertium commune utrique termino.

Atqui corpori, & spiritui nihil est commune, quod possit esse medium, circa quod invicem pagnent termini conversionis, & sibi succedant : ergo defectu huius requisiti non potest corpus converti in spiritum, & è contrà. Minor probatur. Nam corpori, & spiritui nihil potest esse commune, quod sit accidens intrinsecum, nam quantitas corporis est quantitas molis, & continua; quantitas autem spiritus est virtus, & discreta. Qualitates autem corporis sunt materiales, & extensæ; qualitates spiritus sunt spirituales, & inextensæ. Sic suo modo de reliquis accidentibus intrinsecis vtriusque substantiæ. Solum enim relatè ad locum possunt habere medium commune, vt si concipiamus, Deum annihilare corpus, & in eo loco

creare spiritum. Caterum locus, sicut extrinsecus est utrique substantiæ, ita extrinsecus est conversioni substantiali : medium autem utrique termino commune, debet esse intrinsecum vni saltem termino, vt patet de accidentibus Eucharisticis, quæ intrinseca sunt substantiæ panis. Rursus. Medium est requisitum, vt circa illud termini conversionis exerceant repugnantiam; at corpus, & spiritus non repugnant in eodem loco, quia quantitas molis, & virtus, licet diversa, potest esse in eodem loco : ergo locus non est medium commune sufficiens ad conversionem corporis in spiritum, & sic nihil est commune utrique conversioni.

13 Ad primum in contrarium dicimus, quod virtus creativa secum trahens annihilativam, est virtus ad conversionem totalem, in qua vna substantia annihilatur, altera de novo ponitur, aut adducitur, vt dicunt Scotistæ de conversione Eucharistica, in qua destruitur substantia panis, & ponitur sub accidentibus substantia Christi, quæ non prodicitur, sed adducitur, vt stet sacramentalitèr sub speciebus panis. At conversio amplius petit quam virtutem creativam, & annihilativam, non quidem ex parte Dei, sed ex parte effectus : nam petit terminum utrique substantiæ communem. At corpori, & spiritui nihil est commune, vt probatur

tum est : ergo conversio corporis in spiritum, licet non repugnet defectu virtutis ad vtramque mutationem annihilativam vnus substantiæ, & productivam alterius, quam supponimus in Deo; repugnat tamèn propter repugnantiam medij, essentialitèr requisiti ad mutationem substantialem. Per hoc patet ad secundum, cuius maior exprimit requisita ex parte agentis, sed non meminit requisiti ex parte effectus ad conversionem. Si enim Deus annihilaret Matriti lapidem, & Romæ crearet Angelum, exerceret potentiam suam supra esse totale Angeli, & non esse totale lapidis : & tamèn tunc non esset conversio substantialis defectu medij utrique substantiæ communis, quod non est cogitabile in tanta distantia vtriusque mutationis lapidis, & Angeli : ergo &c.

Ad explicationem dic cum D. Thoma, quod in conversione totali perit vna substantia, sed non annihilatur, quia remanet aliquid eius, vt contingit in Eucharistia,

vbi remanent accidentia panis. Cumque pro omni conversione sit necessarium aliquod medium commune, idè in omni conversione debent manere aliqua accidentia substantiæ destructæ, quæ idè non dicitur annihilata, sed quod desinit in aliam, aut convertitur in eam. Dato tamèn, substantiam annihilari, & pro corporea spiritualement substitui, aut è contrà, non fieret conversio, quia nullum utrique substantiæ commune medium assignabile est. Ad confirmationem dic, casum esse possibilem, sed non probare intentum, quia pro conversione non solum requiritur ordo inter mutationes annihilativam, & creativam, ita vt vna sit post aliam ordine naturæ, vt contingit inter generationem, & corruptionem deservientes conversioni formali; sed requiritur medium utrique mutationi commune, vt dictum est : hoc medium non datur in tali casu, & sic non fieret conversio.




VERA VERA VERA VERA VERA VERA VERA VERA VERA

QVÆSTIO SEXTA.

Quid sit alteratio, & quotuplex, ac qualiter fiat?

§. I.

Traditur diffinitio alterationis, & quedam dubia dissolvuntur.



Alteratio secundum nominis etymologiam est motus, per quem res altera efficitur, & in hoc differt à generatione, per quam subiectum fit aliud. Omisissis varijs diffinitionibus, de quibus Prado hic, diffinitur potest alteratio: *Transitus successivus ab una qualitate ad aliam*, v. g. à frigore ad calorem. Dicitur transitus successivus, ut excludatur alteratio instantanea, quæ non est propriè talis, nec pertinet ad hunc locum, ubi agitur de alteratione, ut concludit ad generationem; hæc enim est alteratio successiva, non instantanea, ut illuminatio aeris, & emissio specierum visibilium. Dicitur ab una qualitate ad aliam, ut distinguamus alterationem ab augmentatione, quæ est transitus successivus ad quantitatem; & per

idem distinguitur à motu locali, qui est transitus successivus de loco ad locum. In Logica prius actum est de quantitate, quàm de qualitate: quia ibi actum est de prædicamenti secundum ordinem essendi, & post substantiam prima est quantitas inter omnia accidentia. Hic vice versa prius agit Philolophus de qualitate alterante, quàm de augmentatione quantitatis, tum, quia prius est cibum alterari, quàm converti in substantiam aliti, ut fiat augmentatio viventis: tum, quia alteratio disponit ad generationem substantialem; augmentatio autem supponit genitum, & generationem.

Alteratio differt multipliciter à generatione substantiali. Primo ex parte termini: nam terminus generationis est substantia, alterationis autem est qualitas. Secundo ex parte subiecti: nam subiectum generationis est materia, alteratio-

nis

nis verò est compositum. Tertio ex parte termini à quo: quia terminus à quo generationis est privatio formæ, & sic est contradictorius termini ad quem; terminus à quo alterationis est positivus, & contrarius termino ad quem. Quarto ex parte durationis: nam generatio est instantanea, alteratio est successiva. Quinto ex parte ordinationis: quia generatio est propter suam formam; alteratio non est propter formam accidentalem, sed propter formam substantialem, ad quam ordinatur tanquam ad finem.

Hic communiter dividitur alteratio in perfectivam, & corruptivam. Prima est, quæ perficit subiectum sine alia mutatione, ut visio, quæ nihil destruit in subiecto: alia est, quæ transmutat subiectum de una qualitate in aliam, ut calefactio, quæ destruit frigus. Doctrina ista est præter mentem Aristotelis, qui non agnovit nisi alterationem corruptivam deservientem generationi: & idè negavit, cælum esse alterabile, nè cogere-tur fateri, illud esse corruptibile.

2. Hinc ab aliquibus quaeritur, an si esset impossibilis generatio, impossibilis etiàm esset alteratio? Affirmant Rubius, Ioannes à S. Thoma, citati à Mastrio. Probatur. Nam alteratio versatur inter qualitates contrarias, mutuo se expellentes ab eodem subiecto, & hæc expulsio ordinatur ad expulsionem formæ substantialis: ergo si

repugnaret corruptio, & generatio substantialis, repugnaret alteratio. Patet consequentia; quia, repugnante fine, repugnant media ordinata ad finem. Confirmatur. Quia iuxta Aristotelem cælum est incorruptibile, idè est inalterabile: ergo si inter sublanata repugnaret generatio, nulla esset alteratio. Confirmari potest ex illo asserto Theologorum, docentium, quòd post diem iudicij cessabunt generationes, & ut dicitur in Apocalypsi: *Tempus non erit amplius; sed tunc nulla erit alteratio: ergo ex repugnantia generationis redditur alteratio impossibilis.*

Contraria sententia docetur à N. Gavardi cum P. Augustino 9. de Genesi ad lit. cap. 18. ubi ait: *Habet ergo Deus in se ipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit, easque implet, non illo ordine providentiæ, quo naturas substituit, ut sint, sed illo, quo eas administrat, ut voluerit, quas, ut voluit, condidit.* Ex quo sic. Licet iuxta rationes præsentis providentiæ calor in summo sit proprietas ignis, nec possit communicari ligno nisi destruendo formam ligni, & introducendo formam ignis; *habet Deus in se ipso absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit; quare potest facere, quòd calor in summo in alia providentiæ non sit proprietas ignis, sed accidens commune; vel potest facere, quòd*

agentia sibi mutuo violentè communicant qualitates sine destructione substantiæ, & de facto ita contingit in igne Inferorum, qui violentè molestat corpora, & spiritus, nec tamen destruit substantiam, quæ manet in æternum corquenda: ergo stat possibilis alteratio, etiã quando impossibilis est generatio substantialis.

3. Alteratio est triplex, nempe *simplex*, qua producitur essentia qualitatis in subiecto: *intensio*, qua qualitati iam productæ superadditur novus gradus: *remissio*, qua receditur à maiori gradu ad minorem. Antiqui Philosophi simplicem alterationem non computaverunt inter species alterationis, quia fit in instanti, eo quod tota essentia qualitatis est indivisibilis, & in instanti producitur. Moderni computant primam productionem qualitatis inter species alterationis, & eam vocant nomine sui generis. Vtrumq̃ probabile est. Primum, quia alteratio, est motus successivus; sed prima productio qualitatis, & quantitatis fit cum substantia, quæ producitur in instanti; qualitates autem adventitiæ fiunt in instanti quoad primum sui esse: ergo talis productio non est alteratio. Secundum probatur etiã, nam per receptionem primi esse qualitatis, subiectum mutatur intrinsecè, & fit res altera: ergo alteratur. Primus dicendi modus videtur verior. Nam punctus,

qui est principium lineæ, non est linea: sed primum esse qualitatis est principium, & terminus à quo alterationis: ergo non est alteratio. Quidquid sit,

Opportet præ oculis habere doctrinam datam §. Physic. q. 1. §. 4. ubi probatum est, non dari per se motum ad primam speciem qualitatis, quæ est *habitus*, & *dispositio*: nec dari ad secundam speciem qualitatis, quæ est *naturalis potentia*, vel *impotentia*: nec dari ad quartam speciem qualitatis, quæ est *forma*, & *figura*; sed solum dari ad tertiam speciem, quæ est *passio*, & *passibilis qualitas*. Ibi dictum, solum dari motum per se ad eas qualitates, quæ habent latitudinem gradualem, successivè acquirendam, vel deperdendam; sed latitudo ista gradualis requiritur ad alterationem intensiois, & remissionis: ergo illæ qualitates quæ non terminant motum per se, vel non habent latitudinem gradualem, non spectant ad præsens institutum.

4. Quæres, quid sit intensio, & remissio? Pro resolutione nota, quod augmentum propriè reperitur tantum in quantitate; & dum invenitur in alijs rebus, id provenit ex participatione quantitatis, & ut ab illa participat modum quantitativum. Hoc fit tripliciter. Primum, ratione subiecti, in quo est, quia videlicet forma recipitur in quantitate, vel in subiecto exten-

so: hoc modo albedo est multa, ut ait Aristot. cap. de quantitate, quia superficies, in qua recipitur, multa est; & ad extensionem partium superficiæ extenduntur partes albedinis, & aliorum accidentium, quæ in quantitate recipiuntur. Vide B. Ægid. theorem. 28. Secundò, potest forma habere modum extensionis, & augmenti ratione objecti, circa quod versatur: sic scientiæ, & habitus habent modum extensionis relatè ad objectum, nam habitus maior dicitur, quando ad plura objecta se extendit.

Tertiò, potest forma augeri per ordinem ad subiectum, & ad eandem partem subiecti, illud magis & magis perficiendo ratione graduum, quos forma habet. Hoc augmentum est proprium qualitatis, quia provenit à gradibus perfectionis, qui qualitati conveniunt ratione sui. Quapropter augmentum qualitatis circa diversas partes subiecti est extensio, & convenit qualitati ratione quantitatis, in qua recipitur. Augmentum autem qualitatis circa eandem partem subiecti est *intensio*; sicut diminutio qualitatis circa eandem partem subiecti est *remissio*: cumque uterque motus intensiois, & remissionis conveniat qualitati ratione suæ propriæ latitudinis gradualis; ideo qualitati per se convenit intensio, & remissio,

5. Quæres, an intensio & re-

missio conveniat soli qualitati? Respondemus cum communi sententia affirmativè. Hoc latè probatur à Suarez in Metaph. disp. 46. sect. 2. Et sigillatim suadetur primò de substantia sic. Ad intensioem, & remissionem requiritur latitudo gradualis, successivè transcurrentis, da, ut dictum est; sed in formis substantialibus non est huiusmodi latitudo gradualis: ergo in genere substantiæ non datur intensio, & remissio. Prob. minor, tum auctoritate Philosophi dicentis, substantiam non suscipere magis, & minus: tum etiã, quia si forma ignis gradus haberet, sicut forma caloris, sequeretur, unum ignem esse magis ignem, quàm alterum; sicut ratione caloris unum calidum est magis calidum, quàm aliud. D. Thomas 1. p. q. 76. art. 4. & 1. 2. q. 52. art. 1. dat rationem, cur forma substantialis non possit intendi, & remitti, nempe, quia dat primum esse compositum; & oportet, quod hoc esse sit fixum, & invariabile.

Circa quantitatem probatur, nam ipsa est proprietas materiæ, sapitque naturam illius; sed materia non habet latitudinem gradualem: ergo nec proprietas eius. Rursus. Proprius effectus quantitatis est extensio partium subiecti; sed ad extensionem partium subiecti non conducit intensio, quæ versatur circa eandem partem subiecti, ut dictum est; ergo in-

tenſio non convenit quantitati. Dices, eadem quantitas condenſatur, vel rareſcit; dùm condenſatur, intenditur; dùm rareſcit, remittitur, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 5. ad 1. Respondemus, denſum & rarum eſſe qualitates, quæ reſultant ex maiori, vel minori extensione quantitatis in ordine ad locum. Quare quantitati convenit extenſio localis, ſed non intenſio & remiſſio denſi, & rari, quæ qualitates ſunt. Hinc dicitur, quòd quantitas non ſuſcipit magis & minus ſecundùm intenſionem, ſed ſecundùm augmentum, & extenſionem.

De reliquis prædicamentis eſt minor difficultas, quia actio, & paſſio dicuntur intenſiæ non ratione ſui, ſed ratione termini, v. g. calefactio eſt intenſior ratione maioris caloris, ad quem terminatur. At quia accidentia ſibi mutuo præſtant modos proprios: idèd ſicut à quantitate participat qualitas extenſionem; ſic à qualitate participant quantitas, actio, & paſſio modum intenſionis. Re vera ſoli qualitati per ſe primò convenit intenſio, quia illi ſoli convenit latitudo gradualis.

§. II.

An alteratio ſit motus continuus?

Difficultas eſt de alteratione intenſivè, & extenſivè accepta. Prima

ſententia aſſertit; alterationem fieri per mutationes inſtantineas, & diſcretas, nec poſſe fieri per motum continuum. Ita Soncinas 8. Methaph. q. 22. Capreolus, & alij, quos citat Averſa. Citatur D. Thomas 8. Phyiſic. lect 5. vbi docet, non eſſe poſſibile aliquid continuè augeri, vel minui, quod etiam Ariſtoteles tradit ibi textu 23. Ad idem Commentator ibi Commento. 6. dicens, intenſionem non eſſe vnum medium continuum, ſed plures alterationes. Probatur ratione. Nam qualitas cùm in principio fit, in inſtanti fit, & per mutationem indiviſibilem: ergo dum poſteà augetur, per ſimiles mutationes, augetur. Antecedens patet, tum quia res permanens incipit per primum ſui eſſe iuxta Ariſtot. 8. Phyiſic. textu 69. tum etiam, quia in his qualitatibus datur minimum ſecundùm intenſionem, quod neceſſe eſt fieri in principio indiviſibiliter, & idèd per mutationem indiviſibilem, & inſtantineam. Conſequentia probatur, primò quia quilibet gradus additus qualitati iam productæ, eſt ejuſdem rationis, & indiviſibilis, ſicque fit in inſtanti. Tum etiam quia agens extrinſecam non eſt minus potens agere in inſtanti ſequenti, ac in primo: ergo ſi in primo produxit indiviſibiliter qualitatem, potiori ratione in momento poteſt producere novum gradum qualitatis, maximè

maximè quia invenit paſſum magis diſpoſitum per gradum formæ iam primò productum.

Rufus. Si alteratio eſſet motus continuus, ſequeretur, qualitatem eſſe infinſitam in ultimo inſtanti motus: quod eſt falſum, & impoſſibile. Sequela probatur. Nam in quolibet inſtanti tantum de forma acquiritur, quantum in primo; ſed in tempore continuo ſunt infinita inſtancia, ſicut in quantitate ſunt infinita puncta, vt dictum eſt de cõpoſitione continui 6. Phyiſic. ergo in fine motus continui haberet qualitas gradus infinſitos. Prætereà. Si alteratio eſſet motus continuus, ſequeretur, quòd inſtancia temporis eſſent ſibi immediata, quod reprobatur à Philoſopho 6. Phyiſic. Sequela probatur. Nam quilibet gradus formæ eſt indiviſibilis, & acquiritur in inſtanti: ergo ſi acquiſitio graduum continua eſt, ſequitur, inſtancia temporis continuari, & immediatè uniri.

7. Contraria ſententia eſt communis, & docetur à Suario diſp. 46. Methaph. ſect. 3. n. 7. vbi dicit, primam eſſe contra communem Philoſophiã. Obſervat, quòd licet motus intenſionis ſit continuus, non talitèr, vt aliquando non interrumpatur, quod patet experientia: & in hoc ſenſu loquuntur Ariſtoteles, & Commentator. Caterùm, dum motus ad qualitatem fit, continuè fit. Varias rationes adducit Prado in præ-

ſenti q. 17. quas omittimus, quia vel procedunt ex particularibus principijs, vel facile poſſunt diſſolvi. Præcipua ratio huius aſſerti ſumitur ex Ariſtotele 6. Phyiſic vbi D. Thomas, & B. Egidius cum ipſo docent, unitatem motus ſummi ex continuatione; ſed alteratio eſt motus, vt patet ex dictis hic, & 5. Phyiſic. ergo vel alteratio nullam habet unitatem, vel habet continuationem.

Tertia ſententia media inter præcedentes traditur à B. Egidio 1. de Generat. q. 26. & 8. Phyiſic. vbi dicit, alterationem eſſe continuum quoad intenſionem, ſed in interruptum, & eſſe diſcretam, quoad extenſionem: hoc ita explicatur, nam primò ignis incipit calefacere minimam partem ſubiecti, & aliqua morula ſucceſſiva ibi calorem intendit. Tunc quieſcit per quoddam exiguum ſpatium, & rurus in alia minima parte ſubiecti calorem inducit, quem ibi etiam ſucceſſivè intendit, & ſic deinceps. Sententiam iſtam ſic explicatam defendunt Noſtri, ſed præ cæteris ſolius, & prolixius N. Ariminenſis in 1. Sent. diſt. 17. q. 2. vbi plenè ſententia iſta fundatur, & ab obiectionibus vindicatur. Vide etiã N. Gavardi q. 2. de Alterat. art. 2. Quoad primam partem ſententia iſta probatur, ſicut præcedens.

Quoad ſecundam probatur ſic. Illud, quòd ſit præciſè in diverſis inſtantijs, non eſt motus conti-

nuus, sed discretus; at extensio alterationis de vna parte subiecti ad aliam fit præcisè in diversis instantibus: ergo talis extensio non fit per motum continuam, sed discretum. Maior patet, quia duo instantia temporis non possunt immediate uniri, & copulari. Minor probatur. Eadem ratione, qua qualitas introducit in primam partem subiecti, introducit in secundam, & reliquas partes, ut fiat extensio; sed in primam partem qualitas introducit indivisibiliter, & in instanti, ut dictum est: ergo extenditur ad alias partes per varias productiones indivisibiles, quæ sunt in instanti.

8 Hunc modum dicendi impugnat Suarez ubi supra n. 9. inquirens, cur in illis morulis cesset agens ab actione sua, & cur iterum ad illam redeat? Non enim est agens voluntarium, ut pro suo arbitrio nunc cesset ab agendo, postea iterum agat. Nec etiam ex parte agentis potest reddi ratio; nam supponitur habere semper eandem virtutem, & æqualem, vel maiorem propinquitatem ad passum. Sic etiam supponitur non esse rationem ex parte medijs, quia medium est idem, dum agens operatur, & quiescit. Nec denique potest reddi ratio ex parte passi; quia etiam illud est idem, æquè, vel magis dispositum ad recipiendam actionem agentis: ergo ex nullo capite potest reddi ratio, cur agens alte-

rans suam actionem interrumpat morulis otiosis, & planè confictis. Vide alia apud Suarez, quæ non tam impugnant sententiam Agidij, quam Soncinatis supra explicatam, & idè illa prætermittimus.

Ad quæsitum Suariz respondemus, morulas illas imperceptibiles colligi in motu successivo per rationem tantum, qua probatum est, alterationem extensivam fieri diversa actione, ac intensivam; nam alteratio intensiva novos gradus qualitatis producit stricto motu successivo, & continuo; alteratio autem extensiva producit sine motu primum esse qualitatis in altera parte subiecti, sicque producit in instanti, non per motum, sed per mutationem instantaneam. Ergo agens alterans intensivè, & extensivè, variat actiones, iam agendo per motum, iam per mutationem instantaneam. Sed illæ actiones non possunt exerceri, & variari ab agente sine morulis illis interpositis: ergo morulæ illæ admittendæ sunt. Probatur minor. Si nulla admittitur morula inter illas duas actiones, continuabuntur, & fient unica actio, & motus, per quam produceretur non sola intensio qualitatis in eadem parte, sed etiam extensio eius ad novam partem subiecti; sed probatum est à DD. sententiæ Agidiana, quod in extensione qualitatis ad aliam partem subiecti, illud primum esse non fit per motum,

tum, sed per mutationem instantaneam: ergo ibi probatum est, quod actio intensiva non continuatur cum extensiva; & sic morula quietis agentis admittenda est. Hinc Suarez respondemus, rationem pro his morulis petendam non ex parte agentis, medijs, aut passi, sed ex parte actionum, & termini intensivi, & extensivi qualitatis.

9 Ad fundamenta primæ sententiæ, quatenus nostræ in prima parte opponuntur, respondemus, & ad auctoritates dicimus, ibi continuè sumi pro perpetuò, ita ut sensus sit, alterationem non esse perpetuam, ut putavit Heraclitus, tenens, res perpetuò alterari. Vel dic, sensum Philosophi esse, alterationem non ita esse continuam, ut nunquam cesset, & postea prosequatur: ceterum dum exercetur, continuè exercetur de mente Philosophi, Commentatoris, & D. Thomæ, qui 1. de Generat. lect. 24. dicit: *Motus continuus non est nisi in tribus generibus, scilicet, in quantitate, qualitate, & ubi.*

Ad rationem probativam, concessio antecedenti, nego consequentiam. Nam qualitas quoad primum esse fit in instanti, & sine motu, ut bene probat argumentum, & quod dicitur ex dictis à nobis 6. Physic. q. 4. ubi egimus de inceptione rerum permanentium, quæ fit per primum sui esse, ad differentiam successivarum, quæ sunt per ultimum sui non esse: vi-

de ibi dicta. Indè non sequitur, quod reliqui gradus qualitatis post primum fiant mutatione instantanea, quare negamus consequentiam de primo esse qualitatis ad reliquos gradus intensificationis. Ad primam probationem consequentiæ dicimus, secundum gradum qualitatis esse eiusdem rationis cum primo quantum ad entitatem, sed non quantum ad fieri, quia fit per motum strictum terminatum ad qualitatem; qui supponit primum esse qualitatis factum per mutationem instantaneam. Ad secundam probationem consequentiæ dic, quod agens producit per motum reliquos gradus qualitatis, non quia sit minus potens, ac fuit; sed quia conformatur cum natura termini intensibilis, quæ petit gradus intensificationis fieri motu stricto ad qualitatem.

Ad aliud dic, quod sicut tempus finitum est divisibile in infinitum, & sic constat infinitis partibus se communicantibus; ita motus continuus, qui tempore mensuratur, & forma gradualis, quæ per motum acquiritur, est in infinitum divisibilis, habens partes infinitas proportionales, ut dicitur in compositione continui 6. Physic. Indè non sequitur, motum esse infinitum, nec infinitum tempus: ergo nec qualitas probatur infinita. Ratio omnium est, quia partes aliquotæ, & non se communicantes, sunt finitæ, & faciunt exten-

sionem finitam. Sic instantia temporis finiti, correspondentia partibus aliquotis, finita sunt: in eis acquiritur novus gradus qualitatis, si agens operatur; unde solos certos, & finitos gradus habet qualitas intensa, dū motus terminatur. Ad ultimum dic, gradus qualitatis non esse indivisibiles, sed quemlibet esse divisibilem in infinitū, ut dicitur etiam de quantitate minima, semper tamen divisibili. Ita tenet Suarez ubi supra, & docetur à Pado de mente antiquorum Thomistarum, quidquid in contrarium sentiant PP. Complutenses, & Ioannes à S. Thoma. Huiusmodi divisibilitatem habet qualitas, nè componatur ex solis indivisibilibus, eius latitudo gradualis. Quare non semper acquiritur motu intensiōnis integer gradus qualitatis; sed aliquando quarta pars, tertia, aut dimidium gradus iuxta maiorem activitatem agentis alterantis.

§. III.

Quomodo qualitates contrariae sint compatibiles in eodem subiecto?

10 **C**ontraria sunt, quae sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt. Hinc oritur dubium, an qualitates contrariae

fiant compatibiles in eodem subiecto? Communis sententia docet, qualitates istas in gradu remisso, esse naturaliter compatibiles, sed non in gradu perfecto. Hoc ultimum constat ex definitione contrariorum, quae verificatur saltem de contrariis in gradu perfecto: unde summus calor plenè excludit frigiditatem à subiecto, & è contra: ergo quia naturaliter sunt incompatibiles. Prima pars traditur ab Aristot. 5. Physic. cap. ult. textu 62. ubi fatetur, contraria aliquomodo esse simul in eodem subiecto. Et cap. 2. & 4. dixerat, aliquid esse magis tale, vel minus, quod plus, aut minus habet de admixtione contrarij. Probatur etiam experientia innegabili. Nam quando aqua calefit ab igne, aliquem calorem recipit; nec tamen amittit totam frigiditatem: ergo tunc manent in aqua simul duo contraria remissa, & refracta, nempe calor & frigus.

Contraria sententia docetur à N. Ariminese in 1. dist. 17. q. 3. quem sequitur Soncinas 10. Metaph. q. ult. Probant, quia qualitates non sunt contrariae ex vi intensiōnis, sed ex vi essentiae specificae, ut docet Philosophus 10. Metaph. textu 13. & 14. ubi ait, contrarietatem esse oppositionem secundum formam; sed qualitates, quantumvis remissae, sunt essentialiter formae oppositae: ergo nec in gradu remisso possunt coexistere

in eodem subiecto. Secundo, quia qualitates mediae inter extremae sunt verae qualitates, constitutae in aliqua specie qualitatis: ergo non possunt constare ex ipsis extremis formaliter sumptis; quia impossibile est ex speciebus diversis, & completis in suo genere tertiam speciem componi. Antecedens patet inductione in coloribus medijs, qui sunt per se, & proprie qualitates distinctae ab extremis. Idem videtur in temperamento ad formam mixti, nam est qualitas una, sicut forma mixti per se una est.

Confirmatur. Si contraria refracta, & remissa, sunt in eodem subiecto, simul denominabunt: ergo aqua v. g. simul dicitur calida, & frigida. Sed hoc est impossibile, quia denominationes contrariae inferunt contradictoria: ergo &c. Confirmatur secundo. Non est maior contrarietas inter motus, quam inter qualitates terminantes motum; sed respectu eiusdem pasci non potest simul dari duplex motus contrarius, v. g. calefaciendi, & infrigidandi, etiam in gradibus remissis: ergo nec calor, & frigus refracti possunt esse in eodem subiecto.

Si queras ab his DD. quid contingit, quando aqua incipit caleferi? Respondent, quod non inducitur novus calor coexistens frigiditati aquae, sed tota frigiditate expulsa inducitur nova quali-

tas, quam dicimus tepidam, & virtualiter continet calorem, & frigus in gradibus remissis. Quod si iterum queras, quid efficit novus calor ignis in aquam iam tepidam? Respondere debent, expellere qualitatem tepidam, & novam inducere calidiorum. At hoc stare non potest, quia plenè evanescit receptam Philosophiam de intensiōne & remissionē qualitatum. Probatur sequela. Nam iuxta hos DD. aqua dum primò calefit, plenè deperdit pristinam frigiditatem: ergo illa frigiditas non erat remissibilis, & paulatim deperdenda, sed expellenda per primam mutationem instantaneam agentis contrarij. Præterea. Si aqua per primam calefactionem amittit totam suam frigiditatem, quomodo conservatur, & non evanescit in vapores? Sanè, dum continuo calore agitur aqua, rarefit, & evanescit, amissa sua frigiditate: ergo si illam amittit per primam calefactionem, non poterit substantia aquae conservari. Dices. Conservatur vi qualitatis tepidae, productae ab igne. Contrà. Nam activitas prima ignis, vix potest introducere in aquam parvum caloris gradum: ergo non est talis, ut possit ab aqua expellere totam frigiditatem connaturalem, & dare ipsi novam qualitatem æquivalentem. Pro tali enim immutatione necessaria est alteratio diuturna, ut testatur experientia.

11 Ad fundamenta sententiæ contrariæ respondemus, & ad primum dicimus, quod licet oppositio qualitatum non sit ratione intentionis, sed ratione formæ; intensio autem est conditio requisita ad exercendam contrarietatem: nam quo maior est intentio vnius contrarij, eo magis pugnat cum opposito vsque dum crescente intentione, expellit illud totaliter à subiecto. Hæc oppositio formaliter venit à qualitatibus secundum essentiam, sicut discurrere venit à rationalitate: cæterum sicut discursus hominis, & rationis vsus pendet à determinata ætate, tanquam à conditione; ita oppositio essentialis qualitatum pendet à determinata intentione, quæ non fit in instanti, sed motu successivo, & diuturna pugna qualitatum. Hinc dicimus, quod qualitates remissæ sunt formæ essentialiter incompatibiles ex se, quia essentialiter sunt capaces intentionis sufficientis ad mutuam expulsionem: dum autem hæc intentio deficit, cessat incompatibilitas, non defectu rationis formalis, sed defectu conditionis. Sic in puero non est vsus rationis, licet sit in eo ratio formalis discurrendi, quia nempe deficit conditio, & requisitum ætatis sufficientis, aut dispositionis internæ organorum, à quibus anima pendet in statu contractionis.

Ad secundum dicimus, quod qualitates mediæ aliquando sunt

distinctæ ab extremis, vt patet in coloribus rubeo, & viridi, qui solum virtualiter continent album, & nigrum extremè oppositos. Aliquando autem qualitates mediæ non sunt distinctæ ab extremis remissis, vt patet evidentè in qualitatibus spiritualibus. Non enim virtus remissa, est qualitas mediæ, virtualiter continens virtutem, & vitium, sed est coexistentia vtriusque in gradu remisso. Ergo quod in coloribus duntaxat qualitates mediæ distinctæ ab extremis, non nascitur ex incompatibilitate qualitatum in gradibus remissis, sed ex natura ipsa, & genere qualitatum. Suprà vidimus, tepiditatem aquæ non esse qualitatem distinctam à calore, & frigore, sed coexistentiam vtriusque in gradu remisso. Quantum autem ad temperamentum dicimus, non esse qualitatem specialem, sed mixtionem ex quatuor qualitatibus in esse remisso cum certa proportionem, vt dicitur hic cum Philosopho cap. 10. & traditur à D. Thoma 1. p. q. 76. ait. 4. ad 4.

Ad primam confirmationem dic, quod contraria in gradu remisso non præstant suas denominationes, sed denominatio sumitur à qualitate prævalente, vt dum dicitur aqua calida, nam tunc calor superat frigiditatem, vel saltè magis sentitur, quam frigiditas, & ab eo sumitur denominatio: vel dicitur aqua tepida ad denotandum,

dum, frigiditatem excedere calorem. Nunquam tamèn aqua simul denominatur calida, & frigida, licet sit qualificata. Si tamèn denominaretur à calore, & frigiditate, non esset inconueniens: nam si forma in gradibus remissis non sunt incompatibiles, nec etiàm denominationes ab eis sumptæ inferunt contradictoria.

Ad secundam confirmationem dic, non posse circa idem passum dari duos motus contrarios, etiàm in gradu remisso, non præcisè ratione contrarietatis, sed ratione incompatibilitatis naturalis duorum agentium circa idem passum. Ageas in tantum agit, in quantum tangit; sed duo agentia non possunt simul tangere idem passum: ergo non possunt mouere passum motibus contrarijs etiàm remissis. Confirmatio adducens incompatibilitatem motuum contrariorum, dat non causam pro causa, quia tribuit contrarietati motuum, quod tribui debet incompatibilitati agentium circa idem subiectum.

12 Quæres, an diuinitus possint contraria coexistere in gradibus intensis? Negat Auerſa, citans plures, & ex antiquis Iauellus, & omnes illi, qui putant, ex huiusmodi contrarijs necessariò inferri contradictionem. Accedunt ex parte illi Thomistæ, qui tenent, materiam adhuc diuinitus non posse in formari duplici forma substantiali: nam vel formæ substantiales non

habent oppositionem, nisi ratione qualitatum; vel saltè non habent maiorem, quam sit inter qualitates summè intensas: ergo si istæ admittuntur diuinitus compatibiles, videtur dicendum, formas etiàm substantiales esse compatibiles.

Nihilominus dicendum est cum veriori sententiæ, qualitates contrarias posse diuinitus coexistere in gradibus intensis. Hoc dupliciter defendi potest: primò tenendo etiàm idem de formis substantialibus iuxta dicta 1. Physic. q. 16. & hoc nullam habet difficultatem, quæ non solvatur ex ibi dictis. Vel supposita impossibilitate duplicis formæ substantialis in eadem materia, defendi potest, qualitates contrarias esse compatibiles diuinitus. Disparitas inter formam, & qualitatem est, quod formæ substantiales mutuo se expellunt formaliter, & expulsio est effectus formalis negatiuus, essentialiter connexus cum effectu primario positivo formæ; quare nec diuinitus potest impediri. At vna qualitas expellit aliam efficienter, & sic dependentèr à Deo prima causa efficiente: ergo per hoc, quod Deus suspendat suam concursus, vt potest diuinitus, vna qualitas quantumcumque intensa, non expellit aliam, & sic erunt ambæ diuinitus compatibiles. Excipe tamèn qualitates vitales, v. g. amorem, & odium eiusdem obiecti, nam in his specialis incompatibilitas sumitur


ex obiecto, quia obiectum amoris destruit formale obiectum odij, & sic non possunt versari circa idem obiectum.

Hinc colliges, quòd qualitates contrariæ in gradibus intensis opponuntur stricta contrarietate connaturalitèr, sed non essentialitèr. Et licèt earum essentia petat huiusmodi contrarietatem, petit illam, sicut essentia accidentis inhæsiõnem. Vndè sicut accidens potest diuinitus esse sine inhæsiõne actuali, cum sola exactiva, & aptitudinali; ità qualitates contrariæ in gradu intenso possunt diuinitus coexistere sine exercita contrarietate mutux expulsionis, cum sola exigentia ad exercendam contrarietatem.

Nota secundò, quòd ex oppositione contraria qualitatum, si exercetur, infertur oppositio contradictoria: sed non, quando non exercetur. Ratio primi est, quia calor expellendo frigus, infert carentiam frigoris: vndè si per im-

possibile calor, & frigus coexisterent, & simul exercerent contrarietatem, verificarentur hæc contradictoria *frigus existit, frigus non existit*. Existeret frigus, quia supponitur coexistens calori: non existeret, quia supponitur calor exercens contrarietatem expellendo frigus. Cùmque Deus non possit verificare duo contradictoria, ideò non potest ponere coexistentia duo contraria, vt exercent contrarietatem. Ratio secundi est, quia si calor non exercet contrarietatem, non expellit frigus, nec infert carentiam frigoris: ergo non sequuntur hæc contradictoria *frigus existit, frigus non existit*. Cùmque Deus possit per meram suspensionem concursus impedire exercitam oppositionem qualitatum, vt dictum est; potest ponere in eodem subiecto contraria intensa, quin sequatur implicatio. Vide dicta de formis substantialibus.

loco cit.



QVÆSTIO SEPTIMA.

Quomodò fiat intensio qualitatum?

§. I.

Impugnatur sententia quorundam, quæ non tam explicat, quàm evertit intensiõnem.



Supponit quæstio, qualitates aliquas intensi, & crescere augmento proprio qualitatis, nõ tantum ex-

tensivo, sed etiã intensivo, vt patet ex dictis, & probat experientia in aqua magis, vel minus calida, vt tacta, & visu percipimus. Hæc suppositio est de fide in formis, & subiecto spiritualibus: nam datur augmentum charitatis, fidei, & spei, quod petimus à Deo in illa oratione, qua dicimus: *Da nobis fidem, spei, & charitatis augmentum* &c. Cùm anima nostra sit indivisibilis, augmentum harum virtutum non est extensivum, sed intensivum: ergo qualitates istæ supernaturales sunt capax intensiõnis. Quare cùm eadem ratio sit, vel potior de qualitibus corporeis, tenendum est, eas esse inten-

sionis capaces. Dubium est, quomodò fiat intensio ista? Et priusquam præcipuas sententias expendamus, oportet quorundam opinionem refellere, quæ non explicat, sed potius evertit intensiõnem qualitatum.

Dicit hæc opinio, quòd, cùm forma intenditur, non perficitur eadem forma, sed expellitur qualitas præcedens, & inducitur nova perfectior. Itã Gostredus quodlib. 11. q. 3. Datandus in 1. dist. 17. q. 7. Gilibertus, Albertus, & N. Barleus citati à Nipho 8. Metaph. dist. 11. Probari potest eis argumentis, quibus præcipua sententiæ se mutuò impugnant: nam eis convincitur, quòd intensio non fit per additionem gradus ad gradum, vel per maiorem radicacionem formæ in subiecto; sed si in motu intensiõnis perseveraret pristina forma, illa intenderetur per additionem, vel per maiorem radica-

dicationem: ergo si neutrum subsistit, signum est, quod intensio fit per qualitates variatas, ita ut cedat prima, adveniente perfectiore. Et confirmatur ex generatione substantiali, in qua cedit forma vegetativa, adveniente sensitiva, & hæc per adventum animæ rationalis, in qua eminentè continentur illæ duæ priores: ergo idem dicendum est de alteratione, ubi qualitas intenditur, procedendo de imperfecta ad perfectã.

2. Hæc opinio stare non potest. Primò, quia actio intensiva non est corruptiva formæ, quæ intenditur; nihil enim corrumpitur à suo simili, & calor intensior similis est calori remisso, & sic non est destructivus illius: ergo actio intendens primum calorem remissum, non destruit illum, ut novam inducat perfectiorem. Hæc ratio evidentius probat de charitate, & gratia habituali, quæ dum augetur, non destruitur: actio enim augmentativa gratiæ, & charitatis, non destruit charitatē precedentem.

Secundò, si in intensione sit talis mutatio qualitatum; similis fieret in remissione: ergo quando aqua se redcit ad primitivam frigiditatem, & remittit calorem, expellit calorem intensum, & acquirit aliū calorem imperfectum. A quo ergo agente inducitur ille calor minus perfectus, in eo instanti, quo perfectior expellitur? Supponimus, agens contrarium distare, & con-

sequenter ab illo produci non posse: aliunde nec calor ille producitur à forma aquæ, ut constat; ergo vel calor ille imperfectus incipit esse sine aliqua causa, & hoc est impossibile; vel primus calor intensus deficit in instanti, & hoc est contra experientiam, qua videmus, calorem aquæ paulatim deperdi.

Tertio, si in intensione tota forma mutatur in aliam, alteratio non erit motus continuus, sed discretus; sed hoc est contra communem Philosophiam & veritatem: ergo etiam opinio citata. Sequela probatur. Si gradus qualitatis non sunt vna qualitas, sed formæ diversæ, quælibet fit in instanti; sed hoc posito, motus alterationis non potest esse continuus; nam instantia non possunt continuari, ut supra dictum est: ergo in alteratione essent plures mutationes discontinuæ, & non esset motus continuatus. His adde, quod opinio ista evertit alterationem qualitatis, dum eam nititur explicare. Nam sicut augmentum quantitatis non stat, nisi præcedens quantitas augeatur; ita intensio non subsistit, nisi præcedens qualitas fiat intensior; sed in opinione dicta qualitas præcedens non fit maior, sed plene destruitur: ergo præcedens non intenditur, nec remanet possibilis intensio.

3. His argumentis impugnat N. Ariminensis hanc sententiam in

in 1. dist. 17. q. 4. & ex ipso ea desumpsit P. Suarius disp. 46. Metaph. sect. 1. à num. 7. ut impugnet sententiam, quam dicit B. Ægidij quodlib. 2. q. 14. ubi ait, qualitatem non esse intensibilem secundum essentiam, sed tantum secundum esse in subiecto. Ibi Suarius Ægidij sententiam exponit de esse existentia, ita ut dum forma intenditur, pereat prima existentia, & nova perfectior producat. Quare sicut Gofredus tenuit, qualitates variari, ita Ægidius apud Suarium docuit, variari existentias. Hinc fit, ut argumenta posita contra Gofredum, militent contra N. Ægidium, ut patet, & insuper aliud desumptum ex contradictione, quæ apparet in eo, quod destructa totali existentia primæ qualitatis, perseveret eadē essentia. Maximè, quia existentia accidentis, vel est inherencia eius, vel habetur media inherencia accidentis in subiecto, à quo dependet naturaliter in suo esse: ergo implicat, variari existentiam, & non variari inherentiam; hæc autem variata, implicat formam eandem permanere, & essentialiter non variari.

Impugnationes istæ forsan militant contra Capreolum in 1. Sent. dist. 17. q. 1. art. 2. ubi videtur esse huius opinionis: pro ea etiam citatur Astudillo 1. de Generat. q. 8. Caterùm sententia B. Ægidij longè diversa est, ut in

frâ patebit, quamque videre potuit Suarius in N. Arimin. ubi suprâ: ibi enim eam explicat, & vrgentissimè impugnat. De illius impugnationibus infra.

4. Argues pro sententia Gofredi. In omni motu reali terminus à quo, & terminus ad quem sunt incompossibiles, & ideo vno acquisito, alter abjicitur; sed in omni motu intensivæ terminus à quo est forma remissa; & terminus ad quem est forma intensa: ergo acquisita intensa, abjicitur remissa. Secundò. Non minus sunt incompossibiles terminus à quo, & terminus ad quem in motu ad formam, quam in motu ad ubi; sed in motu ad ubi relinquitur terminus à quo, cum acquiritur terminus ad quem: ergo &c. Tandem. Contraria non possunt esse simul; sed Philosophus 5. Physic. textu 52. dicit, quod minus album, & magis album sunt contraria: ergo.

Ad primum respondetur, concessa maiori, distingo minorem; Terminus à quo est forma remissa, secundum entitatem, & essentiam suam, nego min. secundum entitatem, & esse, quod præstat subiecto, habens adiunctam privationem subsequentiū graduum, concedo min. sed nego consequentiam, nam non abjicitur forma secundum essentiam, & entitatem suam, sed secundum illam privationem vltioris gradus, & secundum illam potentialitatem quam habet ad

maiolem intensionem, modo infra explicando. Ad secundum dic, minorem esse falsam in motu circulari, vbi idem punctus est terminus à quo, & ad quem motus illius. Sed accipiendo minorem de motu recto, dic, quod in intensione qualitatum abijcitur terminus a quò formaliter, vt habet adiunctam privationem termini ad quem; sed non abijcitur materialiter, cum maneat in termino ad quem forma illa, quæ dabat esse termini à quò. Sic contingit in motu augmentationis terminato ad quantitatem, in quo non abijcitur quantitas præcedens, sed cum nova facit quantum maius: & tamen terminus à quo formalis abijcitur, quia quantitas præexistens deficit in ratione minoris. Ad tertium dic, magis album, & minus album contrariari formaliter, sed non materialiter, quia dicunt eandem formam aliter, & aliter se habentem relatè ad subiectum: cumque non possit forma simul se habere aliter, & aliter relatè ad subiectum, idè contraria illa formaliter incompatibilia sunt.

Ad fundamenta eiusdem sententiæ tacta num. 1. dicimus, ea argumenta, quibus principales sententiæ se mutuo impugnant, probabiliter solvi pro vtrâque parte, & in eis supponitur contradictorium sententiæ Gofredi, nam supponunt omnes Doctores, qualitatem remissam intendi, & non ab-

jici, perfici, & non corrumpi, licet dubitent, & disceptent de modo intensionis: ergo eis argumentis concorditer convincitur falsitas sententiæ ista. Ad aliud de formis vegetativa, sensitiva, & rationali, dic, nihil probare: nam ibi in formatione hominis intervenit generatio; hinc agimus de intensione qualitatis præcedentis, non de nova productione, & generatione qualitatis. Sententiæ Gofredi falsat novam productionem qualitatis, & ad hoc deservit exemplum de animabus; non tamèn salvat intensionem qualitatis præcedentis, quæ apud ipsum non intenditur, sed abijcitur.

§. II.

Expenditur sententiæ explicans intensionem per additionem gradus ad gradum.

DOcent, intensionem qualitatis fieri per additionem gradus ad gradum Scotus in 1. dist. 17. q. 3. & 4. N. Ariminensis ibidem q. 4. Aureolus ibi q. 2. art. 2. Toletanus, Okam, Biel, Niphus, & alij, quos sequitur Suarius disp. 46. Metaph. Vazquez 1. 2. disp. 82. cap. 3. & 4. Lorca, Malderus, Toletus, Hurtado, & communiter alij DD. Societatis:

cietatis. Sed quia qualitas de novo adveniens præcedenti, nec manet diversa numero in eadem parte subiecti, quia hoc implicat; nec facile explicatur, quomodo faciat vnum per se cum qualitate remissa præcedente: idè inter AA. huius sententiæ est magnum dissidium circa naturam graduum, qui adduntur qualitati præexistenti. Nec audiendi sunt aliqui RR. sibi tribuentes indagacionem huius quaestiti: nam apud antiquos omnia invenies clariori, & breviori methodo illustrata, præsertim apud N. Ariminensem, & N. Gerardum Senensem in 1. dist. 17. q. 2. à 1. vsque ad 6. art.

Queritur ab his DD. an gradus qualitatis, quibus fit intensio, sint eiusdem rationis, & homogenei; an verò dissimiles, & heterogenei? Rursus, an sint inter se subordinati, an non? Biel, Niphus, Vazquez, Rubio, & Arriaga tenent, gradus esse homogeneos, & non subordinatos. Suarez, Hurtado, Lorca, & alij post Aureolum docent, gradus esse heterogeneos, & subordinatos. Alij ponunt, qualitates supernaturales intendi per gradus similes, naturales per dissimiles. Alij è contrà. Alij dicunt, intensionem fieri per gradus partim similes, partim dissimiles; partim subordinatos, partim non subordinatos.

Etiam dissidium est inter hos AA. circa terminum, quo uniu-

tur novi gradus præcedentibus: nam Vazquez contendit, non uniri termino aliquo indivisibili; Suarez verò sect. 4. n. 9. & alij frequentè ponunt indivisibilia terminativa, & continuativa, quibus gradus uniuertur, & terminantur. Hinc patet, quod sententiæ ista de intensione per additionem non est ita clara, & facilis, vt dicitur, sed benè attendenda multis difficultatibus anfractibus, & quaestionibus interminabilibus involvitur.

6 Probatur principalis sententiæ sic. Subiectum caloris per intensionem fit magis calidum, vt fatentur omnes, & constat experientia: ergo quando intenditur, adveniunt subiecto novæ partes caloris. Patet consequentia, quia subiectum non fit calidum simpliciter, nisi per calorem; sicut non fit simpliciter quantum, nisi per quantitatem: ergo non fit magis calidum, nisi per maiorem calorem. Patet consequentia, quia sic se habet simpliciter ad simpliciter, sicut magis ad magis. Sed calor non potest esse maior, nisi per additionem partium caloris: ergo intensio fit per additionem partium qualitatis. Minor constat, quia quantitas non fit maior, nisi per additionem partium quantitatis: neque homo fit maior, nisi per additionem partium hominis, & sic de alijs.

Secundò. Vbi est nova actio transiens,

transiens, & novus motus physiceus, debet esse novus terminus, nam motus est via ad terminum; sed intensio est nova actio, & novus motus distinctus ab alteratione precedente: ergo debet habere novum terminum. Sed non terminatur ad qualitatem specie distinctam, alioquin non intenderetur prima, sed abjiceretur; nec terminatur ad novum individuum totale, cum recipiatur in eadem parte subiecti, vbi non possunt esse duo accidentia numero distincta: ergo terminatur ad partem qualitatis de novo productam.

Tertio cum Arriaga. Augmentum dicit essentialiter additionem novae entitatis ad precedentem; id enim ex ipsa significatione augmenti colligitur; sed intensio qualitatis est augmentum illius; nam à Tridentino diffinitur, gratiam augeri per bona opera, id est, intendi: ergo intensio gratiae, & cuiuscumque qualitatis fit per additionem gradus ad precedentes. Confirmatur ex Cabero disp. 5. dub. 2. Nam Tridentin. Sess. 7. can. 7. dicit: *Siquis dixerit, per huiusmodi sacramenta non dari gratiam semper, & omnibus, anathema sit:* ergo homini iusto sacramenta dant gratiam. Sed gratia est qualitas, & non modus, aut radicatio, aut aliud simile: ergo intensio fit per additionem qualitatis. Sententia ista praecipue probatur impugnationibus caeterarum, ut ostendit

Suarus vbi supra: sed de impugnationibus infra.

7 Doctores huius sententiae imaginantur intensionem qualitatis ad instar augmenti quantitatis; quare sicut augmentum fit per productionem novae partis quantitatis, quae unita praesistenti, facit quantum maius, ita intensio fit per productionem novae qualitatis, aut novi gradus, qui unitus qualitati praesistenti, facit quid intensius. Ob id in suis argumentis saepe utuntur voce augmenti, quasi idem sit, qualitatem intendi, ac eam augeri: & re vera iuxta hanc sententiam aliud non est intensio caloris, quam augmentum eius. Caeterum in contrarium stat D. Thomas in 1. dist. 17. q. 2. art. 2. vbi ait: *Sed ista positio provenit ex falsa imaginatione, quia augmentum charitatis (& cuiuscumque qualitatis) imaginati sunt ad modum augmenti corporalis, in quo fit additio quantitatis ad quantitatem.*

Impugnatur sententia ista auctoritate D. Thomae Opusc. 48. tract. 2. cap. 4. in fine, vbi dicit: *Non tamen est intelligendum, cum una forma intenditur, quod augetur per additionem gradus ad gradum &c.* Et 2. 2. q. 24. art. 5. dicit: *Non fieri per additionem qualitatis ad qualitatem.* Et 1. 2. q. 52. art. 2. in corpore ait: *Augmentum habituum, & aliarum formarum non fit per additionem formae ad formam, sed per hoc, quod subiectum magis, vel minus perfecte participat*

participat unam, & eandem formam.

Respondent Lorca, Hurtado, & alij, quod D. Thomas non negat omnem additionem, sed solum additionem qualitatis completam. Haec solutio est voluntaria, tum, quia expressè dicit S. Doctor, non fieri per additionem gradus ad gradum; sed additio gradus non est additio qualitatis completam, sed incompletam: ergo D. Thomas negat, intensionem fieri per additionem quamcumque, etiam incompletam, & gradualem. Rursus, negat fieri additionem, qualis fit in augmento quantitatis; sed in hoc augmento non additur quantitas totalis praesistenti, sed partialis, ut patet: ergo negat in intensione fieri additionem qualitatis completam, & incompletam. Tandem, eam additionem rejicit, quam ponebat Philosophi, & Theologi, quos refert; sed nullus eorum posuit in intensione, esse duas qualitates totales; nam ista non esset intensio, sed coacervatio qualitatum: ergo &c.

Secundò respondent alij, D. Thomam negare additionem qualitatis in abstracto, non autem in concreto; eo quod forma per se non fit, sed compositum, nec calor fit maior, sed calidum fit magis calidum addita parte caloris in subiecto. Haec solutio gratis datur, & contra mentem D. Thomae expressè asserentis, intensionem fieri per hoc quod subiectum participat magis, vel minus perfecte unam, &

eandem formam: ergo negat additionem formae tam in concreto, quam in abstracto. Praeterea, nullus ex DD. quos ibi impugnat, tenuit qualitatem augeri in abstracto, sed in concreto: ergo dum D. Thomas eos impugnat, tenet qualitatem nec in concreto augeri ad intensionem praesistentis. Propter haec Suarius vbi supra sect. 3. n. 5. postquam tentavit trahere D. Thomam in suam sententiam, ingenuè fatetur, difficilem esse pro hoc quamcumque expositionem.

8 Contra eandem sententiam adsunt rationes. Prima sumitur ex D. Thomae in 1. dist. 17. q. 2. art. 2. in argum. *Sed contra.* Si qualitas augetur per additionem gradus ad gradum, sequitur, quod qualitas intensa sit imperfectior, quam remissa; sed hoc est falsum, ut patet, nam charitas remissa perfectior esset, & magis expetenda, quam charitas intensa: ergo intensio non fit per additionem. Sequela maioris probatur ex D. Dionysio de Divin. nominib. cap. 5. vbi dicit: *Participatio Dei quanto simplicior est, tanto nobilior;* quia magis assimilatur Deo simplicissimo, & est actualior; sed qualitas remissa in vno gradu est simplex, qualitas intensa, ut duo, est composita; si tamen teneas qualitatem, ut unum, compositam, saltè compositior est qualitas, ut duo: ergo perfectior erit qualitas remissa, quam intensa.

Hæc ratio apparenter instari potest in quantitate, quæ augetur per additionem novæ partis, & sic quantitas maior est minus simplex, quàm minor; vnde non erit tam perfecta. At contra istam instantiam adest, quòd quantitas molis non est de genere perfectionis, sed imperfectionis; nam sequitur naturam materiæ, quæ imperfectissima est in genere entium. Ob id diximus lib. 6. Logicæ, quantitatem informare subiectum, illud potentializando, ad differentiam qualitatis; quæ afficit subiectum, illud formalizando: vnde qualitas est de genere perfectionis, & actus; quantitas est de genere imperfectionis, & potentiæ. Ergo sicut compositam habens magis de materia, est magis imperfectum, & forma substantialis magis immersa materiæ, est magis imperfecta; ita ens magis habens de quantitate molis, est magis imperfectum. Quare argumentum D. Thomæ probans, imperfectiorem esse quantitatem maiorem comparatam cum minori, probat assertum verissimum, nec instantia infer aliquid absurdum.

Dices: si quantitas maior est imperfectior: ergo natura in motu augmentationis intendens quantitatem maiorem, intendit imperfectionem, & reddere vivens imperfectius. Respondeo, naturam non intendere istam imperfectionem, sed debitam magnitudinem

viventis, quæ non stat sine ista imperfectione maioris quantitatis. Sic intendit novas generationes, quæ habent adiunctam corruptionem sublunarium. Sic etiam intendens bono universi, violentat aquam, ut sursum ascendat contra propriam inclinationem. Et generaliter, quando perfectio intenta à natura obtineri non potest sine adiuncta imperfectione, permittit naturam imperfectionem, ut obtineat, quod primario intendit.

9. Secunda ratio ex D. Thoma. In omni additione dantur duo diversa, quorum vnum additur alteri: si ergo in intensione sunt duæ qualitates, illæ erunt distinctæ specificè, vel numericè. Non specificè, quia intentio addit virtutem eiusdem speciei, & sic forma intentia, & remissa sunt intra eandem speciem. Non etiam numericè, quia distinctio numerica sumitur à diversis subiectis, vel diversis partibus subiecti. Intentio autem fit in eadem parte subiecti. Si dicas, argumentum, probare de qualitatibus completis, & totalibus, non autem de incompletis, & de gradibus, qui non sunt qualitates, sed partes qualitatis. Contra est. Nam sicut qualitates totales petunt subiectum totale diversum pro sui individuatione, ita qualitates parciales ad sui distinctionem petunt subiecta partialia diversa; at intentio fit in eadem parte subiecti, ad differentiam augmen-

augmenti extensivi, quod fit in diversis partibus subiecti: ergo implicat, intensionem fieri in eadem parte subiecti, & fieri per gradus numericè distinctos.

Dices cum Scoto, Durando, & Suario disp. 5. Metaph. sect. 7. accidentia individuari per se ipsa: & ideò falsò assumitur in argumento, quòd individuantur per subiectum. Caterùm assumptum argumenti expressè traditur à D. Thoma 3. p. q. 77. art. 2. & 1. p. q. 29. art. 1. & rationem assignat 1. p. q. 39. art. 1. dicens: *Accidentia autem sicut esse habent in subiecto, ita ex subiecto suscipiunt unitatem, & multitudinem.* Ratio vrgetur sic. Ab eo res individuatur, à quo est ultimò indivisa, & incommunicabilis: sed accidentia hoc habent à subiecto: ergo ab eo individuantur. Probatur minor. Accidentia semel recepta in vno subiecto, non possunt naturaliter recipi in alio, quia hoc esset migrare de subiecto in subiectum, quod est naturaliter impossibile; sed accidentia recipiuntur in subiecto, ex quo educuntur: ergo cum à subiecto habeant educi ex hoc subiecto, & non ex alio, ab eo habent individuari, & reddi incommunicabilia.

10. Ultra has rationes D. Thomæ alias adducit B. Egidius, quas hic proponemus breviter. Prima sit. Si forma præcedens facit vnum cum adveniente, aut se totis sunt

vnum, aut aliquo sui. Non se totis: quia tunc necessariò altera corrumpetur; non enim est possibile, vnam realitatem transire in aliam per totalem, & omnimodam identitatem, propria realitate manente. Sed nec forma præcedens, nec subsequens corrumpitur; cum per remissionem possit auferri, quod per intensionem fuit additum formæ priori: ergo non faciunt vnum, se totis, sive per identitatem. Nec potest dici, formas vni aliquo sui, sicut duæ aquæ vniuntur suis ultimis: nam tunc forma intentia esset quoddam quantum continuum, habens partes extensas, & esset maius quàm forma remissa; quod est falsum, & impossibile, cum intentio fiat in eadem parte subiecti. Hæc ratio vrget imaginantes intensionem qualitatis ad instar augmenti quantitatis.

Altera ratio. Si partes additæ qualitati præexistenti faciunt vnum, hoc erit aliqua unitate; sed non apparet quali: ergo non faciunt vnum cum qualitate præexistente. Minor probatur sigillatim, & primò de unitate simplicitatis. Nam si ita vniuntur, transirent partes in omnimodam identitatem, & proprias entitates amitterent: quod patet esse falsum. Non etiam unitate compositionis sicut materia & forma, quia tunc vna pars esset potentia, altera actus, & sic differrent specie: partes autem qualitatis intentiæ sunt eiusdem speciei,

ciei, ut dictum est. Non etiam unitate continuitatis, nam talis unitas facit maius in genere extensivo; intensio autem non admittit extensionem, quia fit in eadem parte subiecti. Non etiam unitate homogeneitatis: quia homogenea non uniantur nisi per continuationem, ut aqua aquæ: unde quia anima animæ non potest uniri per continuationem, idè licet homogeneæ sint, non possunt uniri unitate homogeneitatis. Tandem, nec unitate aggregationis, quia tunc forma intensa non esset una forma, sed aggregatum ex multis.

Ratio altera. Omnis forma, que intenditur per additionem partis ad partem, est intensior sua parte; sed nulla forma est intensior sua parte: ergo nulla forma sic intenditur. Maior patet ex analogia augmenti qualitatis ad augmentum quantitatis, in qua totum est maius sua parte. Minor probatur. Sumamus calorem intensissimum, & sit A, cuius duæ medietates sint B. & C. Si A. est intensior, quàm B. ergo B. est intensior, quàm sua medietas: & hæc medietas intensior est sua medietate; & sic ultra dividendo usque dum deveniatur ad calorem remississimum. Nunc sic. Ergo cum omnes partes caloris intensissimi sint in eodem subiecto, sequitur, quod in eodem subiecto erunt simul calor intensissimus, & calor remississimus; sed hoc est impossibile, quia sunt termini con-

trarij deservientes ad motum alterationis, qui fit ex calore remisso ad intensum, & sic non possunt esse in eodem subiecto: ergo impossibile est, quod forma aliqua sit intensior sua parte. Hæc ratio evidentior est, si fiat de raritate intensissima, nam simul erunt in eodem subiecto raritas maxima, & raritas valde remissa, quod est impossibile.

II. Altera ratio. Nulla forma remittitur per diminutionem partis à parte: ergo nulla intenditur per additionem partis ad partem. Consequentia patet, quia intensio, & remissio sunt motus contrarij, & petunt fieri contrarijs modis. Antecedens probatur. Nam quælibet medietas formæ intensa est equè proxima agenti remittenti eam, cum utraque medietas sit in eadem parte subiecti. Rursus, Quælibet medietas est æqualis alteri in virtute resistiva; & universaliter nulla est ratio, propter quam una potius, aut prius corrumpatur, quàm alia: & sic vel utraque simul corrumpetur, vel neutra. Si autem utraque simul corrumpitur: ergo non fit remissio per ablationem partis à parte.

Dices, gradus qualitatis esse diversæ rationis, & habere ordinem inter se, ut vnus ante alium corrumpatur. Sic tenent, pluresq; cum Suario. Contra est, quia actio remissiva destruit gradus qualitatis ratione contrarietatis; sed agens utriusque

utriusque medietati æqualiter contrariatur: ergo in utramque æqualiter, & simul agens. Rursus, si sumantur duæ qualitates omnino similes quantum ad gradus, & reliqua; istæ nullum habent ordinem inter se: quare si ponantur in eodem subiecto, fiet vna qualitas totalis intensior. Hoc est possibile apud hos DD. cum apud eos accidentia non individuuntur à subiecto. Sed tunc qualitas illa intensior esset remissibilis, nec remitteretur per partes iuxta argumentum factum; cum nullus ordo sit inter medietates illius qualitatis intense. Præterea, falsum est, ordinem esse inter gradus qualitatis intense: nam si quartus supponit tertium ex natura sua, & tertius secundum: ergo secundus supponit natura sua primum, in quo ceteri nitantur: sed in qualitate, & habitu recipiente intensiorem, non potest designari primus gradus, qui sit aliorum fundamentum; alioquin in motu successivo posset designari primum mutatum esse, quod est impossibile, ut dictum est 6. Physic. q. 4. ubi probatum est, tempus, motum, & res successivas non incipere per primum sui esse, sed per ultimum sui non esse: ergo ordo ille, & subordinatio graduum in qualitate intensibili est planè impossibilis.

12. Ad fundamenta sententiæ contrariæ posita n. 6. respondemus, & ad primum dicimus, illud

propositum esse, & solutum à D. Thoma 1. 2. q. 52. art. 2. dicente, quod etiam in magnitudine corporali contingit dupliciter augmentum vno modo per additionem subiecti ad subiectum, sicut est in augmento viventium: alio modo per solam intensiorem absque omni additione, sicut est in his, quæ rarefiunt, ut dicitur 4. Physic. textu 63. Et ecce iuxta D. Thomam, & veritatem quantitas aliquando extenditur; & fit maior absque additione partium quantitatis, per solam rarefactionem præcedentium: ergo si exemplum quantitatis tener, probat, qualitatem posse intendi sine additione partium qualitatis. Aliud exemplum de homine etiam est contra arguentes, nam homo fit maior sine additione formæ, per hoc præcisè quod anima informat partes materiæ, quas non informabat: ergo qualitas poterit intendi sine additione formæ, per hoc præcisè quod aliter informat eandem partem subiecti.

In forma ad argumentum, concessio antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem, concessio antecedenti, distingo consequens: ergo non fit magis calidum nisi per maiorem calorem, id est, per maius esse caloris, concedo consequentiam; id est, per maiorem additionem formæ, nego consequentiam. In intensiōne qualitatis invariata forma, subiectum recipit maius esse ab illa, ut pate-

bit infra de mente Ægidij. Nunc autem ad mentem Thomistarum, negata prima consequentia, concedo secundam, nempe, quod magis calidum fit per maiorem calorem: sed nego minorem subsumptam, nempe, quod calor non sit maior nisi per additionem partium caloris. Contrarium sequitur ex exemplis datis ab arguente, nam in rarefactione quantum fit maius, & magis extensum sine additione partium quantitatis: homo etiam fit maior sine additione partium formæ.

Observa cum D. Thoma 2. 2. q. 24. art. 5. ad 1. quod quantitas aliquid habet in quantum quantitas, & aliquid ut est forma accidentalis. In quantum quantitas est distinguibilis secundum situm, & numerum: & sic consideratur augmentum magnitudinis per additionem, ut patet in animalibus. Ut autem est forma accidentalis, solum est distinguibilis secundum subiectum: & sic habet proprium augmentum, ut alia formæ accidentales, per modum intensionis eius in subiecto, ut patet in his, quæ rarefiunt. Sententia contraria comparat qualitatem quantitati in prima acceptione; sed D. Thomas facit comparisonem in secunda acceptione quantitatis.

13. Ad secundam rationem, concessis præmissis, distinguo consequens: ergo novus motus alterationis debet habere novum ter-

minum, novum ex parte formæ, nego consequentiam, novum ex parte subiecti, concedo consequentiam. Intensio est nova actio distincta ab alteratione productiva qualitatis remissæ; vnde debet habere novum terminum. Hic non est forma, nec pars eius, sed est novum esse, & perfectius esse, quod subiectum participat à forma. Quomodo autem sine variatione formæ possit subiectum recipere perfectius esse, dicemus infra de mente Ægidij: interim audi D. Thomam, quid sentiat de habitu, qui intenditur. Dicit sic 1. 2. q. 52. art. 2. ad 2. *Quod causa argens habitum, facit quidem semper aliquid in subiecto, non autem novam formam; sed facit, quod subiectum perfectius participet formam præexistentem.* Idem habet 1. Sent. dist. 17. q. 2. ad 2.

Ad tertiam dico, quod augmentum proprie dicitur in quantitate corporea, ut dicit D. Thomas 1. 2. p. q. 52. art. 1. ad 1. translativè dicitur de qualitatibus spiritualibus, & in hoc sensu loquitur Tridentinum. At cum etiam quantitas fiat maior sine additione per solam rarefactionem: ergo gratia augeri poterit sine additione qualitatis spiritualis, per hoc præcisè quod subiectum perfectius participet formam præexistentem, ut dicit D. Thomas. Ad confirmationem dico, gratiam per sacramenta dari, vel augeri iuxta Tridentin. Sess. 7. c. 1. ubi

ubi ait, quod per sacramenta omnis vera iustitia vel incipit, vel capta augetur &c. Augetur nempe modo, quo augetur alia perfectiones iuxta veram Philosophiam: nec augetur per additionem, sed ut ait D. Thomas 3. p. q. 72. art. 7. ad 3. per sacramentum Confirmationis gratia, quæ prius increta, augetur; nec augetur additione novæ gratiæ, sed intensione præexistentis.

§. III.

Expenditur sententia asserens, intensionem fieri per maiorem radicationem in subiecto.

14. **T**Estantur PP. Complutenses, quod omnes Thomistæ antiqui, & moderni tenent, intensionem fieri per solam maiorem radicationem qualitatis in subiecto. Eis adherent ex nostris B. Ægidius quodlib. 2. q. 14. & 1. de Generat. q. 28. & 23. & in 1. Sent. dist. 17. cum quo omnes Ægidiani, sed præ cæteris N. Argentinas in 1. dist. 17. q. 2. art. 2. N. Viterbiensis quodlib. 2. q. 2. N. Gerardus in 1. dist. 17. q. 2. art. 7. & seqq. N. Aragon. 2. 2. q. 24. art. 5. & novissimè N. Gavardi, & Villanova. Omnes DD. Nostri sequen-

tes B. Ægidium; conveniunt cum Thomistis in neganda additione graduum pro intensione, sed disconveniunt in explicanda maiori radicatione formæ, & alijs requisitis ad intensionem. Huic sententiæ favent apertè S. Bonaventura in 1. dist. 27. art. 2. q. 2. Henricus quodlib. 14. q. 3. Ex PP. Societatis Valentia, & Pesantius.

Hæc sententia variè explicatur à Thomistis. Capreolus, & Astudillo docent, quod essentia formæ est simplex, & invariata; intenditur tamèn, quia successiva actione agentis deperdit existentiam imperfectam, & acquirit existentiam perfectiorem. Alij negant, formam, aut existentiam variari per intensionem formæ, docentes, intensionem fieri per additionem perfectionis realis, quæ est nova terminatio, vel novus modus, aut quid simile, quocumque alio nomine vocetur. Vnde Hyacinthus Coquetus lib. 1. de Gratia disp. 19. concl. 5. dicit, hoc esse commune inter Thomistas, & in S. Doctoris sententia omnino certum. Illustr. Palanco 1. de Generat. q. 11. concl. 4. dicit, quod *maior radicatio qualitatis in subiecto formalitèr consistit in modo realitèr superaddito, ut cuius magis, ac magis forma actualitèr informat, inheret, unitur, ac subicit sibi subiectum.*

Per oppositum alij Thomistæ, ut Palanco testatur, contendunt, quod hæc maior radicatio nihil

realiter distinctum importat à qualitate ipsa, absolutum, aut modale, sed absque omni modo realiter superaddito qualitas se ipsa magis, ac magis radicitur; quia ad hoc sufficit vel nova actio ex parte agentis, vel nova expressio virtualiter distincta à qualitate præexistente: quod defenditur sicut unio materiæ cum forma absque modo distincto. Pro hoc modo dicendi citat Cabero Thomistas suppresso nomine, & contradicit Prado in præsentia. Quidquid sit.

15 Probatur hæc sententia ex D. Thoma 1. 2. q. 52. art. 2. ad 3. ubi ait: *Id, quod est minus calidum, aut album, non est in potentia ad formam, cum iam formam actu habeat: sed est in potentia ad perfectum participationis modum, & hoc consequitur per actionem agentis.* Ecce posita forma in subiecto, adhuc subiectum est in potentia, ut illam perfectius participet; sed illam perfectius participat, dum magis intimatur, & radicitur in subiecto per actionem agentis intendentis formam, & eam magis radicans in subiecto: ergo intensio formæ consistit in hac maiori radicatione. Maior est D. Thomæ, quæ licet non teneat in formis indivisibilibus, tenet de formis habentibus latitudinem gradualem, quæ solæ habent magis, vel minus communicari. Minor probatur. Agens inveniens formam iam eductam, facit, ut magis educatur, & per-

fectius actuet, quod præstat, si magis inhaereat subiecto, & magis radicitur.

Confirmatur. Subiectum esse calidum, est subiectum habere calorem: ergo subiectum per intensificationem esse magis calidum, est subiectum magis habere calorem. Sed per hoc præcisè quod calor magis radicitur in subiecto, subiectum magis habet calorem, nam magis calorem participat: ergo per maiorem radicationem caloris in subiecto calor intenditur, & subiectum est magis calidum. Confirmatur secundò. Effectus formalis creascit, dum forma magis communicatur subiecto; sed subiectum esse calidum est effectus formalis caloris: ergo subiectum redditur magis calidum per hoc præcisè, quod calor magis communicetur subiecto. Tunc sic; sed dum magis radicitur, magis communicatur: ergo per maiorem radicationem caloris subiectum redditur magis calidum.

Vergetur. Quamvis forma sit eadem, & indivisibilis, sufficit perfectior modus habendi formam, ut forma magis denominet subiectum; sed per maiorem radicationem forma perfectiori modo habetur à subiecto: ergo sufficit maior radicatio, ut forma magis denominet subiectum, & sic ab eodem indivisibili calore subiectum denominetur magis, ac magis calidum. Probatur maior. Licet forma sanctificans humanitatem Christi D. sit

sit eadem, ac sanctificans ipsam Deum; magis tamen est sancta divinitas, quam humanitas; sed hoc idèd, quia forma sanctificans habetur perfectiori modo à divinitate, nempe per identitatem, ab humanitate verò per liberam communicationem: ergo sufficit perfectior modus habendi formam, ut forma magis denominet subiectum.

16 Secundò probatur ratione desumpta ex D. Thoma 2. 2. q. 24. art. 5. ubi ait. *Et idèd cum magnitudo rei consequatur esse ipsius formæ, formam esse maiorem, est eam magis inesse susceptibili.* Ecce forma accidentalis eo maior est, quo magis inhaeret subiecto; sed quo magis radicitur in subiecto, eo amplius illi inhaeret: ergo forma intenditur, sitque maior per maiorem radicationem in subiecto. Explicatur. Formæ accidentales non habent quantitatem in abstracto, & in se ipsis, sed in concreto, & in ordine ad subiectum: ergo quo magis forma concreta, & inest subiecto, eo magis perfecta est, & intenditur. Inest autem magis per maiorem radicationem in subiecto. Maior probatur. Tum, quia una conscientia non est maior alia in abstracto, ut infra dicemus ex P. Aug. Tum etiam, quia formæ accidentales non habent esse per se, sed in subiecto: unde eam esse est inesse se, & ab eodem principio, à quo habent esse, habent melius esse. Explicatur secundò cum Caieta-

no, Soncinato, & alijs dicentibus, quod radicans nihil aliud est, quam firmiter haerere, ac magis & tenacius inesse subiecto. Sicut enim arbor tunc dicitur magis radicans, quando fortius terræ intimatur, & fustibus radices protendit: similiter sicut clavus malleo percussus magis radicitur in tabula, cum igitur magis: ita accidens, cuius esse est inesse, tunc magis radicitur, cum fortius, & intimius subiecto adheret; sed tunc habet magis inesse: ergo per maiorem radicationem in subiecto intenditur esse formæ accidentalis.

17 An autem hæc maior radicatio importet modum realiter distinctum à forma, dubium est utriusque probabile inter Thomistas, & ut monet Illustriss. Palanco, pendet à questione de modo unionis distincto inter materiam, & formam. Quare eisdem argumentis, quibus probatur unio indistincta, probatur etiam maior radicatio formæ sine modo distincto. Pro hac opinione argue sic.

Primò. Ad maiorem radicationem sufficit, quod forma magis uniat subiecto, illudque magis informet; sed tota ratio formalis informandi magis, & actuandæ est vis informativa, & æstivativa, quæ non distinguitur à forma: ergo maior radicatio non est modus distinctus à forma. Secundò. Si maior radicatio consisteret in modo unionis, & inhaesionis maiori, vel ad-

veniente isto modo unionis maior, deficeret primus modus unionis, vel conservaretur. Si secundum: ergo in eadem parte subiecti essent duæ uniones solo numero distinctæ; & entitatibus invariantis daretur nova unio sine nova entitate unita: quorum utrumque repugnat. Si deficeret prior unio: ergo compositum corrumpetur, & dissolveretur, ac de novo fieret, & uniretur, quod est absurdum.

Pro contraria opinione arguit Illustris. Palanco ex eo, quod implicat nova, realis, & intrinseca denominatio absque novitate reali alicuius entitatis, vel modi realiter superadditi, ut latè probat. 1. *Physic. q. 16* disputans de unione materiae cum forma: at maior ista radicatio est nova, realis, & intrinseca denominatio; nam subiectam realiter intrinsecè reddidit de novo magis calidum, unde mutatur intrinsecè mutatione reali: ergo implicat, maiorem radicacionem fieri sine novitate reali alicuius entitatis, vel modi realiter superadditi. Nec valet recursus ad connotata, ut dicitur in quæst. de unione substantiali, ubi per connotationem actionis agentis transeunt materia, & forma de nō esse ad esse unitæ. Non valet, nam sæpè contingit intensio caloris absque nova actione agentis; & patet, quia stante, & perseverante eadem actione ignis cum tota sua vi, in principio producit calorem remif-

sum, in medio intensum, in fine summum: ergo absque novitate actionis ex parte agentis, subiectum intrinsecè alteratur, mutatur, & fit magis calidum: ergo hæc novitas debet esse ex parte subiecti patientis per aliquem modum realiter superadditum.

DD. utriusque opinionis videntur asserere, quod modus iste distinctus, vel indistinctus radicacionis in subiecto, est modus unionis formæ cum subiecto distinctus, vel indistinctus ab extremis unitis. De hac sententia dicit Suarius esse magis receptam in schola D. Thomæ. Eam expressè impugnat Pradoer. de Generat. q. 16. §. 3. ubi sibi probandum assumit, quod maior radicatio est modus, qui nec est existentia qualitatis, neque eius inherencia, neque modus unionis eius cum subiecto. Quid autem sit hæc maior radicatio explicat §. seq. sed ingenuè fateor, nō intelligere quid ibi dicat, nec alios modos dicendi, quos refert de mente aliorum Thomistarum.

18 Priusquam sententiam B. Egidij exponamus, de mente D. Thomæ comprobemus, oportet proponere difficultates, quæ occurrunt in hoc modo dicendi Thomistarum. Et supposito, quod hæc maior radicatio formæ in subiecto est modus distinctus, & superadditus vi actionis agentis (quid quid sit talis modus) sub hac generalitate apparet difficilis. Nam vel

vel modus iste superadditur formæ, quæ intenditur, vel subiecto, cui forma magis, & magis communicatur. Non primum, tum quia nulla sit additio formæ, quæ intenditur iuxta sententiam D. Thomæ. Tum quia, ut benè advertit Magister S. Thoma, sic dicere est incidere in sententiam contrariam, & sicut illa ponit, intensiōnem fieri per additionem gradus, ita fieret per additionem modi; & tunc quæstio esset de nomine, an videlicet id, quod formæ additur in intensiōne, debeat vocari novus gradus, vel solus modus. Tum tandem, quia per motum intensiōnis non mutatur forma, sed subiectum; nam subiectum fit magis calidū, forma autem non fit magis calor, aut magis calefactiva: ergo restat, quod modus iste superadditus non est modus se tenens ex parte formæ, sed ex parte subiecti, in quo forma magis radicatur.

At modus iste non potest se tenere ex parte subiecti, iuxta sententiam Thomistarum: ergo modus iste superadditus, est planè impossibilis, aut saltè inutilis, cum non afficiat formam, nec subiectum formæ. Probatur minor. Quid quod se tenet ex parte subiecti, est effectus formalis formæ, & illud habet à forma; sed modus iste superadditus subiecto in maiori radicacione, & intensiōne formæ, non potest esse à forma, aut effectus formalis illius in sententia Tho-

mistarum; ergo &c. Probatur minor. Iuxta Thomistas effectus formalis formæ est ipsa forma communicata subiecto, & sic non distinguitur realitèr à forma communicata; sed modus iste ponitur à Thomistis realitèr distinctus à subiecto, & à forma communicata: ergo non est modus iste à forma, aut effectus formalis illius.

Præterea, modus iste vel est indivisibilis, vel divisibilis. Non primum, quia modus iste acquiritur per intensiōnem, quæ est motus successivus: nulla autem forma indivisibilis potest acquiri per motum successivum, ut patet in formis substantialibus, & etiã in accidentalibus, quæ non habent latitudinem gradualem, per motum transcurendam: ergo modus ille acquisitus per motum intensiōnis, indivisibilis non est. Si autem ponitur divisibilis: ergo modus ille non est effectus formalis formæ indivisibilis. Patet consequentia apud Thomistas, apud quos effectus formalis formæ est indistinctus ab ipsa forma communicata subiecto: ergo vel modus ille divisibilis non est, vel si est divisibilis, ponenda est forma etiã divisibilis. Sed modus ille ita est divisibilis, ut non acquiratur totus in principio intensiōnis, sed pars post partem successivè, ut sibi succedunt partes motus: ergo eodem modo per intensiōnem acquireretur forma, & sic successivè, & per additio-

nem partium, quod negatur à Thomistis.

Si dicas, modum illum esse indivisibilem, esse tamen maiorem in progressu intensiōnis, quia abijcitur modus remissus, & producitur modus perfectior. Sic dicens, incidis in sententiam Gofredi, quā nobiscum impugnant Thomistæ ubi supra n. 2. Si dicas, modum illum esse divisibilem, & esse effectum formæ indivisibilis, quia forma illa indivisibilis in se, est divisibilis ut communicata subiecto, nam potest magis, & magis communicari. Si hoc dicas, dicis, quod sententia contraria, & sic controversia erit de vocibus. Nam sententia contraria non ponit calorem divisibilem in abstracto, sed in concreto, ut dicit formam subiecto communicatam: ergo si concedis, formam subiecto communicatam esse divisibilem, das contrariis quidquid intendunt. Antecedens patet, nam contrarij ponunt formam communicari primò secundum aliquos gradus, deinde motu intensiōnis communicari secundum alios; unde ponunt formam divisibilem in gradus, ut subiecto communicatam: ergo si hoc concedis de forma, sicut tenes de modo illo, qui est effectus formæ; recidis in sententiam, quam impugnas. Hæc sufficiant pro modo illo superaddito in generali.

19 Quantum autem ad præcipuam explicationem maioris radi-

cationis formæ, consistentis in modo unionis formæ cum subiecto, occurrunt ea argumenta, quæ P. Suárezius accumulatur disp. 46. Metaph. sect. 1. à num. 15. usque ad 25. quæ urgentissima sunt, & miramur Thomistæ huius opinio- nis ea silentio prætereire. Ex Suárezio argue sic. Nam vel unio caloris cum subiecto est indivisibilis, vel habet quandam latitudinem; ratione cuius potest paulatim fieri, & crescere motu intensiōnis. Si primum, ergo unio illa non fit successivè, & per motum, sed per mutationem instantaneam. Patet consequentia, quia terminus motus successivè acquiritur successivè, & per partes; quod autem indivisibile est, indivisibiliter acquiritur totum, vel nihil. Urgetur. Si unio est indivisibilis, tota acquiritur in principio intensiōnis: ergo in progressu intensiōnis ubi forma magis, & magis radicitur, vel nihil hæc nova radicatione producitur, vel nova unio efficitur, & abijcitur prima. Si uniones variantur, recidis in sententiam Gofredi, & urgentur contra te argumeta posita n. 2. Si forma sine nova unione magis radicitur: ergo potest magis radiciari, & realiter mutari subiectum invariatis extremis, & unione. Loquimur enim de unione illa, quæ fuit in principio intensiōnis.

Præterea. Calor simplici altera ratione productus, unitus est subiecto unione indivisibili: ergo in-

cipiente

incipiente intensiōne huius caloris, vel nova producitur unio, abijcitur prima; vel nova producitur, retenta prima; vel nulla unio de novo producitur per motum intensiōnis. Si primum: ergo agens intendens formam, destruit primam unionem formæ. Quomodo ergo agens perfectè simile passivo, destruit unionem eius cum forma, quam intendit? Agens enim solum destruit formas, aut modos sibi contrarios; sed unio subiecti cum calore remisso non est contraria calori ignis agentis: ergo ab eo non destruitur. Præterea. Agens intendens formam remissam, non destruit formam, sed eam magis radicat in subiecto; sed sicut magis radicat formam, potest magis radicare unionem primam: ergo non est cur eam destruat. Rursus. Unio prima est potens unire formam cum subiecto, quantum permittit natura formæ, & subiecti: ergo quando per intensiōnem subiectum magis disponitur ad formam, & forma magis intimatur subiecto, prima unio potest deservire ad istam maiorem unionem. Patet consequentia, nam, quod primitus non uniret tantum, non erat defectu unionis, sed defectu extremorum, quia subiectum non erat plene dispositum, nec forma remissa erat satis intimata. Ut quid ergo per intensiōnem destruitur prima unio?

Si dicas secundum, nempe pro-

duci novam unionem, retenta prima: ergo iam admittis in eadem parte subiecti duas uniones numero distinctas, quod est impossibile: vel si impossibile non est in unionibus, non erit impossibile in gradibus eiusdem formæ, cuius contrarium probant Thomistæ cum D. Thoma. Si dicas tertium, nempe per intensiōnem nullam unionem de novo produci: ergo intensiō non est modus distinctus à forma primò producta per simplicem alterationem. Patet consequentia, quia intensiō formæ supra formam remissam solum addit maiorem radicationem in subiecto, quæ per te est unio maior: ergo si non producitur nova unio, nullus modus distinctus additur formæ remissæ, ut fiat intensior. Ob hæc Palanco, & alij DD. cum quibus agimus, dicunt, novam produci unionem, abijcitur prima: cæterum contra eos militant argumenta nupèr facta, quæ procedunt, supposito, quod unio sit indivisibilis.

Iam verò si unio producta per intensiōnem ponitur divisibilis, ad sunt alia argumenta. Primum est, quod forma unita non solum est indivisibilis in abstracto, sed etiam in concreto; sed unio sequitur naturam extremorum: ergo si forma est indivisibilis, unio eius cum subiecto non potest esse divisibilis. Rursus. Si forma est indivisibilis, vel tota unitur, vel non unitur; sed forma est indivisibilis apud hos

DD. & tota vnitur in principio intensio: ergo non potest in progressu amplius vni. Præterea: vel vnio illa diuisibilis habet partes realiter distinctas, quæ successivè producuntur per motum intensio- nis; vel nullas habet partes. Si nullas: ergo non est diuisibilis, nec potest produci per motum successivum, vbi terminus produci- tur paulatim, & pars post partem. Si habet partes: ergo inconse- quenter negatur de forma, quod ha- beat partes. Patet consequentia, quia non magis repugnat, in eo- dem subiecto dari partes formæ numero distinctas, quam partes vnionis numericè distinctas: ergo si in eadem parte subiecti admit- tis vnionem compositam ex parti- bus numero distinctis, inconse- quenter negas formam composi- tam ex partibus, aut gradibus dis- tinctis. Præterea: admissis parti- bus in modo vnionis diuisibili, oportet, dicas, an partes istæ sint homogeneæ, an dissimiles; an in- ter se ordinatæ, an verò non or- dinatæ, de quo disputant DD. te- nentes intensioem per additio- nem partium.

20 Rationes, quibus proba- tur intensio qualitatis per maio- rem radicationem in subiecto, de- sumuntur ex D. Thoma, cuius est etiam expressa assertio 2. 2. q. 24. art. 4. ad 3. vbi dicit, formam augeri nihil aliud esse, quam eam magis inesse subiecto, quod est eam

magis radicari in subiecto. Quare cum sententia nostra infra expli- canda, sit ad mentem D. Thomæ, libenter admittimus auctoritates, & rationes suadentes, intensioem fieri per maiorem radicationem formæ in subiecto. At quæstio est no- bis cum Thomistis, quid sit hæc maior radicatio? Nec nobis proba- tur, quod sit modus vnionis dis- tinctus. Tum, quia talem modum impugnauimus 1. Physic. q. 18. Tum etiam, quia admissio modo vnionis distincto formæ accidenta- lis cum subiecto, per intensioem non producitur nova vnio distin- cta à prima vnione. Et præter dic- ta ex Suauio, probatur absolutè sic. Prima vnio vnit subiecto to- tam formam, quantum vnibilis est, vt præstet ei effectum, quem po- test: ergo vt præstet ei novum ef- fectum ex vi intensioem, non re- quiritur nova vnio, sed sufficit præ- cedens. Probatur consequentia: Nam, quod forma remissa non præstet tantum effectum, quantum forma intensa, non nascitur ex de- fectu vnionis, sed ex defectu ex- tremorum. Quod patet, nam vnio prima vnit extrema, quantum vn- bilia sunt: ergo si non vnit taliter, vt forma remissa præstet effectum talem, ac tantum, quantum for- ma intensa, defectus est ex parte extremorum, nempe, vel quia sub- iectum est parum dispositum, vel quia forma non est sufficienter ac- tiva in prima sui productione: er- go

go per hoc præcisè quod ex parte extremorum tollatur impedimen- tum, poterit prima vnio vnire ma- gis extrema, & deservire ad maio- rem radicationem formæ in sub- iecto.

Explicatur: Sicut forma ex se primò producta habet completam virtutem ad dandum suum esse in gradu intenso, nec per intensio- nem recipit novam virtutem; ita vnio prima formæ remissæ cum subiecto, ex se habet virtutem vnitiuam formæ in gradu intenso; impeditur tamen ab indispositio- ne subiecti, à qua etiam impedi- tur virtus actiua formæ: ergo per hoc præcisè, quod per alteratio- nem intensiuam tollatur impedi- mentum à subiecto, forma habe- bit intimius informare, & vnio magis, & magis vnire. Et confir- matur: nam præcipua ratio ad- truendi novam vnionem pro for- ma intensa, non est, quia prima vnio non possit deservire, nam hoc non probatur à DD. citatis, sed est, quia intensio est nova actio realis, quæ petit terminum reali- ter distinctum, & novum; nec aliū inueniunt, quam novam vnionem; at sine nova vnione datur novus terminus actionis intensiuæ, vt patebit in sententia nostra: ergo non est cur varientur vniones, nec vnde probetur vnionem formæ remissæ non posse vnire formam intensam. Addimus, quod si in in- tensione producitur nova vnio:

ergo in remissione deperditur pri- ma, & nova minor producitur. A quo ergo agente? Supponamus calorem intensum remitti à nive: nonne nix producit illam mino- rem vnionem caloris cum ligno? Nix non potest hoc facere.

§. III.

Sententia B. Ægidij proponi- tur, & probatur.

21 Sententia B. Ægidij, quæ tenent DD. Augustiniani supra citati, docet, intensioem fieri per additionem gradus secun- dum esse, non tamen per addi- tionem gradus in essentia formæ. Est dicere, quod forma nec in ab- tracto, nec in concreto recipit ad- ditionem: cæterum subiectum per intensioem recipit novum esse à forma, quod non habebat ex vi primæ receptionis formæ. Clariùs: admittimus diversitatem graduum in effectu formali formæ; sed non in ipsa forma in se considerata nec in forma communicata subiecto. Vnde effectus formalis formæ est diuisibilis, & motu stricto intensio- nis crescit, sicut motu remissionis minuitur; forma tamen manente immutata, & indivisibili. Quomo- do autem forma etiam subiecto communicata sit indivisibilis, si eius effectus formalis diuisibilis est; nullam habet difficultatem in-

sententia B. Ægidij docentis, quod effectus formalis formæ realiter distinguitur à forma communicata subiecto. De hoc latè disputavimus 2. Phisic. q. 7. vbi hoc assertum probatum est de mente P. August. & D. Thomæ. Ibi etiam probatum est, quod tota difficultas Thomistarum in explicanda mente D. Thomæ circa maiorem radicationem formæ in subiecto, plenè evacuatur, si ponitur effectus formalis formæ realiter distinctus à forma. Videantur ibi dicta, & respondentur hic.

Si quæras, cur forma indivisibilis totaliter producta, & totaliter unita subiecto in prima sui productione, non præstet ipsi totum suum effectum formalem, què potest? Respondet B. Ægidius quodl. 2. q. 14. idè hoc esse, quia subiectum non est plenè dispositum: quare per actionem agentis intendenti formam, subiectum paulatim, & successivè magis, ac magis disponitur; & quod magis disponitur, eò magis recipit de esse formæ: quare immutata forma, & unione, crescit gradualiter effectus formalis formæ, & in hoc consistit maior radicatio formæ in subiecto.

22 Hæc sententia sic explicata debet probari quantū ad duo: primum est, quod forma in se, & quantū ad essentiam suam est indivisibilis, non solum in abstracto, sed etiam in concreto. Alte-

rum est, quod stante hac indivisibilitate formæ, subiectum participat magis, vel minus de esse formæ, secundum quod est magis, vel minus dispositum ad effectum formalem formæ. Prima pars nostri asserti multis probatur à N. Gerardo Senensi vbi suprà art. 7. de mente B. Ægidij. Brevitè probatur sic ex Philosopho 8. Metaph. vbi docet, quod essentiæ rerum sunt sicut numeri; quare sicut in numeris qualibet unitate addita, vel remota, variatur species, ità in formis secundum gradus essentielles quolibet addito, vel remoto, variatur species: ergo licet formæ accidentales habeant partes, & sint divisibiles secundum esse, quod præstant subiecto; sunt tamèn plenè indivisibiles in essentia sua; Hinc sequitur, quod forma etiam in concreto, & vt subiecto communicata, sit essentialitèr indivisibilis: nam per communicationem formæ non variatur eius essentia: ergo si essentia in se est indivisibilis, etiam communicata subiecto retinet indivisibilitatem.

Secundò: si forma secundum essentiam esset divisibilis, posset etiam in abstracto augeri: nam, quod convenit alicui secundum suam essentiam, convenit ei in omni statu, & circumscripto quocumque alio. Consequens autem est contra Philosophum cap. de quantitate docentem, quod *institia non dicitur secundum magis, & minus,*

minus, sed iustum. Tertio. Forma secundum suam essentiam abstrahit ab omnibus, quæ sunt per accidens, & non semper conveniunt; sed quidquid habet forma ratione subiecti, non semper ei convenit, vt docet Fides de accidentibus Eucharisticis, quæ sunt sine subiecto inhæsionis, quare sunt sine eo, quod ipsis convenit ratione subiecti: ergo divisibilitas, quæ communiter tribuitur formæ in concreto, non est divisibilitas formæ secundum essentiam; vnde forma sic plenè indivisibilis est.

23 Quoad secundam partem probatur conclusio. Sicut se habet virtus activa agentis ad agere, ità virtus informativa formæ ad esse formale, quod præstat subiecto; sed virtus agentis in nullo variata, magis, & minus operatur in passum, secundum quod est magis, vel minus dispositum: ergo virtus formæ essentialitèr invariata, dat subiecto magis, vel minus esse, secundum maiorem, vel minorem dispositionem subiecti. Maior patet, quia virtus agentis, & virtus informativa formæ sunt uniformitèr virtutes activæ, quæ dant esse, licet diverso modo causandi, quia causa efficiens dat esse, se diffundendo; causa formalis dat esse, se intrinsecè communicando. Rursus. Dispositio subiecti equè requiritur, vt forma det suum esse, ac vt agens efficiat tale esse: ad effectum utriusque causæ efficientis, & forma-

lis requiruntur dispositiones. Tandem, illudmet esse vitale, quod habet materia formalitèr ab anima, habet efficientèr à generante, & educente animam: ergo illamet dispositiones, quæ requiruntur ad actionem causæ efficientis, requiruntur ad effectum causæ formalis.

Sed virtute agentis plenè invariata, agit magis, vel minus in passum, secundum quod est magis, vel minus dispositum; ergo virtute formæ plenè invariata, dat forma subiecto magis, aut minus esse, secundum quod est magis, vel minus dispositum. Consequentia tenet, & minor patet ocularitèr in ligno viridi igni approximato. Nam in principio recipit lignum ab igne calorem remissum, in eo generatum simplici alteratione; deindè lignum motu intensiōis fit magis, & magis calidum, vsque dum progressu intensiōis fit calidum in summo. At virtus ignis plenè invariata eadem est in fine motus intensiōis, ac fuit in principio; nec potest dici, factum esse augmentum virtutis in igne, cum ipse sibi non potuerit dare tale augmentum, nec aliud est agens extrinsecum augens virtutem ignis, vt supponimus: ergo virtute ignis invariata, agit magis, aut minus in ligno iuxta eius maiorem, vel minorem dispositionem. Confirmatur. Suprà rationibus D. Thomæ probatum est, formam intendi, & crescere per hoc præ-

cisè, quòd magis radicetur in subiecto; sed quò magis subiectum disponitur ad formam, eò magis forma radicatur in subiecto: ergo sicut forma invariata potest iuxta D. Thomam magis, & magis radicari, ita potest magis, & magis intendi, secundum maiorem, vel minorem dispositionem subiecti. Probat minor. Quòd forma ab initio motus intensiōnis non sit tantum radicata, quantum in fine intensiōnis, provenit ex aliqua causa; sed non ex alia, quàm ex causa materiali minus disposita in principio motus, quàm in fine: ergo formam magis radicari, est subiectum magis disponi. Minor probatur exemplo ignis applicati ligno viridi, in quo calor summè radicatur in fine intensiōnis, & parùm in principio. Excessus ille radicationis non provenit à maiori virtute ignis, nàm eadem est in fine motus, ac fait in principio. Nec provenit à virtute activa informativa caloris, nàm hæc eadem est in fine, ac in principio; cum per motum intensiōnis non fiat additio gradus formæ, vt nobiscum probant Thomistæ cum D. Thoma. Aliandè recursus ad causam finalem impertinens est in præsentī: ergo quòd forma magis radicetur in fine intensiōnis, quàm in principio, provenit ex sola causa materiali, nempe ex subiecto, non ita disposito ad formam, & effectum formalem eius

in principio, ac in fine.

24 Sententiam istam credimus esse D. Thomæ varijs locis, sed præcipuè 2. 2. q. 24. art. 5. in corp. vbi loquens de augmento charitatis dicit: *Sic ergo charitas augetur solum per hoc, quòd subiectum magis, ac magis participat charitatem, id est, secundum quòd magis reducitur in actum illius, ac magis subditur illi. Hic enim est augmenti modus proprius cuiuslibet formæ, quæ intenditur.* Ecce charitas, & quæcumque forma, quæ intenditur, magis, ac magis participatur per hoc præcisè, quòd subiectum magis, ac magis subditur formæ, & reducitur in actum illius; sed quò magis subiectum disponitur ad formam, eò magis subditur formæ, & reducitur in actum illius: ergo augmentum cuiuscumque formæ accidentalis, quæ intenditur, consistit in eo, quòd invariata forma, subiectum magis, & magis disponatur. Minor patet exemplo dato: nàm lignum viride in principio non plenè subditur calori ignis, cui resistit per suas qualitates contrarias frigiditatis, & humiditatis: progressu tamèn intensiōnis minuuntur qualitates contrariæ, & lignum magis subditur formæ caloris, & igni agenti.

Confirmatur secundò ex doctrina Complutensium disp. 4. de Alterat. q. 9. vbi observant, D. Thomam variè respondere quæsitò de intensiōne formæ penès maiorem

iore radicationem in subiecto; & si quæretur à D. Thoma, quid sit hæc radicatio? Respondet variè, & quasi circumloquitur, nàm 1. 2. q. 24. art. 5. dicit, fieri per hoc, quòd subiectum magis, ac magis terminatur actu illo, seu qualitate. Et 2. 2. q. cit. per hoc, quòd subiectum magis, vel minus perfectè participet vnam, & eandem formam. Ecce maior radicatio eiusdem, & invariabilis formæ est subiectum magis terminari, & perfectiùs participare vnam, & eandem formam: ergo lignum in principio, & fine intensiōnis participat vnam, & eandem formam caloris, à qua terminatur, magis in fine, minus in principio; at huius discriminis nulla est ratio assignabilis ex parte ignis agentis, qui idem est in fine motus, ac in principio; nec ex parte formæ, quæ vna, & eadem est semper iuxta D. Thomam: ergo tota ratio huius excessus sumitur à maiori dispositione subiecti in fine intensiōnis, vi cuius magis subditur formæ illi, & magis reducitur in actum illius, vt dictum est ex D. Thoma.

25 Confirmatur tertid auctoritate P. Augustini lib. de Categoria. cap. 12. vbi ait: *Sit ergo hæc regula, qualitates ipsas magis, & minus non posse suscipere: ea verò, quæ ex his sunt, comparata vel magis recipere posse, vel minus; vt eloquentiam magis, eloquentiam vel minus nullus dicere potest; eam verò,*

qui eloquens dicitur, magis, vel minus eloquentem possumus dicere. Claret ergo magis, vel minus in qualibus inveniri posse, nunquam tamèn posse in qualitates incidere. Ecce forma nec in se, nec vt subiecto communicata suscipit magis, aut minus, nàm eloquentia Ciceronis non est maior, aut minor, quàm eloquentia Antonij: ceterùm in qualibus est magis, & minus, nàm vnus est magis eloquens, quàm alter, & habet magis, quàm alter, de esse formæ: ergo quia iuxta S. Parentem formæ invariata, & indivisibilis secundum essentiam præstat esse divisibile, quòd suscipit magis, & minus.

Si autèm quæras à S. Parente, cur forma invariata præstat subiecto iam minus, iam maius esse? Respondet in simili de Charitate, quòd hoc pender ex maiori, vel minori dispositione subiecti ad formam. Dicit sic lib. 83. qq. q. 36. *Charitatis venenum est spes adipiscendorum, aut retinendorum temporalium: nutrimentum eius est diminutio cupiditatis: perfectio eius nulla cupiditas.* Et in Enchirid. cap. penult. *Minuitur cupiditas charitate crescente.* En charitas augetur, quòd cupiditas contraria minuitur; sed per diminutionem cupiditatis temporalium magis disponitur anima ad charitatem, & vt loquamur verbis D. Thomæ, magis subditur anima charitati, quàm subdebat ante diminutionem cupiditatis,

ditatis, repugnantis charitati: ergo forma iuxta P. Augustinum dat subiecto magis, vel minus esse, secundum maiorem, vel minorem dispositionem subiecti.

§. V.

Solvuntur argumenta contra sententiam Ægidianam.

26 **P**rimum argumentum sumitur ex D. Thoma contra primam partem nostri asserti, qua dictum est, quod forma accidentalis est indivisibilis secundum essentiam. Contrarium docet D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 4. ad 3. ubi ait: *Propriam vocem ignorare, qui dicunt, qualitatem, cum intenditur, non augeri secundum suam essentiam, sed solum secundum radicationem in esse: quia, cum sit accidens, eius esse est inesse. Unde nihil aliud est ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto, quod est eam magis in subiecto radicari.* Idem docet in 1. Sent. dist. 17. q. 2. art. 2. & q. 1. de Virtutib. art. 11. & quodlib. 9. art. 13. per totam, probat, quod *charitas secundum suam essentiam augetur.* In hoc fundatur Prado 1. de Generat. q. 15. §. 7. ut teneat, qualitates augeri essentialiter. Et ultra auctoritates D. Thomæ, adducit generaliter auctoritatem Conciliorum, & Pa-

trum docentium, hominem crescere in præmio, & visione essentiali proportionaliter ad augmentum charitatis, & aliarum virtutum. Hæc omnia syncerius explicantur (ait Prado) si exponantur de augmento in essentia qualitatum supernaturalium: ergo tale augmentum tenendum est.

A ratione probat primò, quia esse existentie est effectus formalis formæ, ipsi proportionatus: ergo ex natura rei non crescit ipsa in hærentia, & inexistentia, non crescente forma eo modo, quo crescere potest. Rursus, accidentis essentia est inhærentia aptitudinalis: ergo exercitium illius debet proportionari actuali essentia: ergo si actu magis radicatur, & actu magis inhæret, essentia ipsa est, quæ augetur. Demùm probatur: nam causa formalis causat per exhibitionem propriæ essentia: & est id quo subiectum est tale: ergo nequit effectus formalis in concreto crescere, quin ipsa forma augetur formaliter, vel virtualiter: ergo si concretum est essentialiter magis tale, & ipsa forma per aliquem modum crescit essentialiter. Cum ergo intensio charitatis, vel calor videamus essentialiter denominari magis diligentem, vel magis calidum, ipsa qualitas augetur essentialiter.

Confirmatur ex Suariorum. Forma in principio intensio non per se, nec actuat subiectum tantum, quantum

quantum progressu, & in fine intensio: ac forma in principio, & sine actuat quantum potest, nam ad hoc habet naturalem inclinationem: ergo si plus actuat in fine, quam in principio, habet in fine intensio maiorem virtutem, quam in principio. Sed non potest crescere virtus informativa formæ, quin augetur essentia; nam vel essentia formæ accidentalis est virtus eius informativa, vel hæc dimanat ab essentia, nec potest crescere, quin augetur essentia: ergo implicat, quod forma intensibilis sit indivisibilis secundum essentiam.

27 Respondemus, & ad auctoritates D. Thomæ dicimus, eas debere explicari à Thomistis, tum, quia si forma augetur secundum essentiam, augetur secundum gradus essentia, & sic intensio fiet per additionem gradus ad gradum, & ruit plene sententia Thomistica. Sequela patet, quia plus est admittere gradus in essentia, quam gradus in virtute informativa entitatis, & essentia; contrarij ponunt gradus in virtute informativa qualitatis: ergo si Thomistæ concedunt gradus in essentia, & intensio fieri per talium graduum additionem, dant contrarijs amplius, quam contendunt. Tum etiam, quia D. Thomas expressè negat, qualitatem augeri essentialiter, aut in essentia. Dicit sic 1. ad Anibald. dist. 17. q. 2. art. 1.

Dicere, charitatem augeri secundum maiorem radicationem in subiecto, vel secundum fervorem maiorem, non est dicere, ipsam augeri per essentiam.

Contrarium videtur docere S. Doctor 2. 2. q. 24. art. 4. ad 3. ubi loquens de Charitate dicit: *Cum enim accidens sit, cuius esse est inesse, nihil est aliud ipsam secundum essentiam augeri, quam eam magis inesse subiecto, quod est eam magis radicari in subiecto.* Ecce accidens magis radicari in subiecto, est augeri secundum essentiam: cum tamen loco laudato ad Anibald. dicat, maiorem radicationem non esse augeri secundum essentiam. Quid autem utrobique intendat S. Doctor, debent nobis explicare Thomistæ. Pro salvanda B. Ægidij doctrina sufficit nobis ultima auctoritas D. Thomæ à nobis allegata, & ad litteram intellecta. Ex qua.

28 Ad auctoritates D. Thomæ dicimus, de mente S. Doct. qualitatem augeri in essentia nihil aliud esse iuxta phrasim ipsius, quam magis radicari in subiecto; at B. Ægidius non negat, qualitates magis, ac magis radicari in subiecto: ergo non negat, qualitates augeri secundum essentiam, ly *secundum essentiam* sumpto in sensu D. Thomæ. At sensus B. Ægidij, & scholæ eius alius est, ut patet ex probationibus datis num. 22. Quibus contenditur, qualitatem tam in abstracto, quam in concreto

esse essentialiter indivisibile, posse tamen variè communicari magis, ac magis iuxta dispositionem subiecti: ergo stat, qualitatem esse essentialiter indivisibilem de mente Agidij, & radicari divisibiliter in subiecto, quod est iuxta phrasim D. Thomæ esse divisibilem secundum essentiam.

Quomodo autem forma in se indivisibilis, & etiam vt subiecto communicata, possit communicari divisibiliter penes maiorem, aut minorem radicationem in subiecto, facile patet in principijs Agidij, apud quem forma indivisibilis dat subiecto effectum formalem divisibilem, maiorem, aut minorem iuxta maiorem, vel minorem radicationem in subiecto: ergo quantumcumque forma sit indivisibilis, divisibiliter comunicatur, divisibilitate passivè orta ex dispositione maiori, vel minori subiecti. Quod si aliquibus apparet difficile, difficultas nascitur, ex quo censent, effectum formalem formæ esse indistinctum à forma ipsa communicata subiecto: quare si forma est indivisibilis, etiam eius effectus, & communicatio formæ indivisibiles sunt. Vide dicta 2. Physic. q. 7. vbi vrgentissimè probatum est, effectum formalem formæ distingui realiter à forma, & depones difficultatem in presenti.

Ad aliud nobis obiectum ex Concilijs, & Patribus, dicimus, nos facilius admittere intentionem

fieri per additionem gradus ad gradum, quam augmentum formæ secundum essentiam: quare si hoc esset necessarium ad syncerius intelligendam doctrinam Patrum, & Conciliorum, dimitteremus sententiam de intentione qualitatum, per maiorem radicationem in subiecto. At pro vera intelligentia myteriorum fidei, & doctrinæ Conciliorum sufficit nobis explicare ad mentem D. Thomæ augmentum gratiæ, & charitatis, nec alium agnoscit S. Doctor, quam illud, quod à nobis explicatur. Dicit sic 1. 2. q. 52. art. 2. ad 2. *Causa augens habitum, facit quidem semper aliquid in subiecto: non autem novam formam; sed facit, quod subiectum perfectius participet formam præexistentem.* Atqui in nostra sententia augentur qualitates supernaturales, & naturales ex parte subiecti, quia iuxta maiorem dispositionem magis participat subiectum de esse formæ præstito à forma indivisibili: ergo nostra sententia syncerissimè explicat augmentum charitatis, fidei, & virtutum, quod docent Patres, & Concilia. Addimus ex D. Thomæ 2. 2. q. 24. art. 5. ad 3. quod *augmentatio charitatis importat mutationem secundum magis, & minus habere.* Non dicit mutationem formæ secundum essentiam, aut secundum gradum entitatis, aut virtutis informativæ; sed mutationem subiecti relatè ad effectum formalem formæ,

formæ, quem habebat in gradu remisso, & per augmentum habet in gradu intenso. Hæc est sententia nostra.

29 Ad primam rationem desideramus scire à Prado Thomista, quomodo forma crescere potest in eius sententia; & tunc ipsi respondimus, distinguendo consequens primæ rationis suæ. Sed quia in sententia Thomistarum, & nostra, forma per intensionem crescere non potest, idè aliter respondemus: & primò, negamus antecedens, vbi dicitur, quod esse existentia est effectus formalis formæ. Si enim existentia in creaturis distinguitur ab essentia, & effectus formalis formæ non distinguitur à forma in sententia Thomistarum; quomodo Thomista assumit, quod esse existentia est effectus formalis formæ? Sed admissio antecedenti, nego consequentia, quia licet ex natura rei inhærentia accidentis proportionetur cum eius essentia, potest crescere inhærentia, manente essentia; & forma invariata; nam essentia non pendet à dispositione subiecti, à qua pendet inhærentia: ergo cum dispositio subiecti sit alterabilis, & variabilis, variatur inhærentia, manente forma, & essentia invariata.

Ad secundam concessio antecedenti, & prima consequentia, nego secundam. Quia licet existentia, & inhærentia accidentis proportionetur cum essentia; depen-

det tamen à dispositione subiecti, quæ variabilis est: & idè ex variatione inhærentia, existentia, aut radicationis formæ non sequitur variatio essentia, sed dispositionis subiecti, & quod crescat, & augeatur effectus formalis formæ.

Ad tertiam distinguo antecedens. Causa formalis est id quo subiectum est tale, est quo activè, concedo antecedens; est quo passivè, nego antecedens, & omnes consequentias. Quicumque negant, distingui à forma effectum formalem illius, tenentur dicere, quod forma est activè, & passivè id quo subiectum est formaliter tale: & contra ipsum procedunt illationes argumenti. Nos dicimus, quod calor est activè id quo subiectum redditur calidum: cæterum passivè constituitur calidum per esse distinctum realiter à forma caloris, nam distinguimus realiter effectum formalem à forma activè communicata. Hoc probatè est. 2. Physic. & tenentur fateri omnes in quantitate. Siquidem extensio partium substantia est effectus formalis quantitatis; sed partes substantia sunt realiter distincta à partibus quantitatis: ergo extensio passiva substantia est realiter distincta ab extensione activa quantitatis, extendentis substantiam, cum tamen sit effectus formalis eius.

Ad confirmationem ex Suariorum distinguo minorem. Forma in principio,

cipio, & sine intensiois actuat quantum potest, quantum potest attenda, sola virtute, nego minima attenda etiam dispositione subiecti, concedo minima, & nego consequentiam cum suis illationibus. Nam eodem argumento probari potest, quod virtus agētis est maior in fine intensiois, ubi magis operatur, quam in principio, & utrobique operatur quantum potest, nam ad hoc habet inclinationem. Ceterum cum ad operandum penes deat ex dispositione subiecti, quod per continuam alterationem resistit minus in fine intensiois; ideo in fine magis, quam in principio operatur, licet eius virtus invariata sit toto progressu intensiois. Idem dic de virtute activa formæ, quæ, ut probatum est, non est virtus absoluta, sed respectiva, & dependens à maiori, vel minori dispositione subiecti.

30. Argues secundò ex D. Thoma 1. Sent. dist. 17. q. 2. art. 2. ad 3. ubi ait: *Quod non est de ratione intensiois alicuius qualitatis, quod sit per remotionem à contrario; sed hoc accidit qualitati, secundum quod inest in subiecto participante contrarium.* Hoc assertum D. Thomæ suadet exemplis: nam lux augetur in aere, in quo nullum est contrarium; cum tenebræ non opponantur contrariè, sed privativè luci: ergo intensio lucis non fit per abiectionem contrarij, & maiorem dispositionem subiecti.

Rursus. Gratia, & charitas Beatissimæ Virginis Mariæ quotidie augebantur: & tamèn hæc maior intensio non fuit per remotionem contrarij; cum in Beata Virgine nullum fuerit peccatum, etiam veniale, quod repugnaret gratiæ, & charitati, nè præstarent ab initio omnem suum effectum formalem. Similitèr in nobis fides, & spes augentur, & intenduntur secundum illud: *Lucæ 10. Adauge nobis fidem*: & tamèn nullam est in nobis contrarium his virtutibus, quibus tantum opponuntur infidelitas, & desperatio: ergo intensio harum virtutum, & aliarum qualitatum non consistit in abiectione contrarij, & maiori dispositione subiecti.

Confirmatur. Nam si charitas ex se est indivisibilis, & pericit subiectum iuxta eius dispositionem, sequitur, quod charitas æquè perficit omnes Beatos; sed hoc est contra fidem; nam Ioan. 12. dicitur à Christo Domino: *In domo Patris mei mansiones multe sunt*. Et ab Apostolo dicitur de Beatis: *Stella differt à stella in charitate*, quod denotatur inæqualitas beatitudinis iuxta inæqualitatem meritorum: ergo nostra sententia videtur contra fidem. Probatür sequela maioris. Nam omnes Beati sunt equalitèr dispositi ad effectum formalem charitatis, cum nullas habeant peccatum, aut cupiditatem terrenorū, quæ contrariatur charitati iuxta dicta ex P. Aug. ergo &c.

Confir-

Confirmatur secundò. Si charitas quantum ad essentiam est indivisibilis, quicumque homo existens in charitate haberet tantam charitatem, quantum habet Christus; sed hoc est absurdum: ergo non potest poni charitas indivisibilis secundum essentiam. Sequela maioris patet, nam non potest in vero sensu dici iuxta nostram sententiam, quod Christus habet maiorem charitatem, si in ipso, & nobis est charitas indivisibilis, cum unum indivisibile non sit maius altero.

Confirmatur tertio. Si charitas posset auferri propter dispositionem, posset etiam minui propter indispositionem; sed hoc est falsum: ergo & primum. Maior patet, quia, ut dicitur 1. Poster. si affirmatio est causa affirmationis, etiam negatio est causa negationis. Minor probatur. Quodlibet peccatum veniale est indispositio ad charitatem; unde si per venialia minueretur charitas, repetitis venialibus, totalitèr charitas extingueretur; sed hoc est falsissimum, quia per solum peccatum mortale deperditur charitas, alioquin qui solis venialibus deperderet charitatem, esset damnabilis ad pœnam æternam propter defectum charitatis. Ergo &c.

Ad argumētum respondemus, & ad auctoritatem D. Thomæ dicimus, non esse contra nos. Nostra enim sententia non dicit,

quod intensio qualitatis fit per deparationem subiecti à contrario, ut nobis imponant qui non benè callent *Ægidij* doctrinam. Est ergo sententia nostra, qualitatem formalitèr intendi per hoc, quod præstat maius esse subiecto. Hoc enim formalissimum est in intensioe cuiuscumque formæ naturalis, aut supernaturalis. Nec contra hoc militat argumentum factum, nec alia, quæ ex Suario proponemus. Dum autem à nobis queritur, cur per intensioem forma dat magis esse, quam in principio? Non respondemus, quia per intensioem magis abijcitur de contrario; sed dicimus, rationem esse, quia per intensioem subiectum magis disponitur ad esse formæ. Hæc maior dispositio potest esse vel per remotionem contrarij, si est in subiecto; vel per positivum esse, disponens subiectum ad perfectiorem participationem formæ. Ità contingit Beatissimæ Virgini Mariæ, cuius charitas non est aucta per remotionem contrarij, ut benè probat argumentum: ceterum aucta est vi meritorum personalium, quibus meruit augmentum gratiæ, & per ista merita disponebatur anima illius ad recipiendum maius esse à præistente charitate. Quod vides, etiam in Beata Virgine verificari augmentum charitatis iuxta expositionem *Ægidij*; siquidem augebatur per hoc præcisè, quod anima Virginis recipiebat magis,

& magis de esse charitatis: & credebatur hoc esse iuxta maiorem dispositionem animæ ad tale esse: non per abiectionem contrarij, sed per actus proprios, disponentes ad augmentum charitatis.

Ex his ad auctoritatem D. Thomæ dicimus primò, non esse contra nos, vt patet ex dictis. Respondemus secundò, ibi S. Doctorem loqui de augmento qualitatis supernaturalis, de qua est verum, quòd non semper intenditur abiectione contrarij. Nostra conclusio philosophica est, & procedit de qualitatibus naturalibus, quæ intenduntur in mixto sublunari: istæ semper inveniunt contrarium removendum à subiecto, cum subiectam constet contrarijs qualitatibus, & capax sit strictæ contrarietatis. Præterea. Argumentum militat contra definitionem motus, qui iuxta Aristotelem petit versari inter terminos contrarios, & hoc est essenziale motui: ergo si in Beata Virgine nullum fuit contrarium qualitatibus supernaturalibus, vt re vera non fuit, virtutes Virginitatis non fuerunt auctæ per motum intensiōis, sed per mutationes instantaneas conformitèr ad dicta de mente Gofredi, nempe, quòd cederet charitas minor per infusionem, & adventum maioris charitatis. De fide est, charitatem Virginis auctam esse in via; sed non est de fide, augmentum hoc factum esse per strictum motum

intensiōis, qui non procedit de contradictorio in contradictoriu, sed de contrario in contrarium; & hoc non per accidens, sed essentialitèr, quia hoc est essenziale motui.

In forma ad auctoritatem D. Thomæ dic, non esse de ratione intensiōis, quòd sit per remotionem à contrario, sumpta intensiōe pro augmento qualitatis præcisiuè à motu; secus si intensio fiat per motu strictum, qui petit essentialitèr versari inter terminos contrarios, vt dicitur 5. Physic. Nec cõtra hoc procedunt exempla data ab arguente. Nam lux non augetur per motum strictum; sed per mutationem instantaneam: nam, vt benè dicitur in argumento, lux non fit ex contrario, sed ex contrario, per remotionem tenebrarum, quæ opponuntur luci privatiuè: vnde illuminatio non fit successiue, sed in instanti. Charitas, & gratia Beatissimæ Virginis Mariæ quotidie augebatur, sed non per motum, cum non fieret ex contrario. Fides, & spes in nobis augetur etiam, sed non per motum, quando non sunt ex contrario; sed per repetitas mutationes instantaneas. Hæc dicimus ex abundantia, sed non ex necessitate, vt teneamus doctrinam B. Ægidij. Nam pro intensiōe cuiuscumque qualitatis solum petimus subiectum magis, & magis dispositum, quid quid sit, an inter dispositiones subiecti

subiecti computanda sit abiectione contrarij. Præterea. Licet B. Ægidius æquè dicat, intensiōem fieri per susceptionem maioris esse à forma tam naturali, quàm supernaturali: at non docet, vniformem esse causam in formis supernaturalibus, ac in naturalibus addendum esse. Ratio est, quia, licet agens naturale pendeat à dispositionibus subiecti, vt inducat formam, & illam magis radice in subiecto; secus agens supernaturale, nempe Deus, qui non pendet à dispositionibus subiecti, sed pro mero libito, & arbitrio suæ voluntatis potest infundere qualitates supernaturales subiecto non disposito, & eas amplius, & amplius subiecto intimare sine vlla prævia dispositione: ergo argumentum petitum ex qualitatibus supernaturalibus, non est contra nos, qui philosophicè loquentes, agimus de intensiōe qualitatum ab agente creato.

32 Ad primam confirmationem dic, Beatos esse inæquales in præmio essentiali, in gratia, visione, & charitate beatifica: nam licet istæ formæ sint indivisibiles in essentia, præstant tamen diversum, & inæquale esse iuxta diversitatem dispositionis subiecti. Et dum arguis, Beatos omnes esse æqualiter dispositos, Respondemus verum esse de dispositione negativa, consistente in remotione contrariæ cupiditatis. Sed non est verum de

dispositione positiva, quæ attenditur penes merita habita in via: cumque Beati omnes fuerint in via inæquales in meritis, fuerunt inæquales in dispositione positiva, & sic inæqualiter participant esse à forma formalitèr beatificante. Quo vides clarè explicari à nostra sententia inæqualitatem beatitudinis, stante indivisibilitate formæ formalitèr beatificantis.

Ad secundam confirmationem dic, quòd charitas non vocatur maior, aut minor ratione formæ, sed ratione effectus formalis, quæ præstat subiecto, vt supra ex P. August. dictum est de eloquentia. Charitas Christi D. summa est, & maximè excedit charitatem cuiuscumque Beati: at non maiore te formæ, sed excessu effectus formalis illius, qui in Christo fuit maximus, & ita replens animæ capacitatem, vt verum sit, quod dicitur ab Apostolo Ioanne: *De plenitudine eius omnes accepimus.* Nec Deus diligendo habentes charitatem, movetur præcisè à forma charitatis, sed ab effectu formali illius, qui reddit nos Deo charos: cumque non omnes habeamus equaliter effectum formalem charitatis, ideo diligimur à Deo inæqualiter, Christus autem supra omnes ineffabiliter.

Ad tertiã confirmationem nego sequelam maioris cum N. Argentina in 1. sent. dist. 17. q. 2. art. 4. vbi probat charitatem habitua-

lem non posse minui per indispositionem nostram. Nam indispositio esset peccatum mortale, aut veniale. Mortale non minuit charitatem, sed eam plene removet ab anima. Peccatum autem veniale si minueret, sæpè repetitum charitatem extingueret: vnde fieri posset, vt quis totaliter perderet charitatē, & esset damnabilis propter sola venialia, quod est falsum. Hinc dicit, quod peccata venialia minuunt charitatē actualem, & sic explicat illud Augustini, quod cupiditas contrariatur charitati: nam si cupiditas est peccatū mortale, extinguit charitatem; si est veniale, reddit hominem minus aptum ad obediendum voluntati imperanti secundum rectam rationem, & sic contrariatur charitati, non in se, sed quantum ad actum.

Nec contra hoc videtur auctoritas Philosophi. Postea: nam pro formis supernaturalibus, quas Aristoteles ignoravit, eius auctoritas nihil conducit. Præterquam quod cum intensio, & remissio formæ supernaturalis sit à Deo, qui non pendet à dispositionibus nostris; de illa loquendum est iuxta divinum beneplacitum, nobis insinuatam in sanctis Scripturis. Ex eis patet, quod charitas non deperditur totaliter per venialia repetita, sed per solum mortale: ergo dato, quod per venialia tepescat charitas habitualis, & remittatur à pristina intensione; non

tamen repetitis venialibus extinguetur charitas. Deo specialiter providente, nè charitas extinguatur nisi per solum peccatum mortale.

33 Argues tertio cum Suario, vbi supra dicente, sententiam B. Ægidij posse dupliciter intelligi, nempe quod intensio fiat per abiectionem contrariæ qualitatis, ita vt hæc abiectio sit pura conditio ad intensiōem qualitatis; vel ita vt intensio consistat tantum in abiectione contrarij, & impedimentorum. Si primum: ergo restat Ægidio explicandum, in quo consistat maior radicatio, & actuatio subiecti, & an augeatur per augmentum, & additionem in ipsa vnione: & sic redeunt argumenta facta contra alias sententias. Præterquam quod ablatio impedimenti, licet necessaria sit ad intensiōem formæ, precedit in genere causæ materialis intensiōem formæ, vt dispositio ad illam: ergo restat explicare, in quo consistat intensio formæ, quæ datur pro posteriori.

Si dicatur secundum: ergo intensio non est verum, & reale augmentum formæ, aut effectus formalis eius, sed solum per accidens, & quoad appatentiam quia ablatio impedimenti, forma perfectius agit, aut movet, & idcirco à nobis perfectior censetur. Hoc est primum absurdum, quod sequitur ex illa sententia. Sequela patet, quia

quia formæ, & vnioni eius nihil positivum additur: ergo positivè non crescit, & sic solum superest remotio impedimentorum, aut apparentia quædam. Falsitas autem consequentis patet ex principijs fidei, nam erroneum est dicere, fidem, charitatem, & gratiam non augeri in nobis realitèr, aut illud augmentum positum esse in sola abiectione contrarij: tum, quia gratiæ, & charitati nihil contrariatur nisi peccatum, nec fidei nisi infidelitas; quæ contraria omninò abijciuntur per minimam gratiam, & fidem; & postea possunt illæ qualitates per se augeri, & perfici. Rursus, in Beatis lumina gloriæ, & visiones inæquales sunt; licet in abiectione contrariorum non sit inter Beatos propria, & formalis inæqualitas.

Falsitas etiam sequelæ probatur ex naturali philosophia. Nam lumen per se, & directè perficitur in aere, dum magis illuminatur; idè est de actibus animæ nostræ, dum maiori conatu amamus, & intendimus: nec tamen illa intensio fit per abiectionem contrariæ qualitatis, quæ nulla est sic contraria luci, & amoris nostro. Hinc sumitur ratio. Nam maior, vel minor intensio non solum provenit ex materiali dispositione recipientis, sed etiam ex virtute agentis, si naturale est, quia fortius, aut debilius, vel quia magis, vel minus distat: si liberum; quia voluntariè

magis, vel minus exercet virtutem suam: ergo cum ex varijs causis ortum ducat maior intensio formæ, perpetuam explicatur per solum dispositionem subiecti.

34 Respondemus, Suarium non bene explicare sententiam B. Ægidij, quem allegat quodlib. cit. vbi videre poterat, intensiōem non consistere in abiectione contrarij, sed in eo, quod forma det subiecto maius esse. Hinc cessat plene argumentum factum, quod procedit ex falsa suppositione. Illud tamen expendimus sigillatim, vt explicetur amplius sententia nostra. In primis Suario dicimus, remotionem contrariæ qualitatis esse dispositionem ad intensiōem requisitam, & præcedere in genere causæ materialis: quare debemus assignare, in quo consistat intensio formæ pro posteriori. Dicimus, consistere in eo, quod forma indivisibilis præset subiecto maius esse formale. Nec contra hoc redeunt argumenta facta in alias sententias, quia nos non ponimus, formam variatam, aut vnionem primam, sed eis invariantem, variatur effectus formalis, qui intenditur, & fit maior. In hoc effectu admittimus gradus, quos Ægidius dicit gradus in esse; nec sunt gradus in existentia, aut inhærentia formæ, vt putant impugnatores Ægidij, sed sunt gradus in effectu formali formæ, qui divisibilis est, licet forma sit indivisibilis: nec hoc est inauditum,

cum omnes fateantur, corporeitatem hominis realiter divisibilem esse effectum formalem anime rationalis, quæ non solum in se, sed ut subiecto communicata est formaliter indivisibilis.

Ad secundam partem argumenti dicimus, intensiorem non consistere formaliter in ablatione impedimentorum, sed in vero augmento, non quidem formæ, sed effectus formalis illius. Assertum hoc nihil habet contra fidem, cum verè designemus augmentum, & illud non sit dependens per se à remotione contrarij in qualitatibus supernaturalibus, ut supra explicatum est. Lumina gloriæ, & visiones Beatorum inæquales sunt duplici titulo: ex parte subiecti, quia inæqualiter Beati participant esse à lumine, & visione: ex parte obiecti, quia inæqualiter percipiunt prædicata eminentialia Dei, licet convenient in percipiendis formalibus. Ad instantiam de luce illuminante aerem, iam dictum est. Ad aliud de amore, & actibus nostris, cum pendeant à causa libera, quæ non agit quantum potest, sed quantum vult, dicendum est, maiorem intensiorem provenire ex maiori applicatione agentis; & tunc philosophandum est sicut de intensiorem formarum intentionalium v. g. luminis, & specierum visibilium, de quibus dicit B. Ægidius in 1. Sent. dist. 17. q. 8. quod totaliter pendent ab agente

non solum in fieri, sed in factio esse, & conservari. Hinc fit, quod aer minus dispositus potest magis illuminari à Sole, quam aer purior à Luna: quia cum lumen sit forma intentionalis, eius intensio attenditur penes causam agentem fortiolem, aut debilliolem. Sic dicendum de intensiorem actuum, qui pendent à libero arbitrio non operante quantum potest, sed quantum vult; nam tunc intensio plenè desumitur à principio agente, nulla habita ratione subiecti.

Ad ultimam rationem Suarij dicimus, quod in causis liberè agentibus, & operatione immanenti, tota ratio intensiorem actus sumitur ex parte agentis, ut de amore libero dictum est. In causis autem naturalibus, & necessarijs, quæ operantur quantum possunt, intensio effectus sumitur à dispositione subiecti, à maiori, vel minori virtute agentis, & à maiori, vel minori approximatione ad passum, ut benè advertit Saarius. Cæterum malam infert consequentiam contra B. Ægidium, tanquam diminutè explicaverit causam intensiorem per solam dispositionem subiecti: nam in dispositione illa implicite continentur reliquæ causæ intensiorem formæ. Ratio est, nam quod maior est virtus agentis, eo fortius, & brevius disponit subiectum: quare ignis magnus brevius, & fortius disponit lignum ad calorem intensum, quam ignis parvus.

parvus. Similiter ignis magis approximat: perfectius, & citius disponit lignum ad calorem intensum, quam ignis distans: ergo cum maior virtus agentis, & maior approximat in tantum conducant amplius ad intensiorem effectus, in quantum disponunt perfectius; nostra sententia dans dispositionem subiecti pro causa intensiorem, dat aliquid comprehendens omnes causas mediata, vel immediata quomodocumque concurrentes ad intensiorem maiorem effectus.

35 Argues 4. ex eodè Suario. In subiecto nihil repugnante, vel æquè disposito potest aliqua forma esse magis, vel minus intensa ratione agentis: ergo maior intensio non provenit ex dispositione maiori subiecti. Antecedens patet in aere, qui intensius illuminatur à Sole, quam à Luna, licet respectu utriusque agentis sit æquè dispositus, & æquè non repugnans. Patet etiam exemplo duplicis ignis magni, & parvi in diversis partibus ligni æquè repugnantis calori: nam citius calefit, & intensius ab igne magno. Et confirmatur. Nam expulsio dispositionis contrariæ, & repugnantis, fit per eandem actionem, per quam intenditur forma; ignis enim non remittit figuræ à ligno, nisi intendendo calorem: ergo illa actio præter abiectionem contrarij habet priorem terminum positivum; nam ut supra dictum est, positiva actio

non terminatur per se primò ad non esse, sed ad esse: ergo ille terminus primarius actionis est intensio formæ, & perfectio illius, non autem abiectione contrarij, nam hoc est secundarium, & in secundario non potest consistere primarium. Ergo intensio, & perfectio formæ non consistit in dispositione subiecti, quæ fit per abiectionem contrarij.

Confirmatur secundò. Si calor intenditur ex dispositione subiecti, quæ potest esse minor, aut maior: ergo ipsa dispositio subiecti, quæ iam est minor, iam maior, intenditur etiam, & remittitur. Per quid ergo intenditur illa dispositio subiecti? Si intenditur per aliam dispositionem, datur processus in infinitum; nam illa dispositio etiam potest esse maior, vel minor, & sic intendi, & remitti: ergo per maiorem, aut minorem dispositionem subiecti, & sic proceditur in infinitum. Restat ergo, quod maior intensio non sumitur ex dispositione subiecti, sed ex alio principio, quod non explicatur à DD. nostræ sententiæ.

Confirmatur tertio. Contraria iuxta communem sententiam possunt esse in eodem subiecto, & coexistere in gradu remisso; sed si vera est sententia Ægidij, sequitur, quod coexistent naturaliter in gradu intenso; sequitur etiam, quod nullam eorum possit intendi, aut remitti: ergo cum hoc sit

contra veram Philosophiam, re-
jicienda est Ægidij sententia. Pro-
batur prima sequela maioris. Si
contraria coexistunt etiã in gra-
du remisso, coexistunt secundum
totam suam essentiam, quæ in
sententia Ægidij indivisibilis est,
& sic vel tota existit, vel non exis-
tit; sed contraria, quæ secundum
totam suam essentiam, & totam
suam esse coexistunt, coexistunt
in summo; nam non possunt ampli-
us existere, quàm existendo se-
cundum totum suum esse: ergo in
sententia Ægidij contraria remissa
coexistentia in eodem subiecto,
coexistunt in summo. Hinc proba-
tur secunda sequela. Nam nullum
ex contrarijs remissis coexistenti-
bus, si existit in summo, & quo-
ad totum suum esse, potest amplius
intendi. Nam ultra totum esse for-
mæ non datur aliud esse perfectius,
quod possit acquiri per intensio-
nem: ergo calor remissus, si ra-
tione indivisibilitatis existit quoad
totum esse, non potest intendi. Si-
militer, non potest remitti: nam
remissio fit per deperditionem ali-
cuius esse; sed esse indivisibile non
potest deperdi quoad aliquid sui,
sed vel deperditur totaliter, vel
nihil deperditur: ergo forma acci-
dentalis iuxta positionem Ægidij
non potest remitti.

36 Ad argumentum respon-
demus, quod relatè ad agens æquè
dispositum agentia inæqualia in-
æqualiter operantur effectum in-

entionalem, sed non effectum
realem. Ratio primi data est ex B.
Ægidio ubi suprã: & idèd conce-
dimus, ærem æquè dispositum in-
tensius illuminari à Sole, quàm à
Luna. Ob eandem rationem licèt
aqua sit minus diaphana, & minus
disposita ad lucem, quàm aer, ma-
gis tamèn aqua illuminatur à So-
le, quàm aer à Luna. Nam in his
formis intentionalibus nulla habe-
tur ratio subiecti, sed plenè atten-
ditur ad virtutem agentis, cum
qua effectus commensuratur. Indè
apud N. Doctorem aliter dicen-
dum est de intensione formæ in-
tentionalis, ac formæ realis, tum
propter dicta, tum, quia forma in-
tentionalis non fit ex contrario,
nec per motum strictum, sed per
mutationem instantaneam. Vide
dicta 1. Physic. q. 12. n. 15. ubi
hoc explicatum est.

Iam verò, quod non sit ea-
dem ratio de effectu reali, patet
ex eo, quod si stupã ultimò dispo-
sitæ ad formam ignis applicentur
duo agentia inæqualia, v. g. car-
bo, & ignis magnus, æqualiter
comburunt, & produunt ignem
in stupã, vt bene notat Argenti-
nas. Si autem passum sit solidum,
vt lignum, & habeat ex omni par-
te qualitates repugnantes, tunc
in prima operatione uterque ignis
applicatus æqualiter operatur pro-
ducendo primum calorem. Sed
quia ignis maior in decursu inten-
sionis magis disponit subiectum,
quàm

quàm ignis minor, idèd citius
comburit. Caterùm celeritas illa
destruit suppositionem argumenti,
qua supponitur passum æquè dis-
positum utriusque agentis: est enim
æquè dispositum, dum primò ap-
plicatur, sed non postèa in decur-
su intensionis, quia relatè ad ignem
fortiorem est magis dispositum.

Ad primam confirmationè dic-
quod abiecto contrarij, & dispo-
sitione subiecti ad formam est prior
in genere causæ materialis, licèt
sit posterior in genere causæ effi-
cientis, vt dictum est quæst. 3. à
num. 6. Vndè ex parte agentis
prior est intensio caloris, quàm
remissio frigoris: ex parte tamen
subiecti prior est remissio frigi-
ris, quàm intensio caloris. Ergo
dam pro intensione caloris assigna-
tur causa remissio frigoris, verè
datur per aliquid prius in aliquo
genere causæ, licèt sit posterius in
alio. Præterquamquod, vt dictum
est, nostra sententia non dicit,
intensio formæ consistere in
abiectioe contrarij, aut per illam
constitui: sed consistere in eo, quod
subiectum recipiat maius esse à
forma præexistente. Dam autem
causa huius quæritur, responde-
mus, dando causam materialem,
quæ cæteras continet, nempe idèd
subiectum magis recipit de esse
formæ, quia est ad illam magis
dispositum. In hac responsione
includitur maior virtus agentis, &

approximatio illius: nam hæc duo
conducunt ad meliorem effectum,
in quantum melius disponant sub-
iectum ad formam. Si autem a no-
bis quæritur, cur subiectum sit
nunc magis dispositum, quàm an-
teà? Respondemus iuxta qualita-
tem formæ; nam si habet contra-
rium, vt habent omnes formæ ma-
teriales intensibiles, dicimus, sub-
iectum nunc esse magis dispositum,
quia minus habet de contra-
rio: *ly quia* dicit etiam causam
materialem, sed ad eam reducitur
causa efficiens, & reliquæ, vt dic-
tum est. Si autem forma non ha-
bet contrarium, tunc vel non est
acquisibilis per motum strictum,
vt dictum est num. 31. vel etiam
petit abiectioem contrarij non
privativam, sed negativam, vt de
gratia Virginis Matris dictum est.

37 Ad secundam confirma-
tionem dic, illud argumentum sibi
obicisse B. Ægidium quodlib. 2.
q. 14. & respondet, non dari pro-
cessum infinitum in qualitibus
disponentibus subiectum ad inten-
sionem formæ accidentalis. Nam
intensio, & remissio in secundis
qualitibus fit per maiorem dis-
positionem subiecti, quæ habetur
per primas qualitates. Istæ primæ
qualitates v. g. calor, & frigus
etiam sunt intensibiles per maiore
dispositionem subiecti: caterùm
pro hac maiori dispositione non
recurrimus ad alias qualitates, sed
ad rarum, & densum materiæ, si-

quidem materia rarefacta est disposita ad calorem, sicut condensata est disposita ad frigus. Agens autem habet dominium supra materiam ad illam condensandam, vel rarefaciendam. Hic sibi dispositio subiecti, nec ex nostra sententia sequitur processus infinitus in qualitatibus disponentibus. Si dicas: calidum & frigidum, siccum & humidum, non debent reduci ad rarum, & densum: quia qualitates primæ non debent reduci ad secundas: rarum autem, & densum sunt qualitates secundæ. Præterea. Raritas resultat ex calore, nam materia per calorem rarefit ab agente. Respondet B. Ægidius, quod licet calidum, & frigidum sint priora denso, & raro relatè ad agens, quia calefaciendo rarefacit: at raritas, & densitas sunt priora ex parte materie, quia hæc rarefacta calefit. Cum ergo argumentum petat, quid sit prius ex parte materie dispositæ; idè bene respondetur, quod rarum, & densam præcedunt calorem, & alias qualitates primas.

Ad tertiam confirmationem dic, procedere ex non intelligentia sententiæ Ægidij, apud quem quilibet forma accidentalis habet esse indivisibile quoad essentiam, sed præstat subiecto esse divisibile, & admittens gradus, secundum quos fit intensio, & remissio. Dum autem in eodem subiecto sunt formæ contrariæ remissæ, ibi habent to-

tum suum esse essentiale, sed non habet subiectum totum esse formale, quod præstari potest ab eis formis, & idè dicitur, eas coexistere in gradu remisso. Pro considerando gradu formarum non est attendenda entitas, aut essentia formarum, quæ nullos habet gradus; sed videndum est esse formale, quod subiectum participat à forma, nã hoc tantum habet gradus in nostra sententia. Cumque quando formæ remissæ coexistunt in eodem subiecto, subiectum non recipiat à forma totum esse, quod potest, idè nec formæ illæ coexistunt in summo; nec apparenter probatur, formas illas non posse intendi, & remitti.

38 Argues quintò cum alijs apud N. Argentinam. Si Deus separaret à subiecto duos calores inæquales, illi calores separati conservarent gradus suos; sed tunc gradus illi non dependèrent à dispositione subiecti, cum conservarentur independentèr à subiecto: ergo maior intensio nec consistit in maiori dispositione subiecti, nec ab ea penderet. Confirmatur. Non potest maior intensio formæ consistere in maiori esse formali præstatio à forma, si forma est indivisibilis: ergo vel forma in se habet gradus, & non est indivisibilis, vel non præstat esse formalitèr divisibile. Probatùr antecedens. Relatio non potest intendi, nisi intendatur eius fundamentum; sed participa-

ticipatio formæ, & illud esse, quod subiectum participat, est quædam relatio, cuius fundamentum est ipsa forma: ergo &c.

Confirmatur secundò. Omnis realis alteratio terminatur ad veram qualitatem; sed motus intensio, quo forma suscipit magis, est vera alteratio: ergo terminatur ad aliquam qualitatem. Sed talis qualitas non potest esse illa, quæ præfuit; nam ad illud, quod est actu, non est motus, cum motus sit *actus entis in potentia secundum quod in potentia*, ut dicitur 3. Physic. Nec potest esse totalitèr altera qualitas distincta à prima: nam per hoc prima non intenderetur, & darentur duæ qualitates numero in eodem numero subiecto: ergo qualitas, ad quam terminatur intensio, est qualitas partialis; & sic qualitas habet gradus in essentia, & fit intensio per additionem gradus ad gradum. Tandem, Commentator 6. Physic. comment. 38. dicit, quod, cum aliquid mutatur de albo in nigrum, partim habet de termino à quo, & partim de termino ad quem: ergo huiusmodi formæ habent partes, & sunt divisibiles, fitque intensio per additionem.

39 Ad argumentum respondetur primò negando casum possibilem cum N. Doctore 2. Sent. dist. 19. q. 2. ubi probat, repugnare in terminis, quod qualitates separantur ab omni subiecto. Nec

contra hoc militat argumentum ex Eucharistia: nam ibi quantitas est subiectum qualitatum, vnde non sunt separatæ ab omni subiecto. Dato tamèn, quod Deus qualitates sic separatæ conservaret, suppleret defectum, & dependentiam earum à subiecto: vnde tunc dicerentur in tali, & tanto gradu ratione illius gradus effectus formalis, quem præstabant subiecto ante separationem, & per ordinem ad subiectum sic, & talitèr dispositum.

Ad primam confirmationem dicimus, quod esse formale formæ non est relatio, sed modus quidam afficiens subiectum ex receptione formæ in subiecto derivatus, ut explicatum est 2. Physic. q. 7. Dato tamèn, quod sit relatio, hæc non fundatur purè supra formam, sed supra formam magis, aut minus intimatam, aut radicatam in subiecto ratione maioris, vel minoris dispositionis. Hæc omnia remorè fundantur in virtuali divisibilitate formæ, quæ potest activè informare iam magis iam minus: ergo non ponimus relationem diviubilem supra fundamentum plenè indivisibile.

Ad secundam confirmationem dic, quod motus alterationis terminatur ad eandem qualitatem ut darentem novum esse formale: quare licet subiectum mobile non sit in potentia ad novam formam, est tamèn in potentia ad novum esse formæ,

formæ, quod præstat ex vi motus intensiois. Ad ultimum dic, quod *ly partim* non sumitur à Commentatore nominalitèr, ut dicit partem, quia hoc falsum est, si formæ non habent partes. Sumitur adverbialitèr, ad denotandum, quod mobile, durante motu, non est totalitèr in termino *ad quem*. Ex quo nihil contra nos.

40 Quæres, quomodo fiat intensio formarum intentionalium? Supponimus ex dictis 1. Physic. q. 12. à num. 5. quod formæ intentionales, ut sunt species impressa, & expressa deservientes cognitioni, lumen naturale Solis, & stellarum, & artificiale ignis, & lucernæ, insuper species colorum, quæ immittuntur oculis nostris ab obiecto visibili, & sunt in aere intermedio, omnes istæ non sunt per educationem de potentia subiecti, quia cum non habeant contrarium, nec sunt per motum, nec subiectam ad illas transmutatur. Et cum aliud non fiant per creationem, ut patet, potius resultant, quàm fiant: nec inconvenit, non fieri propriè formas illas, quæ solum impropiè formæ sunt. Dato fieri, sunt per actionem similem creativæ, cum fiant independenter à subiecto, & dispositione illius: nec inconvenit, creaturæ convenire actionem similem creativæ: nam hoc non oritur ex perfectione agentis, sed ex imperfectione formæ, quæ tanta est, ut non pen-

deat à subiecto, nec ab eo individuetur, sed unicè à virtute agentis, à qua pendet in esse, & conservari. Hoc supposito.

Dicimus, formas intentionales de facto intendi per additionem partis ad partem. Ita B. Ægidius in 1. dist. 17. p. 2. q. 2. art. 1. ad 4. Ibidem Gerardus quæst. 2. art. 3. in solutione 3. argum. Sic sentit N. Argentinas vbi supra. Villanova, & omnes nostri. Quod autem tales formæ intendantur, patet in lumine artificiali, quod intensius est, quando eidem spatio applicantur corpora luminosa duplicata. Quod autem talis intensio fiat per additionem, probatur primò, quia tales formæ individuantur ab agente: ergo cum intensio fiat per additionem agentis, fit etiam per additionem formæ ad formam. Probatur secundò, quia in formis intencionalibus non est inconveniens, quod duo accidentia numero distincta sint in eodem subiecto: ergo cessat ratio, qua hoc probatur impossibile de formis realibus, quæ à subiecto individuntur. Rursus, licèt albedo, & nigredo sint ita contraria, ut non possint esse in eadem parte subiecti; species tamen albi, & nigri possunt esse in eadem parte subiecti, ut loco cit. probatum est: ergo licèt formæ reales non possint intendi per additionem in eadem parte subiecti, possunt tamen formæ intentionales.

QUÆST.

QUÆSTIO OCTAUA.

De augmentatione, & nutritione.

§. I.

Explicatur, quid sint, & variae difficultates deciduntur.

IB. 2. de Anima q. 1. disputavimus de potentijs animæ vegetativæ, inter quas computantur nutritiva, & augmentativa. Ibi etiã actum est de distinctione harum potentialium, de earum actibus, & terminis: necnon de continuitate motuum nutritionis, & augmentationis. Quare nò eadem repetamus inutilitèr, & quæ huius tractatus propria sunt, explicemus, & iam dicta insinuemus; idè quæstiones excitabimus, & decisionem nostræ sententiæ proponemus, locum assignantes, vbi comprobata est.

Quæres primò, quid sit augmentatio, & nutritio? Respondemus, quod nutritio est *conversio alimenti in substantiam aliti*. Ità communis sententiæ, quam explicavimus quæst. cit. §. 2. Augmentatio autem est *motus vitalis à minori ad maiorem qualitatem*. Ità

communis sententiæ, à nobis explicata in eadem quæst. §. 3.

Quæres secundò, an dentur nutritio, & augmentatio in omnibus viventibus? Respondemus affirmative: & probatur, quia in omnibus viventibus dantur potentia vitales deservientes nutritioni, augmento, & generationi sibi similes: ergo dantur actus isti in viventibus. Antecedens probatum est quæst. cit. num. 1.

Quæres tertio, an nutritio differat realitèr ab augmentatione? Negat Suarez 2. de Anima cap. 92. Marsilius 1. de Generat. q. 102. N. Saxonia, Venetus, Valles, & alij. Affirmant Thomistæ, & Ægidiani cum Aristotele. Nos q. cit. versavimus quæstionem istam in utramque partem, quam diximus probabilem, & num. 3. diximus, sententiã distinguẽtem esse probabiliorẽ.

Quæres quarto, an per nutritionem substantia alimenti convertatur in substantiam aliti? Ne-

gat Magister Sent. in 2. dist. 30. Sed communis sententia Theologorum, & Philosophorum affirmat, & eam confirmavimus ex P. Augustino q. cit. à n. 5. vbi fundamenta Magistri dissoluta sunt.

Quæres quintò, quomodò nutritio fiat? Respondetur, fieri per varias potentias attractivam, retentivam, digestivam, expulsivam, & conversivam, quas explicavimus quæst. cit. à num. 7.

Quæres sextò, an elementa possint esse alimentum viventium? Sententia affirmativa probata est multipliciter testimonijs P. Augustini, & experientijs: cæterum contrariam communem Philosophis cum Aristotele prætulimus, & probavimus quæst. cit. à num. 8. Ibi etiã decisum est, an metalla possint esse alimentum viventium, & converti in substantiam alicui.

2 Quæres septimò, an purum accidens possit esse alimentum viventium? Negat Aristoteles, cuius sententia multipliciter à nobis probatur quæst. cit. num. 9. Sed contraria vt omninò vera tenenda est de potentia absoluta Dei: & supposito miraculo Eucharistico, potest homo solis accidentibus naturaliter nutriti, quod latè à nobis probatum est quæst. cit. à n. 10.

Quæres octavò, an nutritio sit motus continuus? Negant aliqui putantes colligi ex D. Thoma 2. 2. q. 2. art. 4. ad 6. vbi docet, aug-

mentationem non esse motum continuum. Contraria sententia communis est, & à nobis probata quæst. cit. num. 13.

Quæres nonò, an nutritio duret toto tempore vitæ? Affirmativa sententia, quæ communis est, confirmatur à nobis ratione, & auctoritate P. Augustini quæst. cit. num. 14.

Quæres decimò, an nutritio conveniat solis viventibus? Respondemus affirmativè cum Philosopho 2. de Anima, cuius sententia probatur à nobis eadem quæst. num. 15.

Quæ de nutritione disputantur, proportionali modo discutuntur etiã de augmentatione. Eius necessitas in viventibus probata est q. cit. à n. 16. & de distinctivis nutritionis ab augmentatione actum est n. 17. vbi ratio data est ad quæsitum de tempore, quo durat augmentatio, licet in aliquibus viventibus duret toto tempore vitæ, vt ibi ostenditur n. 18. Ibi dictum, potentias deservientes nutritioni, deservire etiã augmentationi.

§. II.

An vivens maneat idem toto tempore augmenti?

3 **R**atio dubitandi est, quia calor vitalis duos habet effectus, nempe consumere partes viventis, illas resolvendo in vapores,

vapores, sadorem, & excrementa; & convertere substantiam alimenti in substantiam alicui. Cum ergo hæc fiant toto tempore vitæ, videtur, quod partes viventis habitæ per generationem, consumuntur penitus, & loco earum reponuntur aliæ per nutritionem acquisitæ; sed consumptis omnibus partibus alicuius totius, non remanet amplius idem numero totum: ergo dum vivens augetur, & nutritur, non manet idem numero.

Aliqui, vt hanc difficultatem evitarent, dixerunt, dari in vivente partes invariabiles, quas vocant spermaticas, & sunt, quæ fiunt per generationem: dari etiã partes variabiles, quas dicunt nutritimentales, quia produciuntur nutritione ex alimento, & adduntur primis. Has dicunt variari, sed non primas, & ideò in eis conservatur idem numero vivens. Ità Alexander, quem plures secuti sunt, vt refert D. Thomas 1. de Generat. lect. 5. Phyloponus, Averfa, Cabero, & Rubio dicunt, in viventibus partes solidiores, & dariores semper manere, nec resolvi. Quod probant experientia, nam ossa, nervi, & cutis etiã in magna infirmitate non consumuntur. Accedit ratio, quia activitas caloris naturalis est valde temperata, nec potest resistere partibus solidioribus.

Huiusmodi opinio debilis est. Nam omnes partes materiales vi-

ventis sunt corruptibiles; constant enim ex primis qualitatibus, quæ sunt causæ corruptionis; sed omne corruptibile est variabile: ergo omnes partes viventis materiales sunt variabiles. Rursus. Omnes partes viventis solidæ, aut fluidæ, spermaticæ, aut nutritimentales, nutriuntur, & augetur; sed quod augetur, etiã potest diminui; quia contrariorum eadem est ratio: ergo idem.

4 Quæres, an in augmento addatur nova pars formæ, vel præexistens extendatur ad informandam novam partem materiæ? Hoc dubium decidere oportet ante primum quæsitum: nam si perseverat invariata anima viventis, facilius demonstratur, perseverare idem numero vivens toto tempore augmentationis. Circa hoc certissimum est, hominem augeri, manente eadem forma: nam anima rationalis, quæ informat hominem, spiritualis est, & indivisibilis, reservaturque tota in quolibet parte, vt latè diximus lib. 3. de Anima. Etiam colligitur idem de animalibus perfectis, si vera sunt, quæ diximus lib. 1. de Anima quæst. 5. vbi probatum est, animalia perfecta habere animam indivisibilem. Quia tamen ibidem diximus cum P. August. animam perfectorum indivisibilem esse sub gradu viventis perfecti, sed esse divisibilem sub gradu corporeitatis; ideò dubium præsens procedit etiã

etiam de animalibus perfectis.

Nihilominus dicendum est consequenter ad dicta quæst. cit. num. 25. & 26. quod in augmentatione animalis perfecti, & in continuata nutritione acquiritur nova pars materiæ, & non nova pars formæ; sed forma præexistens denudè informat partes materiæ acquisite: & contingere potest, vt tota materia primigenia deficiat, & nova penitus informetur à forma præexistente; quod qualiter eveniat, & servetur vnitas numerica formæ variatis totaliter materijs, ibi satis explicatur. In animalibus imperfectis, quorum formæ sunt plenè divisibiles, & assimilantur viventibus vegetativis, per nutritionem acquiritur simul pars formæ cum partibus materiæ: similiter per calorem naturalem deperduntur partes formæ præexistentis, & loco earum substituuntur acquisite per nutritionem. In his viventibus vrget amplius ratio dubitandi, nè salvetur identitas subiecti.

Nihilominus tenendum est, quod vivens toto tempore nutritionis, & augmenti remanet idem numero vivens. Ita Philosophus 1. de Generat. textu 33. & 34. vbi D. Thomas, & B. Egidius, cum quibus DD. communiter. Ratio Philosophi est, quia aliàs nutritio, & augmentatio non distinguuntur à generatione, & corruptione. Sequela probatur. Nam generatio

terminatur ad novum cõpositum; corrupto præexistente; sed si in nutritione non maneret idem subiectum, terminaretur nutritio ad aliud subiectum de novo productum: ergo nutritio, & augmentatio esset generatio vnus, & sequeretur ad corruptionem alterius. Rursus. Substantia non destruitur per id, quo perficitur; sed per nutritionem conservatur vivens, & per augmentationem perficitur, vt ad perfectum statum perveniat: ergo toto tempore augmenti, vel nutritionis manet idem numero vivens.


Confirmatur. Id quod retinet idem esse, manet idem numero; nam vnitas est passio entis; sed vivens toto tempore nutritionis retinet idè esse: ergo manet idem. Probat. minor. Quoties esse vnus convertitur in esse alterius, id, quod convertitur, desinit esse; sed illud, in quod convertitur, manet: ergo vivens, in quod convertitur alimentum vi nutritionis, retinet idem esse.

Ad rationem dabitandi in contrarium, quæ magis vrget in viventibus, habentibus formam divisibilem, responderetur cum D. Thoma hic lect. 15. quod vt maneat idem numero vivens, non requiritur, quod partes eius maneat materialiter, sed sufficit, quod perseverent formaliter. Sic contingit in nutritione, vbi novæ partes advenientes substituuntur parti-

partibus calore consumptis, & sub eadem figura, ordine, & situ continuantur cum præexistentibus. Huius quatuor exempla dat Philosophus. Primum est in vase pleno aqua, ex quo si guttatim aqua effluat, & guttatim semper infundatur, erit semper idem quantum ad mensuram aquæ. Similiter fluvius semper manet idem, licèt materialis aqua successivo fluxu varietur. Ignis etiam, cui nova applicantur ligna, manet idem, licèt varientur combustibilia materialitèr. Populus etiam civitatis semper manet idem, etsi continua aliquorum corruptione, & aliorum generatione materialitèr varietur.

Observa cum D. Thoma 1. p.

q. 119. art. 1. ad 5. quod si mutatio fieret tota simul, tunc esset corruptio præexistentis, & generatio alterius numero distincti: dum tamèn fit paulatim per acquisitionem partium, quæ continuantur præexistentibus, tunc manet formalitèr idem numero præexistens. Sic contingit in nutritione, præsertim animalium imperfectorum, vbi variatur materia, & forma primigenia: cæterùm, quia non variatur tota simul, sed paulatim, & partes de novo acquisite continuantur cum præexistentibus, in quibus conservatur vnitas numerica viventis; idè in totum motum nutritionis conservatur idem numero vivens.



QUÆSTIO NONA.

In quo consistant rarefactio, & condensatio.

§. I.

Traditur utriusque diffinitio, & sententia aliqua expenduntur.



Arū est illud, quod sub magnis dimensionibus parum continet materie. Densum autem, quod sub parvis dimensionibus multum continet materia.

Ita Philosophi cum D. Thoma lib. 3. de Cælo lect. 3. & ad istas diffinitiones reducuntur aliæ traditæ à Philosopho, & P. Augustino lib. Categor. cap. 12. Differt condensatio à diminutione, quia per diminutionem deperditur quantitas, sed non per condensationem,

ia qua servata eadem quantitate, partes eius occupant minorem locum. Similiter rarefactio differt ab augmentatione, quia per istam acquiritur nova pars quantitatis; per rarefactionem autem servata prima quantitate, acquiritur extensio ad maiorem locum. Hinc dicitur, quod augmentatio, & diminutio sunt motus ad quantitatem; condensatio, & rarefactio sunt motus ad qualitatem, quia per ipsas acquiritur densitas, vel raritas, quæ sunt species qualitatis pertinentes ad quartam speciem.

Dari rarefactionem, & condensationem certum est, & patet experientia in aqua, quæ calore rarefit, & frigore condensatur, ita ut calore rarefacta occupet maiorem locum. Sicut experientia hoc nobis testatur, ita etiam ratio convincit, quod per rarefactionem, aut condensationem non augetur, nec minuitur substantia rei, quæ rarefit, aut condensatur: quare eadem est numero materia rari, & densi, ut tenent DD. cum Aristotele 4. Physic. At quia non facile percipitur, quomodo eadem substantia materialis possit nunc minus, postea maius spatium occupare, nulla additione sibi facta; ideo ut hoc explicetur, varia sunt de hac re DD. placita.

2 Antiquissima fuit Democriti opinio docentis, corpus rareferi, quia inter partes eius sunt multa vacua partes dividendi; con-

densari autem, cum partes conflantur, & sibi omnino coherent, aut paucis vacuitatibus interiectis. Sententiam istam sic explicatam tribuit Democrito D. Thomas 4. Physic. lect. 14. Huic affinis est opinio Okam, Gabrielis, Vallesij, & Arriagæ, docentiam, rarefactionem fieri per intromissionem corpusculorum in partibus intimis corporis, quod rarefit: condensationem consistere in negatione, seu expulsionem corpusculorum, quæ facta partes contidui coniunguntur. Probatur impugnatione aliarum sententiarum, & quia clarissime satisfacit difficultatibus questionis presentis.

Utraque opinio rejicitur. Prima ex dictis 4. Physic. q. 7. ubi probatum est, vacuum non dari in rerum natura, nec posse dari virtute agentis creati. Secunda vocatur commentum Nominalium, & expressè rejicitur à B. Ægidio 4. Physic. textu 84. dub. 1. Impugnatur breviter, quia rarefactio fit, cum parum de materia est sub magnis dimensionibus; sicut condensatio, quando multum de materia est sub parvis dimensionibus, nulla facta additione, aut diminutione quantitatis materiae, ut dictum est; sed per ingressum corpusculorum additur materiae præexistenti; illa enim corpuscula constare debent ex materia, aliter non essent corpora: ergo per ingressum corpusculorum non fit rarefactio;

refactio; & per consequens nec condensatio per expulsionem eorundem.

Rursus. Cum aqua calore ignis alterata rarefit, si reciperet corpuscula, illa essent ignea, aerea, aquea, vel terrea: quidquid dicas, est falsum: ergo rarefactio non fit intromissione corpusculorum. Probatur minor sigillatim, & de igneis sic. Ignis nequit esse simul cum aqua: ergo corpuscula intromissa non sunt ignea. De aereis probatur, quia spiritus aerei sunt subtiliores, quam aquei: ergo cum aqua calefit, prius evolvant spiritus aerei, quam aquei, & sic non remanent in aqua rarefacta, ut eis possit intumescere. De aqueis sic. Quia aqua per aquam non potest rareferi, quia esset idem per idem. Tandem. Corpuscula terrea sunt densiora aqueis; sed densum non potest rarefacere, sicut nec nigrum dealbare: ergo aqua nequit rareferi corpusculis terreis. Vide N. Gavardi quæst. 4. de Rarefact. art. 1. n. 8. ubi quædam objicit pro sententia impugnata, & ea dissolvit. Brevitatis causa omittimus sententiam de punctis inflatis, quam paradoxam dicit Hurtado, & Malus ridiculam. Vide à nobis dicta 6. Physic. q. 3. ubi egimus de his punctis inflatis à num. 7.

3 Inter opiniones magis receptas prima dicit, rarefactionem fieri per acquisitionem novæ quan-

titatis, condensationem per deperditionem eius. Sed divisa est, nam alij volunt, in rarefactione corrumpi quantitatem præcedentem, & novam maiorem produci. Ita Gofredus, Marsilius, Hispalensis, & probabile est apud Averfam. Alij autem censent produci novam quantitatem, & vni præexistenti. Ita Scotus in 4. dist. 12. q. 4. quem sequuntur Scotista, quos citat Mastrius. Ex alijs Caietanus 3. p. q. 77. art. 5. Tolemus 4. Physic. q. 12. & Ferrara 4. contra Gent. cap. 65. probabilem reputat sententiam istam.

Impugnatur primò auctoritate Philosophi, & rationibus ex ipso datis. Nam augmentatio formaliter constituitur per productionem novæ quantitatis, sicut diminutio per deperditionem præexistentis; sed rarefactio est formaliter distincta ab augmentatione, & condensatio à diminutione; nec rarefactio, & condensatio sunt motus ad quantitatem, sed ad qualitatem raritatis, & densitatis: ergo rarefactio non consistit in productione novæ quantitatis. Accedit auctoritas D. Thomæ 4. Physic. lect. 14. ubi ait: *Et sic patet, quod rarum, & densum diversificant qualitates, & non quantitates.*

Accedit ratio contra hanc sententiam, ut primò explicatam. Nam si per rarefactionem destrueretur tota quantitas præexistens, destrueretur etiam ipsa substantia;

sed post rarefactionem manet eadem aqua, vel cera, ac fait: ergo per rarefactionem non destruitur tota quantitas. Maior probatur. Quantitas est primum accidens, & prima dispositio corporalis, media, qua reliqua accidentia inhaerent, ut Philosophi docent communiter, & traditur à D. Thoma 3. p. q. 77. art. 2. ergo destructa quantitate, destruuntur naturaliter omnia accidentia substantiae, & sic ipsa substantia, quae sine accidentibus proprijs conservari non potest. Rursus, sequeretur, corpus Christi, vel sanguinem eius desinere esse per hoc praecise, quod vinum consecratum rarefiat, aut congeletur: quod est contra communem Theologorum. Sequela patet, quia non manente quantitate, quae subiectum est aliorum accidentium, non manent accidentia: eis non manentibus, corpus Christi non manet sub Sacramento.

Quoad secundam partem impugnat eadem sententia. Nam causae non potentes augere corpus, illud possunt rarefacere, ut patet in igne potente rarefacere aquam, sed impotente augere illam; sed si rarefactio esset productio novae quantitatıs, rarefactio aquae esset augmentum aquae: ergo cum ignis non possit aquam augere, & possit rarefacere, rarefactio non fit productione novae quantitatıs. Rursus. Vel nova quan-

titas recipitur, ubi erat quantitas praexistens; & hoc non: quia tunc quantitates penetrarentur, & duo accidentia solo numero distincta essent naturaliter in eadem parte subiecti, quod implicat. Vel reciperetur in parte materiae, quae antea non habebat quantitatem: & hoc repugnat, quia materia nunquam est sine quantitate, à qua extenditur, & redditur capax qualitatum sensibilium.

4 Dices. In rarefactione acquiritur nova extensio, & deperditur in condensatione; sed quantitas consistit formaliter in extensione partium, ut in Logica dictum est: ergo in rarefactione acquiritur nova quantitas, & deperditur in condensatione. Confirmatur. In rarefactione acquiritur novae dimensiones, ut patet ex definitionibus datis; sed dimensiones sunt accidentia de genere quantitatıs: ergo si variantur dimensiones, variatur quantitas. Praeterea. In rarefactione est maior extensio in ordine ad locum; sed ista est effectus quantitatıs: ergo illa variata, variatur quantitas. Hoc videtur dicendum de mente D. Thomae 4. Physic. lect. 14. ubi ait: *Rarefactio fit per hoc, quod materia earundem partium accipit nunc maiorem, nunc minorem quantitatem; ut sic rareferi nihil aliud sit, quam materia recipere maiores dimensiones per reductionem de potentia in actum; condensari autem e contrario.*

Ad

Ad primum dicimus, quod essentia quantitatıs consistit in extensione partium in ordine ad se, non autem in extensione in ordine ad locum: nam Christus D. in Eucharistia retinet propriam quantitatem, nec tamen habet partes extensas localiter. Est ergo extensio localis effectus secundarius quantitatıs, qui interdum variatur sine variatione quantitatıs, per solam variationem qualitatis rari & densi, ut dicemus. Quare cum in rarefactione non acquiritur nova extensio partium in ordine ad se, sed in ordine ad locum; ideo fit rarefactio sine additione quantitatıs, & additione raritatis, quae qualitas est. Hinc ad confirmationem dico, quod dimensiones non semper variantur, ut accidentia quantitatıs, sed interdum ratione qualitatis dilatantur, vel comprimuntur ad occupandum maiorem, vel minorem locum: & sic contingit in rarefactione, & condensatione, de quibus D. Thomas ubi supra dicit: *Rarum & densum diversificant qualitates, & non quantitates.*

Ad aliud dico, quod extensio in ordine ad locum corporis non alterati est effectus quantitatıs: sed illa maior extensio, aut minor corporis alterati ab agente rarefaciente, aut condensante non est effectus quantitatıs, sed qualitatis. Ad auctoritatem D. Thomae dico, S. Doct. nomine quantitatıs intelligere explicationem quantitatıs in

ordine ad maiorem, vel minorem locum. Sic explicant Prado, & alij Thomistae D. Thomam, qui ibidem dicit, non variari quantitates, sed qualitates: ergo quia nomine quantitatıs in auctoritate obiecta non intelligit entitatem quantitatıs novam, sed explicationem praecedentis ad maiorem, vel minorem locum, vi qualitatis inductae per rarefactionem.

5 Aliorum sententia tenet, rarefactionem consistere formaliter in maiori, vel minori extensione partium in ordine ad locum; pertinente ad praedicamentum *Situs*; & in hoc distingui à motu locali, qui importat *ubi*, & dicit praesentiam totius locati ad locum; rarefactio autem, & condensatio important praesentiam partium ad locum maiorem, vel minorem. Ita Mästrius 1. de Generat. disp. 4. q. 5. ubi refert D. Bonaventuram, Tartaretum, Aretinum, Simplicium, & Aresium. Probatur, nam tunc corpus rarefit, quando partes eius dilatantur, & non servant priorem ordinem ad locum: ergo rarefactio consistit in nova extensione partium in loco, & haec est modus *Situs*. Rursus. Raritas non dilatat partes in genere causae efficientis, quia causa efficiens est extrinsecum calidum: ergo eas dilatat in genere causae formalis; & sic *Situs* extendens partes in ordine ad maiorem locum est formaliter raritas.

Dddd

Opinia

Opinio ista rejicitur ex P. Aug. lib. Categor. cap. 12. ubi docet, raritatem, & densitatem esse species figuræ, quæ est quarta species qualitatis: ergo raritas non pertinet ad prædicamentum *Situs*, nec consistit in eo. Rursus. Rarefactio est effectus caloris, qui est qualitas, & introducendo calorem, causat raritatem; sed quantitas non est effectus caloris, sicut nec *ubi*, aut *Situs*, quæ sunt terminus motus localis: ergo &c. Tandem. *Situs* resultat ex dispositione partium corporis in loco; sed id, quod resultat, est posterius, & supponit aliud vnde resultat: ergo *Situs* supponit partes corporis occupantes locum; & sic supponit eas rarefactas, nec rarefactio potest consistere in *Situ*, aut extensione partium ad maiorem locum.

Ad fundamenta contraria dicimus, rarefactionem petere partes noviter extensas ad maiorem locum, sed non consistere in hac extensione, quæ posterior est ad rarefactionem: nam idem partes illæ denud occupant maiorem locum, quia sunt rarefactæ. Vnde assignandum est, in quo consistat rarefactio, ex qua sequitur dilatatio partium, aut illa maior extensio. Ad aliud dicimus, quod raritas nec efficienter, nec formaliter dilatat partes, quæ formaliter dilatantur ab extensione locali, aut quantitate rarefactæ, & efficienter ab extrinseco agente rarefactionis. Quod facit raritas

formaliter est determinare partes ad *Situm*, & talem, ac tantam extensionem: vnde dilatatio, & extensio est quid consequens ad raritatem.

§. II.

*Traditur communis sententia,
& probatur autoritate,
& ratione.*

6 **C**omunis sententia docet, rarefactionem formaliter consistere in productione raritatis, quæ est qualitas; condensationem in productione densitatis, quæ etiam qualitas est; & ad eas naturaliter sequitur determinata partium extensio ad locum. Ita Aristot. 4. Physic. textu 84. ubi B. Ægidius dub. 1. tenet hanc sententiam, necnon D. Thomas ibi lect. 14. ubi dicit: *quod rarum, & densum diversificant qualitates, & non quantitates.* Eandem sententiam tenent communiter Thomistæ, & nostri, & ex PP. Societatis Suaris, Conimbr. Rubius, & alij communiter.

Probat hanc sententiam primò ex P. Aug. ubi supra docente, raritatem, & densitatem esse veras species figuræ, quæ est quarta species qualitatis; sed species qualitatis est qualitas sicut species animalis est animal, & omnis species includit genus; ergo rarefactio, &

con-

condensatio sunt productio qualitatis, quæ dicitur raritas, vel densitas. Rursus. Rarefactio, & condensatio iuxta Philosophum sunt alterationes; sed per alterationem producitur qualitas: ergo &c. Tertio. Id, quod recipitur in quantitate ut in subiecto, est qualitas; quantitas enim est subiectum proximum omnium qualitatum; sed raritas, & densitas recipiuntur in quantitate; sicut enim ab albedine recepta quantitas dicitur alba, ita dicitur rara, & densa à densitate, & raritate in quantitate receptis: ergo idem. Tandem. Si raritas, & densitas non essent qualitates, quia important diversam positionem partium in loco, etiam forma, & figura non essent qualitates, cum desumantur per ordinem ad diversas positiones partium, ut dicitur in Logica; sed iuxta communem Philosophiam forma, & figura sunt veræ qualitates: ergo etiam raritas, & densitas.

7 Dices iuxta Philosophum. In prædicamento qualitatis raritas, & densitas qualitates non sunt, sed pertinent ad prædicamentum *Situs*, eo quod *quandam positionem magis videntur partium significare*; ergo rarefactio, & condensatio non consistunt formaliter in productione qualitatum. Secundo, in definitione raritatis nulla fit mentio qualitatis, nam rarum diffinitur, *quod habet parum de materia sub*

magnis dimensionibus: ergo idem. Tertio, posita remotione, vel propinquitate partium habetur raritas, & densitas sine vlla qualitate; nam habetur parum materiæ sub magnis dimensionibus, & è contra: ergo idem. Quarto. qualitas nequit extendere, aut dilatare materiam; nam extensio est effectus quantitatis, non qualitatis: ergo idem. Quinto, si raritas, & densitas essent qualitates, possent intendi, & remitti; sed intensio potest esse sine extensione: ergo eadem pars quantitatis posset dici magis rara sine maiori extensione, quod implicat. Tandem, qualitas non ordinatur ad locum: ergo per qualitatem nequit fieri, quod corpus nunc maiorem locum occupet, nunc minorem.


Respondemus, & ad primum dicimus, Philosophum expressè docere, raritatem produci per alterationem: cumque alteratio terminetur ad qualitatem, sequitur, Philosophum docere esse qualitatem. Dicit tamen, quod magis videntur significare positionem partium, quia sunt species figuræ, quæ desumuntur secundum partium positionem. Solutio sumitur ex P. Aug. ubi supra, qui eam confirmat ex communi modo loquendi, quo inquirenti, *qualis sit aer?* respondetur, quod est densus, vel rarus: ergo ex modo loquendi colligitur, raritatem, & densitatem esse qualitates. Ad secundum dico, dif-

fusionem rarefactionis, & rari
tradi per effectum magis notum:
notior est effectus maioris dimen-
sionis, quam qualitas adhuc. Phi-
losophis sub dubio. Ad tertium dic,
antecedens implicare in terminis,
quia implicat partes corporis dila-
tari, aut comprimi sine qualitate,
sicut implicat albedo sine quali-
tate.

Ad quartum dic, quod qua-
litas non extendit partes formaliter;
determinat tamen quantita-
tem partium ad maiorem, vel mi-
norem locum occupandum: & ideo
raritas, & densitas se habent, ut
formæ determinantes indifferen-
tiam quantitatis, quæ ex se est
determinata ad locum, sed indif-

ferens ad maiorem, vel minorem.
Ad quintum dic; quod qualitas
in abstracto non potest intendi, aut
remitti, cum non suscipiat magis,
& minus, ut dictum est quæst. 7.
in concreto potest rari, & den-
sum intendi, ac fieri magis rarum,
aut densum. Et licet in reliquis
qualitatibus intensio fiat sine ex-
tensione; non sic in qualitatibus
quartæ speciei, quæ determinant
talem, aut tantam extensionem
partium. Ad ultimum dic, quod
qualitas non ordinatur ad locum
replendum; ordinatur tamen
ad determinandas partes
quantitatis in loco,
ut dictum est.

* * *



QUÆSTIO DECIMA.

Vtrum idem possit agere in se ipsum?

§. Vnic.

*Quibusdam suppositis, proponitur ratio dubitandi, & defen-
ditur negativa sententia.*



Propponimus cū
Beato Egidio
quodlib. 5. q.
15. quod idem
secundum di-
versas partes
potest esse agens, & patiens, si
partium una est in actu, & alia in

potentia: & ideo non implicat;
quod una manus alteram calefa-
ciat, quod manus tangat pedem,
& intellectus moveat voluntatem,
& e contra: cumque omnes actio-
nes tribuantur supposito ut princi-
pio quod, ideo concluditur, quod
idem suppositum secundum unam
partem.

partem potest esse agens in se ip-
sum secundum aliam. Difficultas
est de agente secundum idem, ita
ut sine ulla distinctione partium sit
agens, & patiens.

Ratio dubitandi sumitur ex
varijs exemplis, quibus suadetur,
non esse necessariam distinctionem
realem inter agens, & patiens. Pri-
mum est in naturalibus emanatio-
nibus; nam ab eadem anima di-
manat intellectus, & in eadem re-
cipitur. Secundum in actionibus
immanentibus cognoscendi, &
amandi: nam eadem anima per vo-
luntatem elicit amorem, & illum
recipit; unde est simul agens, &
patiens respectu amoris. Tertium
in motibus physicis gravium, &
levium, quæ se ipsa movent: aqua
etiam se ipsam frigefacit, & redu-
cit in pristinam frigiditatem. Ac-
cedit ratio, quia idem potest esse
in actu virtuali, & potentia for-
mali respectu eiusdem formæ ad
eam efficiendam, & in se reci-
piendam, ut contendit Scotus; sed
ideo non potest idem agere in se
ipsum, quia nemo potest esse si-
mul in potentia, & actu, ut dici-
tur communiter: ergo si tenet as-
sertum Sabellis Doct. idem potest
agere in se ipsum. Propter hæc
partem affirmativam tenent Sco-
tus, Andreas, Iandunus, N. Gre-
gorius in 2. dist. 6. q. 1. art. 3.
quibus favet Commentator 3. de
Cælo comment. 28.

P. Arriaga disp. 3. de Gene.

rat. sect. 9. affirmat, idem posse
agere in se ipsum, ut facilius asig-
net causam Antiparistasis. Suadet
hoc sect. 10. ab experientia, qua
videmus aquam ab igne separa-
tam, propriam frigiditatem in se
reproducere: & animal propria
virtute debitum calorem recupe-
rare. Lapis etiam, si non impedia-
tur, se movet in centrum; ignis
fursum. Concludit autem Arri-
aga, quod distinctio ad operandum
requisita, non est inter agens, &
patiens, sed inter causam, & ef-
fectum.

2 Contraria sententia est com-
munis omnium cum Philosopho
hic, & 8. Physic. ubi docet: *Om-
ne, quod movetur, ab alio movetur.*
Hoc habetur ut primum princi-
pium, quo demonstratur, Deum
esse, & devenitur ad primum mo-
torem in motum. Probat ratio-
ne. Nam agens agit in quantum
est in actu; passum recipit in quan-
tum est in potentia passiva; sed
implicat, quod idem secundum
idem sit in actu, & in potentia;
non enim stat esse actu calidum, &
in potentia ad calorem: ergo im-
plicat, idem agere in se ipsum.
Confirmatur ex P. Augustino de
liber. arbitr. & ex Philosopho 3.
de Anima text. 19: ubi docent,
quod agens est præstantius; & po-
tentius patiente; sed implicat,
quod aliquid sit præstantius & po-
tentius se ipso: ergo &c. Rursus,

Movens, & motum habent oppo-

sitionem ad invicem, necnon realem relationem; sed idem nequit ad se ipsum referri; nec opposita possunt eidem inesse secundum idem: ergo idem non potest esse agens, & patiens. Tandem, rationes, quibus probatur, simile non posse agere in omnino simile, probant, non posse agere in se ipsum: de illis infra.

Quia tamèn lib. 7. Physic. q. 1. egimus de illo principio *Omne, quod movetur, ab alio movetur*, & ibi latè probatam est, non posse idem movere se ipsum, argumentis, quibus convincitur, non posse idem in se ipsum agere, ideò superfedemus à probationibus, necnon à proluxa explicatione doctrinæ, quæ datur circa exempla suprâ obiecta, quæ quæst. cit. discussa sunt. Ex ibi dictis solutionem insinuabimus.

3 Ad primam dicimus, proprietates, & potentias animæ dimanate ab essentia, non quia ista sit principium effectivum, sed ex activum proprietatum, quæ sunt à generante, & producente essentiam. Cum ergo principium emanationis non sit effectivum, indè nullum desumitur argumentum in præsentî, vbi quæstio est de principio effectivo. Ad secundam dic, quòd actus amoris recipitur in sola voluntate; at non sola producit amorem, qui sit etiàm ab obiecto intentionalitèr præsentè: sicut intellectio recipitur in solo intellectu,

sed non sit ab eo solo, sed etiàm ab obiecto, iuxta illud P. Augustini: *Ab obiecto, & potentia paritur notitia*. Cum ergo complexum ex obiecto, & potentia realitèr differat à sola potentia recipiente, clarè ostenditur etiàm in actibus immanentibus distinctio inter agens, & patiens.

Ad tertium dic, gravia, & levia non movere se ipsa in centrum, sed moveri à generante, dante formam gravitatis, aut levitatis, qua peragant motus suos in centrum: hoc non est agere, sed agi à generante, & sic explicatur à P. Augustino 13. Confess. cap. 9. vbi ait: *Ignis sursum tendit, lapsi deorsum, pondribus suis aguntur*. Nota, non dicere, quòd agunt se, sed aguntur. Ad exemplum de aqua recuperante pristinam frigiditatem respondent aliqui, hoc fieri media qualitate recuperativa frigiditatis, quam satis probatam invenies quæst. cit. Faciliùs respondetur, aquam nullo influxu suo recuperare frigiditatem, sed tantùm illam exigere vt sui proprietatem, vi cuius exigentiæ denud prodacitur ab agente universalî. Quancumque teneas ex his solutionibus, salvatur, aquam secundum idem non agere in se ipsam.

Ad rationem subtilis Doct. negamus maiorem, quia contrarium probatam est à nobis quæst. cit. à num. 6. Ex ibi dictis suadetur sic. **Omne virtuale fundatur suprâ aliquod**

quod formale. Sic anima nostra est virtualiter corporea, quia est formaliter spiritualis: Sol est virtualiter calidus, quia est formaliter lucidus: nec dabile est, quid virtualiter tale, quod non fundetur suprâ aliquod formaliter tale. Ergo esse in actu virtuali ad efficiendam formam fundatur suprâ aliquod esse formale, quod sit in actu formali ad efficiendum. Patet consequentia, quia actus virtualis nequit fundari suprâ potentiam formalem, alioquin perfectius fundaretur suprâ imperfectius, & carentia actus, quæ datur in potentia formali, equivaleret actui, & esset virtualiter actus, quod implicat: ergo implicat, quòd idem sit in actu virtuali, & in potentia formali ad formam. Ex dictis patet ad obiecta P. Arriaga.

4 Quæres, an idem agat in se ipsum per antiparistatim? Videtur, quòd sic aliquibus experimentijs, quibus agentia naturalia intendunt suam qualitatem, vt fortius resistant contrario suo. Aqua enim patei in hyeme, vt obstitat frigiditati aeris, intendit calorem: in æstate, vt resistat calori aeris intendit suam frigiditatem: ergo aqua utrobique agit in se ipsam, & est causa maioris intensiois suarum qualitatum, quæ efficitur in antiparistasi. Hæc difficultas Philosophos divisit in varias sententiâs, quibus explicant diversimodè effectum istam. Vide apud Prado, Suarium,

& N. Gavardi varios dicendi modos, & eorum impugnationem.


Dicendum est iuxta veriorè solutionem, quæ & communior est, causam intrinsecam huius effectus, si sit in qualitate connaturali, esse formam substantialem, à qua resultant propriæ passiones; causam verò extrinsecam esse generantem formam, & passiones eius. Sic dum aqua in astate frigeat, intensio illa frigiditatis causati non potest à calore circumstante, & circum obstitente; id enim significat græca vox Antiparistasis, id est, circumobstitentia debilitioris contrarij ab alio fortiori: ergo causatur extrinsecè à generante aquâ, vt suprâ dictum est, de emanatione proprietatum. Quòd si quæras, cur calore obstitente, aqua habet maiorem frigiditatem à generante, quàm habuit in prima sui productione? Respondemus cum D. Thoma 1. 2. q. 27. art. 1. ad 2. & q. 48. art. 2. id provenire ex duplici capite: primo, quia virtus aque vnitur, & ex inclinatione propriæ conservationis fortius resistit contrarijs: Rursus, ex ablatione impedimentorum, nam calor circumstantans removet impedimenta, quæ fuerunt in prima generatione aquæ, nè tantam frigiditatem haberet à generante.

Si verò intensio sit in qualitate extranea, vt est calor respectu aquæ, quæ in hyeme calefcit in puteis ultra suam naturalitatem: dicentur

dicendum est, hunc effectum tribui causæ propriæ, si sibi adit. Adest tamen in exemplo dato, quia in cavernis generantur à Sole vapores calidi, qui nimio frigore oblitente, non possunt ascendere: vapores isti calefaciunt aquam putealem hyemali tempore. Quando verò in alijs effectibus deficiunt

causæ proximæ, recurrendum est ad influentiam Solis, & Syderum. Ex his principijs assignari possunt causæ omnium effectuum, qui sunt in antiparitali, quin idem secundum idem directè, aut reflexè, per se, aut per accidens agat in se ipsum.

* **



QVÆSTIO VNDECIMA.

Vtrum simile possit agere in sibi simile?

§. I.

Quibusdam notatis, referuntur sententia, & probantur.



Gens potest esse simile passivo in natura specifica qualitatis, sed dissimile in gradu: sic similia sunt in calore calidum vt duo, & calidum vt sex; sed dissimilia sunt in gradu caloris, quia calidum vt sex est magis calidum, quàm calidum vt duo. Si verò similia sint in qualitate activa, & etiàm in gradu activitatis, hæc dicuntur omninò similia: talia sunt calidum vt duo, comparatum alteri calido vt duo.

De his omninò similibus procedit quæstio. At quia ea, quæ sunt similia omninò in virtute activa, possunt esse dissimilia in alijs accidentibus non activis, v. g. in densitate, vel raritate, aut mole; ideo queritur, an hæc dissimilitudo in accidentibus non activis sufficiat, vt vnam agat in alteram?

Supponit hæc quæstio, quod agens non potest agere in passivum per omnia simile. Hoc traditur ab Aristotele de mente antiquorum Philosophorum, summa confessione asserantium, rem nullam similem à simili quidquam pati. Ita

Ità 1. de Generat. cap. 7. textu 46. & illud confirmat textu 48. Tum, quia si idem ageret in omninò simile, posset agere in se ipsum. Rursus. Agens debet esse in actu, & passivum in potentia; sed si vtrumque est perfectè simile, vtrumque est æqualitèr in actu: ergo non potest vnum agere in aliud. Præterea. Si vtrumque est perfectè simile, non est maior ratio, cur hoc agat in illud, & non illud in hoc. Ab incommodis etiàm confirmatur: tum, quia nullus effectus finis actionum, quæ tunc cessant, quando passivum assimilatum est agenti; non cessarent, si simile ageret in sibi simile, non posita quacumque similitudine, etiam perfecta, tunc denuò inchoaretur actio. Tandem, idem posset se ipsum intendere, eadem ratione qua potest agere in sibi simile.

2. Marfilus 1. de Generat. q. 18 Niphus q. 2. super cap. 8. Toletus q. 13. Soto 2. Physic. q. 4. & aliqui moderni docent, idem posse agere in sibi omninò simile quoad virtutem activam, si tamèn sit dissimile in densitate, gravitate, aut mole, ità vt densius, gravius, aut maius mole possit agere in rarius, levius, aut minus mole, quia *virtus unita fortior*: vnde cum in denso virtus sit magis unita, quàm in raro, ideo densum potest agere in raram, etiamsi conveniant in gradu intensiõnis virtutis active.

Probatur. Nam ferrum can-

dens causat ignem in stupa; sed plus caloris est in stupa ignita, quàm in ferro candenti: ergo calidum ratione densitatis potest augere effectum magis, quàm sit virtus calefactiva. Secundò. Aer congelat aquam, cum sit minus frigidus, quàm aqua; sed hoc nequit provenire nisi ex maiori quantitate aeris: ergo ex maiori mole virtus activa redditur efficacior. Tertio. Vas æneum vino plenum frigescit magis in puteo, quàm aqua: ergo à maiori mole aquæ causatur frigiditas, vel à densitate ænei vasis. Quarto. Carbores, quia sunt densi, magis vrunt, quàm flamma, quæ est rara: etiàm aqua condensata, & congelata magis infriigidat, quàm fluida: calor coniunctus siccitati fortior est, quàm coniunctus humiditati, vt patet de calore ignis, qui est siccus, & de calore aeris, qui est humidus: ergo ratione dissimilitudinis in densitate, siccitate, mole, & alijs, quæ activa non sunt, potest augeri effectus virtutis active. Tandem. Illud, quod est densius, aut maioris molis, agit in maiori distantia: ergo agit intensius, & fortius; alitèr actio eius non extenderetur.

3. Aliorum sententia potest esse sine recurso ad ullam dissimilitudinem: & licèt à nullo Authore expressè tradita sit, potest tamen sequèntibus confirmari. Vnum simile habet omnia requisita ad
Eccc agens

agendum in aliud omnino simile; ergo potest agere. Antecedens probatur, sumendo duo calida ut quatuor. Nam quodlibet habet virtutem productivam caloris ut quatuor; & ex parte alterius datur susceptivum caloris ut quatuor: rursus, inter utrumque datur contrarietas, quia quodlibet habet quatuor gradus frigoris alterabiles per calorem ut quatuor ab alio agente producibilem: tandem, est distinctio realis inter agens, & patiens. Sed ultra virtutem activam, & passivam, contrarietatem alterabilem, & distinctionem agentis, & passivi nihil aliud requiritur ad agendum: ergo posita inter duo perfecta similitudine, dantur requisita omnia, ut unum agat in alterum. Et videtur. Nam quod forma in passo sit similis agenti, non obstat, sed potius iuvat actionem; quia tollit, vel minuit resistantiam: ergo cum aliunde sint omnia requisita ad agendum, nihil impedit actionem.

Confirmatur. Si duæ phialæ vitreæ omnino æquales, & similes, ac eisdem dicitur simul colidantur, vel una earum, vel utraque simul frangeretur: ergo tunc simile ageret in omnino simile. Rursus, si duæ manus æquæ calidæ invicem confricentur, earum calor intenditur; sed manus non intendit se ipsam, ut patet: ergo agit in aliam omnino similem. Tertio, In eandem partem aeris;

in qua est species unius parietis, agit alter paries omnino similis immittendo suam speciem: etiam unum speculum agit in aliud immittendo species: ergo agit in omnino simile. Tandem, Si ponantur plures candelæ in linea recta, una aliam magis illuminat: ergo idem.

4. Tertia sententia docet, agens æquivocum, seu virtuale posse agere in omnino sibi simile in specie, & gradu. Ità Mastrius hic disp. 2. q. 1. art. 1. referens Scotum in 1. Sent. dist. 13. q. 3. Probatur. Agens æquivocum habet nobiliorem formam: ergo licet sit minoris virtutis, potest producere effectum perfectiorē. Confirmatur. Vinum virtualiter calidum ut tria, auget calorem animalis ut quinque: ergo idem. Secundò. Si gravi ut duo, existenti in statera, apponatur aliud grave ut unum: intendit motum deorsum ut tria: & tamē impulsus productus à primo gravi excedebat gravitatem ut unum: ergo agens æquivocum potest agere in sibi simile, vel etiam in superius. Tertio. Plures trahentes navim, augent impulsum, qui excedit vires singulorum: plura luminosa eidem spatio applicata, augent lucem in medio productam:

ergo idem.

§. II.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

Dicendum est cum communi sententia, nullum agens sive univocum, sive æquivocum posse agere in sibi omnino simile, licet dissimile sit in densitate, gravitate, quantitate, & alijs accidentibus, quæ non sunt rationes agendi. Ità B. Ægidius quodlib. 5. q. 15. & 16. cum quo N. Gavardi, & DD. nostræ Scholæ. Pro eadem sententia stant Thomistæ cum D. Thoma. Nec dissentit Prado hic q. 26. proponens varias conclusiones, quas probat ex D. Thoma, & eis conciliare intendit doctrinam Magist. S. Thoma, & Soto. Nam omnia, quæ adducit, contendunt, virtutem agentis aliquando augeri ex maiori mole, aut ex maiori densitate, eò quod perfectior est virtus, quod magis unita; unitur magis in corpore denso, quam in raro. Rursus. Quod crescit quantitas rei corporalis, eò magis habet de forma substantiali corporea; ergo eò magis habet de virtute activa, quæ consequitur formam, quia, ut ait D. Thomas 3. p. q. 77. art. 3. *Unumquodque sicut se habet ad esse, ita se habet ad agere.* Hæc, & alia à Prado adducta, non sunt contra

communem sententiam, quæ procedit de agente totaliter simili passo: quare si agens ponitur dissimile, & superioris virtutis ad passum, undecumque proveniat excessus, & quomodocumque, nemo Nostrum negat, tale agens posse in passum operari. Unicè nobis non probatur sententia adstruens agens perfectè simile passo in virtute, & dissimile in alijs accidentibus, quæ non faciunt ad operari. Contra hoc procedit sententia nostra.

Probatur primò ex B. Ægidio in 2. Sent. dist. 18. q. 2. art. 2. ubi probat, quod nisi agens sibi passum subiciat, nunquam sequitur actio; subicit autem sibi passum ratione virtutis activæ; sed agens univocum, vel æquivocum, si sit passo omnino simile in virtute agendi, & gradu intensiois virtutis, non subicit sibi passum; & ut suprà num. 1. ostendimus ex Philosopho, non est maior ratio in perfectè similibus, eò quod hoc agat in illud, & non illud in hoc; nam perfectè similia sunt æqualia, subiectio autem petit inæqualitatem, & inferioritatem ex parte unius extremi, quæ non stat cum perfecta similitudine in virtute agendi: ergo agens univocum, vel æquivocum non potest agere in omnino sibi simile. Ratio ista desumpta est ex P. Augustino de Genesi ad lit. ut testatur B. Ægidius loco laudato.

Confirmatur. Agens debet esse in actu, ut agat, & passum debet esse in potentia passiva ad formam, quam recipit ab agente; sed si ponantur duo calida omnino similia, nullum eorum est in potentia passiva respectu alterius: ergo nullum eorum potest agere in alterum. Probatum minor, & supponamus, utrumque simile esse calidum ut sex. Tunc quodcumque calidum est tale ut sex, & solum est in potentia ad calorem in septimo gradu, vel octavo, & summo; sed calor in septimo, aut summo gradu, præstari non potest à calido ut sex, in quo non continetur calor in septimo, aut summo gradu; nam nemo dat, quod non habet: ergo nullum ex calidis positum est in potentia passiva respectu alterius. Vergetur, & supponamus unum calidum ut duo, alterum ut sex. Queritur, an minus calidum possit agere in magis calidum illos duos gradus, quos præhabet? Si affirmas: ergo calidum ut duo potest in aliud producere calorem usque ad octavum gradum, qui est summus; & sic potest inducere formam ignis in aliud calidum, nam hæc sequitur ad alterationem caloris in summo. Consequens est falsum, & contra manifestam, ac notam experientiam. Si neges: ergo calor ut duo nullam habet activitatem in calidum ut sex, quia impeditur à perfectiori forma, quæ est in passo. Sed

sicut excessus formæ ex parte passivi impedit activitatem, ita etiam æqualitas: ergo agens non potest agere in perfectè sibi simile.

Confirmatur secundò. Si calidum ut duo applicetur alteri eiusdem intensiõnis, & gradus, vel neutrum operatur, vel utrumque operatur ad invicem; vel unum in aliud, & non è contrà. Non hoc ultimum: quia non est maior ratio agendi in uno, quàm in alio. Quod si recurras ad maiorem densitatem, aut quantitatem unius præ alio: tunc vel ratione huius discriminis virtus unius est fortior, quàm alterius, & tunc non sunt perfectè similia: vel remanent virtutes æquales, & tunc non est maior ratio agendi in uno, quàm in alio. Si dicas, utrumque invicem agere: ergo utrumque calidum ut duo fieret calidum ut quatuor. Et tunc si continueretur præsentia utriusque, vel unum ageret in aliud, vel non. Si primum: ergo utrumque fieret calidum ut octo, & sic induceretur forma ignis, quia poneretur ultima dispositio. Si secundum: ergo quia omnimoda similitudo impedit actionem, & idè illa calida invicem applicata, non potuerunt agere in alterutrum, ut contendit sententia nostra.

6. Ad fundamenta contraria posita num. 2. respondemus, & ad 1. dicimus, stupam non comburi à ferro candente ratione caloris, sed ratione ignis introducti in poro

poros ferri candentis, quod nimio calore dilatatur, ut intra poros suscipiat ignem. Hinc non sequitur, quod crescat virtus caloris ratione densitatis ferri, ut producat perfectiorem effectum: nam combustio fit à vero igne æqualis, aut maioris virtutis. Ad secundum de gelu, negamus, aerem plus frigefacere aquam, quàm ipse sit frigidus; unde ad summum impedit omnino, nè ab extrinseco agente aqua caleat: & tunc aqua se reducit in summam frigiditatem, quam potest habere naturaliter. Quod si ita non sufficiat, ut non videtur sufficere, ad aquam congelandam; dicendum est, gelu vitio causari ab exhalationibus diminuentibus humiditatem aquæ, aut ab aliqua influenza cœlesti deficcante humiditatem; & congelationem ita perfici, ut nulla virtus inferior producat effectum excedentem.

Ad tertium dic, vas æneum magis frigefieri, vel quia eius frigiditas radicalis disponit magis ad frigiditatem aquæ; vel quia non habet admixtas exhalationes calidas, sicut habet aqua. Ad quartum dic, carbones magis comburere, quàm flammam, quia hæc habet ab ære aliquam humiditatem, quam non habent carbones: calor autem coniunctus siccitati, intensior est, quàm coniunctus humiditati. Ad aliud de aqua congelata dic, magis infrigidare, quàm fluidam, quia

ratione congelationis habet maiorem frigiditatem ultra naturalem, & plus resistit exhalationibus calidis. Observa, his, & alijs exemplis probari in agente maiorem virtutem activam, quàm sit in passo: unde non convincunt intentum de actione agentis in perfectè simile: quare dato, quod rationes densitatis, siccitatis, aut molis crescat virtus, aut evadat fortior; nihil contra nos, nam tunc cessat omnimoda similitudo impediens actionem. Ad ultimum dic, quod agens densius, & maioris molis habet maiorem virtutem extensivam, & idè agit in maiori distantia, ut patet in igne magno, aut in aggregato ex pluribus ignibus. Indè nihil contra nos, quia undecumque proveniat excessus virtutis agentis supra passum, inde provenit dissimilitudo necessaria ad actionem.

7. Ad fundamenta posita num. 3. respondemus, & ad 1. dicimus, quod unum simile non habet omnes condiciones requisitas ad agendum in aliud perfectè simile: nam præter numeratas ab arguente requiritur etiam, quod passum perfectè subjiciatur agenti; nec potest subjici, si sit æquale, & perfectè simile, ut probatum est. Et licet similitudo mineat, aut tollat resistantiam, non iuvat actionem, sed plene impedit, quando similitudo omnimoda est. Ad primam confirmationem dic, calum esse physicè impossibilem, quia regula

lari cursu artis, & naturæ non possunt effici duæ phisicæ omninò æquales, & æquali motu se collidentes. Dato tamèn casu metaphisico, neutra frangeretur, quia neutra ageret in aliam, vt probatum est. Ad secundam de manibus confriticatis dic, calorem intendi non ab eis, sed à motu confricationis, qui habet virtutem ad calorem vsq; gradum in manibus existentem. Ad tertiam dic, species illas immixtas à parietibus distinctis esse numero diversas, & sic numericè dissimiles: vndè non probatur, idem agere in omninò sibi simile. Præterquamquod aer, & speculum sunt in vera potentia passiva ad receptionem earum specierum: cæterùm in productione formæ realis vnum simile non est in potentia passiva ad actionem, & formam alterius perfectè similis, vt probatum est. Ad vltimum dic, candelas esse plures causas partiales illuminantes aerem, & ex earum consortio augetur vis illuminativa, & passiva illuminatio aeris crescit ad incrementam virtutis activæ. Tunc enim nec vnà candela agit in aliam, nec in illuminationem alterius, sed in aerem; vnde non agit simile in sibi simile, quod debebat probari.

8 Ad fundamenta tertie sententiæ, posita num. 4. respondemus, & ad primum dicimus, implicare contradictionem, nam implicat, nobiliorem formam esse in

agente æquivoco, & quod eius virtus sit minoris perfectionis. Forma enim est principium radicale operandi, & cum illa commensuratur virtus proxima, quæ est proprietas formæ: ergo implicat, formam esse nobiliorem, & inferioriorem esse virtutem illius. Ad confirmationem dic, vinum virtualiter esse magis calidum, quàm animal, & idè auget calorem illius. Præterquamquod iuxta Mastiũ, agens æquivocum habet nobiliorem formam: sed vinum est agens æquivocum: ergo pro calore producendo habet nobiliorem formam, & sic excedentem virtutem ad inducendum calorem. Ad secundam confirmationem nego suppositum, supponitur enim, quod corpus grave est causa æquivoca motus deorsum: & hoc falsum est, quia motus ille est effectus formalis gravitatis. Quidquid sit de supposito, dic, gravia illa vt duo, & vt vnum, simul sumpta esse causas partiales motus deorsum, vt tria, nec tibi apparere intensionem motus, sed solam extensionem, quæ causatur ab illis gravibus æquè, ac si esset vnum grave vt tria. Ad vltimum dic, trahentes navim esse causas partiales, ex quibus integratur vna virtus totalis tractiva, cui commensuratur effectus tractionis: ergo indè, nec alijs exemplis probatur, virtutem aliquam producere effectum: ipsa perfectiorem.

QUEST.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De resistentia qualitatum, & reactione agentium.

§. I.

Explicantur, quæ concernunt resistentiam qualitatum.

Quia in agente, & patiente dantur qualitates contrariæ, quæ mutuo resistentes retardant motum, qui tantum durat, quantum perseverat resistentia qualitatis contrariæ; idè hic agitur à Philosophis cum Aristotele de resistentia qualitatum. Omnis varijs divisionibus, quæ ferè inutiles sunt, præcipua divisio resistentiæ est in formalem, & activam. Resistentia formalis est ipsa qualitas contraria, quæ informans subiectum, impedit, vel saltèm retardat, nè recipiat actionem agentis contrarij. Ità frigiditas aquæ impedit, aut retardat actionem ignis, nè introducat calorem. Et quia ad huiusmodi resistentiam nullam actionem frigiditatis requiritur, sed sufficit, quod informet substantiam aquæ; idè huiusmodi resistentia vocatur formalis, quia fit per solam informationem qualitatis contrariæ. Resistentia acti-

va est actio, qua vnum contrarium agit in aliud, & impedit actionem ipsius. Sic aquæ frigiditas, quæ qualitas activa est, agit in ignem sibi approximatum, & actione ista retardat actionem ignis, & ei resistit. Huiusmodi resistentia vocatur activa, & est in genere causæ efficientis.

Vtriusque meminit D. Thomas in 4. Sent. dist. 17. q. 1. art. 5. dicens: *Contrarium inventum in subiecto, resistit actioni dupliciter: vno modo in quantum agit in ipsam agentem; quod patet in mutuo agentibus, & patientibus: alio modo impedimentum præstando in ipso susceptibili ad receptionem formæ.* Clarius utramque resistentiam percipies exemplo dato, si observes, quod frigiditas aquæ est forma relative ad substantiam aquæ, & est virtus activa eiusdem substantiæ ad frige faciendum: sub prima consideratione resistit formaliter, quia informando aquam, reddit illam incap-

incapacem caloris; sub secunda, resistit activè, & efficienter, quia infrigidando corpora approximata, impedit, aut retardat activitatem caloris.

2. Quæres, an resistentia activa, & formalis, quæ etiã passiva dicitur, sint æquales in quacumque qualitate activa? Affirmant Valles, Niphus, & communiter moderni, probantes primò, quia qualitas magis activa perfectior est aliã minoris activitatis; sed perfectiori entitati perfectior virtus tribuenda est: ergo qualitates magis activæ sunt magis resistentivæ formalitèr. Rursus. Eò maior est formalis resistentia, quò maior est virtus conservativa formæ in subiecto; sed qualitates magis activæ conservantur à fortiori virtute; cum conserventur à forma substantiali, cuius sunt qualitates activæ; & quò perfectior est qualitas, eò perfectior est forma substantialis, cuius est proprietas: ergo qualitas magis activa, est magis formalitèr resistentiva.

Contraria sententia est communis, & probatur ratione, & experientia. Difficilius corrumpitur siccitas terræ, quàm humiditas aquæ, ut patet in fornace, ubi diù siccitas perseverat, secùs aquæ humiditas: & tamèn humiditas qualitas est perfectior, & activior. Rursus. Humiditas aquæ difficilius expellitur ab igne, quàm frigiditas; aqua enim calefit, sed non

siccatur: & tamèn frigiditas in aqua est perfectior, & activior, quàm humiditas: ergo qualitates minus activæ, sunt magis resistentes formalitèr. Tandèm. Facilius aqua, extinguit ignem, quàm ignis calefacit aquam: ergo quia ignis, qui est summè activus, debilis est ad resistendum passivè contrario suo; quare qualitates magis activæ resistunt minus resistentia formali. Accedit ratio. Nam hoc requiritur ad mutuam actionem, & corruptionem elementorum: si autèm ignis, cui est maior activitas, non esset minor resistentia formali, non corrumpetur ab actione aliorum elementorum, sed in se potius converteret omnia.

Ad primùm fundamentum sententiæ contrariæ, concessam aiori, dicimus, quò perfectiori entitati tribuenda est perfectior virtus activa, nam unamquodq̃ operatur, in quantum est in actù. At perfectiori entitati non est tribuenda perfectior virtus passiva; & talis est virtus resistendi formalitèr: unde in resistentia activa, & passiva non servatur idem ordo, sed invertitur, ut exemplis, & ratione probatum est. Ad secundum, instatur in lapide, qui magis durat, quàm equus, & sic conservatur magis cum tamèn forma equi nobilior sit. Ratio huius est, quia conservatio est duplex, alia directa, & hæc provenit à forma: alia indirecta, quæ provenit ab actione

contra-

contrarij. Contingere potest, ut conservatio directa sit diuturna, & tamèn defectu indirectæ conservationis; quia nempe non resistit extrinseco corrumpenti; minus durat; hæc cum occiditur animal, quod naturalitèr erat longæ durationis. Forma ignis perfectior est, & directè perfectius conservat calorem: at indirectè non conservatur calor tam fortitèr, quàm humiditas aquæ, quia minus resistit contrario; & ideo citius extinguitur ignis, quàm aqua calefit.

3. Quæres secundò, an activitas agentis debeat esse maior, quàm passiva resistentia? Sub alijs terminis quaeritur, an actio semper fiat à proportionem maioris inæqualitatis? Negant N. Barleus, Toletus, Valles, & alij. Probant, quia gutta cavat lapidem: & tamèn resistentia lapidis est maior, quàm activitas guttæ. Similitèr. Lapis signatur à crebris deambulationibus formicæ. Rursus. Agens inferius reagit in superius, quod communicat in materia cum illo; sed hoc esse impossibile; si ad agendam necessaria esset maior virtus in agente, quàm in passivo: ergo &c.

Alij absolutè contrarium tenent. Ità Niphus, Astudillo, Rubio, & alij. Probatur. Nam agens intendit suam formam imprimere passivo: passivum autèm introductioni resistit per qualitatem contrariam: ut enim ait P. Augustinus sup. Psalm. 40. *Ignis, qui spinas*

consumit, cuiuscumque viridi ligno adhibeatur, difficile accendit: humor enim ligni resistit flammæ lentæ, & marcidæ; tamèn idonea ad consumendas spinas: ergo quandiu maior est resistentia passivi, impiedietur omninò introductio formæ, & actio agentis.

Alij docent, quò ad actionem requiritur, quò virtus activa agentis sit maior, quàm resistentia formalis passivi; cæterùm agere potest, licèt maior sit resistentia activa patientis. Ità Marsilius, Astudillo, & alij, quos sequitur Bañez, & post ipsum Complutenses. Ex nostris Saxonia, & Venetus. Probatur, quia sicut defectus potentie passivæ plenè impedit receptionem effectus, ut patet in Cælo, quò non alteratur ab igne elementari ob defectum potentie passivæ; ità indispositio ex parte subiecti elongat actionem agentis: ergo ad actionem requiritur, quò agens vincat resistentiam formalem passivi. Quoad secundam partem probatur in reactione, nam agens virtutis inferioris reagit in agens superioris virtutis: ergo quia pro actione non requiritur virtus excedens resistentiam activam passivi.

N. Agidius in 2. dist. 18. q. 2. art. 2. & cum eo N. Gavardi tenet sententiam affirmativam, nulla adhibita distinctione: & quidèm, ut bene advertit Magist. S. Thoma q. 5. art. 3. nulla necessitas est, quia omnes Doctores se-

cundæ, & tertiæ sententiæ conveniunt in eo, quod agens ut agens est superius patiente. Quare in favorem huius sententiæ respondemus ad fundamenta contrariâ, & ad primum dicimus cum D. Thoma in 1. dist. 17. q. 2. art. 3. quod non quælibet gutta aufert aliquid de lapide, sed omnes præcedentes disponunt, ut una ultima agens in virtute omnium præcedentium, in quantum scilicet invenit materiam dispositam per præcedentes, complet cavationem. Idem dic ad exemplum de formica. Ad aliud dic, quod passum virtutis activæ debilioris reagit in agens fortius, quia, licet ab eo excedatur in virtute activa, non exceditur in resistentia passiva. Hinc ignis applicatus aquæ eam calefacit, & simul ignis repatitur quandam infrigidationem: quia frigiditas superat calorem, non ut calor resistit activè, sed ut resistit formalitèr, & passivè, quare semper agens est præstantius patiente.

§. II.

Explicatur, quomodo agens in agendo repatitur.

A Communis DD. sententia tenet, quod omne agens in agendo repatitur, si adsint omnes conditiones requisitæ ad reactionem. Prima est, quod

agens, & patientis conveniant in materia transmutabili. Defectu huius Deus, Angeli, & corpora cœlestia agunt in hæc inferiora, sed non repatiuntur. Ratio est, quia Deus, & Angeli carent materia ratione suæ spiritualitatis. Corpora cœlestia habent materiam, sed non alterabilem, quia habent formam inamissibilem: unde non conveniunt cum sublunaribus in materia transmutabili, nec pati possunt ab agentibus sublunaribus.

Secundò requiritur ad reactionem, quod agens sit in potentia, & in actu; in potentia ad recipiendum, in actu ad agendum. Defectu huius conditionis calidum ut se agit in calidum ut duo, quia est in actu ad producendum quatuor gradus caloris in passo habente duos. Cæterum non est in potentia, ut repatiatur à calore minori, quia minus calidum non potest agere in magis calidum: quare calidum maius agendo in minus calidum non repatitur.

Tertia conditio est, quod in agente, & patiente dentur qualitates contrariæ: nam sine pugna non est reactio. Ob id lux agit in diaphanum, sed non repatitur ab eo. Similiter colores agunt in visum, & sensibile agit in potentiam, sensus etiam exteriores in interiorum: & tamen color non paritur à potentia visiva, neque sensus exterior ab interiori, nec obiectum sensibile à potentia sentiente.

At

At verò quando adest contrarietas qualitatum, adest mutua actio, & reactio. De illa dicit P. August. serm. 102. de diversis, cap. 4. *Quando sanum est corpus nostrum suorum partium temperamento moderatum est, quando in eonihil eius adversus aliud rixatur, non calor superat, & urget algorem, non copia frigoris fervor extinguitur, & dum luctatur affligit, non humorem siccitas sorbet, non inundat humor, & premit.*

5 His conditionibus adstantibus, omne agens physicum in agendo repatitur. Probatum ratione. Nam unumquodque agit in quantum est in actu, & patitur in quantum est in potentia; sed idem potest esse in actu respectu unius qualitatis, & in potentia respectu alterius, ut patet in igne applicato aquæ, nam est in actu caloris, & siccitatis, sed est in potentia ad qualitates frigiditatis, & humiditatis: ergo ignis est agens per calorem, & siccitatem, & repatitur à frigiditate, & humiditate aquæ. Accedunt experientiæ. Gladius secat, sed secando hebetatur, vel frangitur. Ferrum ignitum, in aqua summersum, ipsam calefacit, sed ab ea infrigidatur. Glacies manum infrigidat, & à manu liquefcit. Gutte aquæ carbonem extinguunt, sed in vaporem vertuntur, & sic de alijs.

Contra hanc doctrinam communem communia etiam sunt argumenta,

quæ apud alios invenies, & ea prætermittimus. Præcipuum est, quod ex reactione sequitur, idem subiectum secundum eandem partem moveri simul motibus contrarijs; sed hoc est impossibile, sicut impossibile est, quod simul alteudat, & descendat, & quod eadem pars subiecti calefciat simul, & frigeat: ergo nullum agens in agendo repatitur. Sequela probatur. Nam si ignis calefacit aquam mediante aere, per aerem transmittit calorem, & sic aer medius calefcit. Rursus. Aqua reagens imprimit frigus igni eodem aere mediante: ergo aer simul calefcit, & infrigidatur, unde movetur motibus contrarijs.

Argumentum hoc ob eius difficultatem variè solvitur à DD. quorum solutiones invenies impugnatas apud Prado 1. de Generat. q. 29. §. 2. Nobis placet una ex impugnatæ, & traditur à Ioanne à S. Thoma hic quæst. 5. art. 4. Admittimus sequelam, nempe eandem partem aeris moveri motibus contrarijs, qui non repugnant in gradu remisso, sicut non repugnant in gradu remisso termini earum alterationum, nam, ut supra dictum est, calor, & frigus, & quæcumque qualitates contrariæ possunt coexistere in gradibus remissis: ergo etiam motus alterationis in gradu remisso possunt coexistere, quia non habent maiorem contrarietatem, quam termini. Nec

eadem ratio est de motibus contrariis ad *ubi*: nam eorum termini, nempe sursum, & deorsum non possunt comparari naturaliter relatè ad idem corpus locatum: bene tamen frigus, & calor in eodem subiecto, quoad gradum remissum.


Dices cum Toletio. Aer, qui infrigidatur, deperdit calorem veterem; & si simul calefit, acquirit novum calorem; ergo cum non sit ratio potior ad suscipiendum novum calorem, quàm ad conservandum veterem; paradoxum est dicere, aerem simul caleferi, & infrigidari, licèt in gradibus remissis. Secundò ex Mag. Bañez. Si aer simul calefit, & infrigidatur in casu posito, sequitur, quòd sit calidior, & frigidior nunc, ac antea erat ratione sui: ergo simul, & in eodem instanti est calidior, & frigidior respectu sui, quòd implicat. Tertio cum Prado, & Complutensibus. Licèt calor & frigus in gradibus remissis non pugnent, pugnant tamen motus contrarii ad istas qualitates: ergo ruit fundamentum solutionis nostræ. Probatur antecedens. Calefactio est accessus ad calorem, & frigidatio est recessus à calore; sed implicat in eodem subiecto accessus, & recessus respectu eiusdem termini: ergo implicat motus ad calorem, & frigus in eodem subiecto, & pro eodem instanti, quantumcumque sint in gradibus remissis.

Hæc levia sunt, si comparentur cum difficultatibus, quas alia solutiones patiuntur. Ad primum dicimus, quòd adest ratio, cur aet novum recipiat calorem ab igne, & non conservet veterem. Ratio est, quia conservatio veteris caloris aeris non pendet ab igne, sed à forma substantiali aeris, vel ab agente, quòd non resistit formaliter, aut activè, resistentiâ sufficienti ad impediendam activitatem aquæ infrigidantis: ergo ignis occupatur in productione caloris novi, nam hoc spectat ad eius virtutem activam; nec curat de conservatione veteris caloris aeris, quæ non pertinet ad eum, sed ad alia agentia, quæ vel tunc non adsunt, vel non sufficienter resistunt frigiditati aquæ reagentis. Hęc est ratio cur in aere producitur novus calor ab igne, & priscus non conservatur.

Ad secundum concessio antecedenti, distinguo consequens. Ergo aer nunc simul est calidior & frigidior, per eandem formam, & ab eodem agente, nego; per diversam formam, & à diversis agentibus, concedo consequentiam, & nego illationem. Nam sicut non implicat, contrarias formas caloris, & frigoris in gradu remisso afficere idem subiectum; ita non implicat, dare subiecto suas denominationes frigidi, & calidi positivè, quæ relatè ad statum subiecti anteriorem dicantur comparativè deno-

denominando subiectum frigidius, & calidius, Et licèt ab eodem agente non possit subiectum simul affici utraque forma, bene tamen à diversis subiectis operantibus per qualitates contrarias. Ad tertium nego antecedens. Ad probationem dic, quòd infrigidatio non est formaliter recessus à calore, sed solum consequenter. Dato tamen, quòd esset formaliter recessus à calore, dicimus, quòd recessus, & accessus ad formam non pugnat nisi repugnantia formæ cum alia sibi contraria: cumque calor, & frigus solum pugnent in gradu intenso, unice repugnant recessus à calore, accessus ad calorem intensum. In casu nostro re-

cessus, & accessus est relatè ad calorem remissum: & licèt accessus, & recessus talis repugnet vti eiusdem formæ, & ab eodem agente; secus à diversis agentibus, & per diversas formas. Nec est instantia de motu locali, in quo implicat accessus, & recessus ab eodem loco quomodocumque sumpto. Nam disparitas inter motum localem, & motum alterationis patet ex terminis: nam termini alterationis non semper sunt incompatibiles in eodem subiecto, sed solum in gradu intenso; termini autem motus localis quomodocumque sumpti, sunt incompatibiles respectu eiusdem loci.



QUÆSTIO DECIMATERTIA.

An sit, & quid sit mixtio, & quomodo differat à generatione?

§. I.

Explicantur, quæ in titulo continentur.

Mixtionem miscibiliû generalitèr sumptam nullus Philosophus non ad sophorum negavit, quoniam experientia oculari comprobatur, dum vinum miscetur aqua, & sunt aliorum mixtiones. Mixtio sumitur improprie pro ag-

gregatione multorum manentium in suo esse distincto, etiam si sensibus non percipiatur. Ità contingit, dum farina miscetur farinæ. De hac mixtione impropria non est quæstio in presenti. Mixtio propria est unio multorum alteratorum, ex qua resultat unum per se Anti-

qui Philosophi non agnoscebant mixtionem propriam; sed impro- priam, vt testatur Aristoteles hic textu 85. Sed iam agnoscitur ab omnibus propria mixtio, quæ comprobatur primò experimentalitèr. Videmus enim in sublunariis dari corpora mixta, in quibus sunt qualitates elementales. Rursus. Arte Medicinæ mixtiones fiunt ex simplicibus, quæ mixtione alte- rantur, & corrumpuntur: quoad primum esse; non tamèn penitus extinguuntur eorum virtus, quæ conservantur in mixto, & percipi- tar ab eius effectu.

Accedit ratio. Nam corpora sub- lunaria communicantia in mate- ria transmutabili, habent virtutes activas, & passivas, quibus ad in- vicem agunt, & patiuntur, nec non mutua actione, & reactione qualitates temperantur; sed quali- tates illæ possunt producere sub- stantiam in virtute formæ substan- tialis, cuius sunt qualitates activæ, vt dictum est 2. Physic: ergo cor- pora illa sic coniuncta agentia, & reagentia possunt producere sub- stantiam mixti, in qua conserven- tur qualitates simplicium, ex qui- bus mixtio facta est.

2. Quatuor condiciones requi- rantur ad mixtionem propriam, vt docetur cum Philosopho hic tex- tu 87. & seqq. Prima est, quòd corpora miscibilia sint activa, & passiva ad invicem. Ratio est, quia debent se invicem corrumpere, vt

fiat propria mixtio; sed sine vir- tute activa, & passiva non pos- sunt se invicem corrumpere: ergo hæc conditio necessaria est. Secun- da est, quòd possint faciliter divi- di, & comminui in partes: sic enim facilius sequitur eorum corruptio. Tertia est, quòd hæc corpora non sint magna, & multa: tunc enim difficillimè fieret mixtio. Quarta, quòd proportionalitèr misceantur: Si enim unum habet maiorem vir- tutem activam, quàm aliud, non fit mixtio, sed conversio, vt pa- tet in magna quantitate vini, cui si misceatur parva aqua, conver- titur in vinum ab agente fortiori.

Hinc deducitur, ex elementis fieri veram mixtionem; elementa enim habent omnes condiciones ad mixtionem propriam. Et colligi- tur ex 1. Genesis, vbi dicitur, plantas, & animalia facta esse ex aqua, terra, & aere, vt docet P. Augustinus 5. de Genesi ad lit. cap. 15. His mixtis primò productis ex simplicibus elementis, dedit Deus virtutem, vt se multiplicarent: quare mixtum productum ex mis- cibilibus, potest aliud mixtum pro- ducere, & in eo suam speciem conservare, vt patet in animalibus, & plantis. Quia tamèn mixta alia sunt perfecta, vt equus, canis &c. alia imperfecta, vt animalia, quæ nascuntur ex putri, & alia sunt inanimata; ideò mixtum perfec- tum non producitur nisi per gene- rationem; mixtum autèm impet- lectum

fectum producitur vel per gene- rationem, vel per mixtionem.

3. Quæres, an ad veram mix- tionem necessariò debeant con- currere omnia quatuor elementa? Respondemas, omnia debere con- iungi secundum virtutem, & ali- qua saltèm secundum entitatem. Ratio primi est, quia in quolibet mixto sunt qualitates omnium ele- mentorum saltèm in gradu remis- so: ergo ad productionem cuiuslibet mixti debent omnia elementa saltèm virtualitèr concurrere. Pa- tet consequentia, nam qualitates mixti debent accipi ab aliqua cau- sa præhabente, & dante: ergo vel ab elementis concurrentibus per proprias entitates, vel à cau- sa superiori supplente defectum elementi, & talia sunt corpora cœ- lestia virtualitèr continentia qua- litates elementorum. Iam verò, quòd sufficiat ad generationem mixti concursus duplicis tantùm elementi, aut vnus quoad entita- tem, patet experientia, qua ex sola terra, & aqua pluviali gene- rantur herbæ, animalia imperfecta &c.

Quæres secundò, an omnes qualitates elementorū activè con- currant ad productionem mixti? Supponit quæstio, quatuor primas qualitates convenire quatuor ele- mentis. Notandum etiàm, quòd, licèt in quolibet elemento sint di- versæ qualitates, v. g. in igne ca- lor, & siccitas, non tamèn omnes

qualitates in summo gradu sunt in quolibet elemento; quare, vt do- cet N. Gavardi ex B. Ægidio in Hexameron, part. 2. cap. 35. igni conveniunt calor, & siccitas; aeri humiditas, & calor; aquæ frigi- ditas, & humiditas; terræ siccitas, & frigiditas; prima ex his qualita- tibus in summo convenit cuiuslibet elemento, secunda verò infra sum- mum; prima, quæ in summo est, deservit activitati elementi; alte- ra deservit resistantiæ formali, & passivæ pro sui conservatione. Cum ergo in quolibet elemento prima qualitas eidem assignata, activa sit, & ignis agat per calorem, aer per humiditatem, aqua per frigi- ditatem, terra per siccitatem; quæ- ritur, an istæ qualitates concur- rant activè ad generationem mix- ti, an solus calor, & frigus?

Ratio dubitandi est, quia iux- ta B. Ægidium quodlib. 6. q. 8. calor, & frigus sunt qualitates acti- væ, humiditas, & siccitas sunt qualitates quasi passivæ. Ad idem P. Augustinus lib. imperfecto de Genesi ad lit. cap. 4. dicit, ignem, & aerem habere vim faciendi; ter- ra, & aqua vim patiendi. Sic lo- quitur etiàm Aristoteles 2. de Ge- nerat. text. 8. & 4. Metaph. cap. 1. vbi ait, ignem, & aerem esse de genere activorum; aquam, & ter- ram de genere passivorum: ergo quia siccitas, & humiditas non concurrunt activè, sed passivè ad generationem mixti. Nihilominus

Sicendum est, omnes quatuor qualitates concurrere activè ad generationem mixti. Probat. Nam elementa debent se mutuo destruerè, ut ex eis corruptis resultet entitas mixti; sed non possunt se mutuo corrumpere, nisi activè se habeant ad invicem: ergo ad generationem mixti debent activè concurrere quatuor qualitates præcipue omnium elementorum. Ad rationem in contrarium dic, siccitatem, & humiditatem non vocari à B. Ægidio qualitates passivas, sed quasi passivas; quia re vera activæ sunt, sed minus activæ, quam calor, & frigiditas. Sic contingit elementis, nam omnia sunt activa, cæterum aqua, & terra minorem habent activitatem, & ideo comparantur ad genus passivorum.

§. II.

Explicatur mixtio inter licoribus, & an possibilis sit, & quomodo?

4 **E**xplicata est mixtio, quæ sit ex corporibus elementaribus; & cum mixtio non tantum fiat ex simplicibus elementis, sed etiam ex corporibus mixtis, ut patet in licoribus; hæc mixtio explicanda est. Certum est dari veram mixtionem inter licores ha-

bentes contrarias qualitates. Ut cum D. Thomas 3. p. q. 77. art. 8. & 4. Sent. dist. 12. q. 1. art. 3. docetur communiter. Ratio est, quia pro tali mixtione adsunt omnes conditiones in licoribus habentibus contrarias qualitates, ut facile patet ex dictis. Imò facilius miscentur licores, quam corpora sicca, ut patet experientia, cui accedit ratio. Nam corruptio præ-existentis requisita ad mixtionem, dupliciter habetur, nempe per qualitates contrarias invicem pugnantibus, & per divisionem materiae in partes minores minimis, in quibus non potest amplius antiqua forma conservari, ut docet D. Thomas ubi supra, & B. Ægidius in cap. cum Martha, de celebrat. Missar. sed licores habentes contrarias qualitates, invicem pugnant, & insuper sunt facile divisibiles in partes minores minimis; si excipias oleum, & alia humida viscosa, quæ difficulter dividuntur ratione glutini; ergo licores qualitatibus contrariarum, facilius veniunt ad perfectam mixtionem.

Dubium est, an inter licores eiusdem speciei, v. g. inter duas aquas possit dari vera mixtio. Prima sententia negat. Ita Durandus, Suarez, Vazquez, Averis, & alij, cum quibus ex nostris Gavardus in præsentis quæst. 6. art. 3. Probatur, quia unum simile non corrumpit aliud simile, nec unum indivisibile transit in aliud eiusdem speciei;

speciei; sed si esset propria mixtio inter duas aquas, v. g. una detraheret aliam, & unum individuum aquæ transiret in aliud eiusdem speciei: ergo &c. Rursus. Si duo vina consecrata iungerentur, unum corrumpere aliud, & sub neutro maneret sanguis Christi, si mixtio esset propria, & rigorosa; sed hoc est absurdum: ergo propria mixtio non sit ex licoribus eiusdem speciei.

Contraria sententia docetur à pluribus, quos citat Prado in præsentis quæst. 3. Et videtur esse D. Thomæ 3. p. quæst. cit. & in 4. Sent. loco laud. quæstionum, 6. ubi ait: *Si autem esset eiusdem speciei vinum, faceret aliud vinum secundum numerum, maxime quantum ad accidentia.* Ecce ex coniunctione vini ad vinum admittit D. Thomas mutationem substantialem saltè numericam, & quantum ad accidentia; licet non ita appareat, sicut quando accidentia diversa sunt. Accedit ratio. Nam quælibet natura habet determinatam quantitatem magnitudinis, & parvitas, ita ut non possit conservari sub parte minore minimo naturali, ut dictum est 6. Physic. quæst. 5. sed vnus licor additus alteri eiusdem speciei, potest ita eum pervadere, ut dividat in partes minores minimis: ergo potest illum corrumpere, & ex illo tertium mixtum generari.

5 Tertia sententia sub dis-

inctione procedit, asserens, non fieri veram mixtionem ex licoribus eiusdem speciei, nisi habeant qualitates contrarias se invicem alterantes. Ita Complutenses, & Rubio, quos sequitur Prado citans alios ex antiquis. Hæc Sententia videtur probabilior, & in ea facile explicatur testimonium adductum ex D. Thomæ, qui de hoc casu expressè loquitur illis verbis *Phæa, si unum vinum esset album, & aliud rubrum, &c.* tam quia vinum debile admixtum vino forti, sic solet misceri: & vinum parum decoctum adiunctum alteri defæcato, facit mistum distinctum ab extremis. Ergo licet una aqua alteri adiuncta non alteret, nec mixtionem faciat, quia habent easdem qualitates; licores tamen eiusdem speciei habentes qualitates diversas, possunt facere rigorosam mixtionem.

Hinc solvitur fundamentum contrariæ sententiæ. Nam si in licoribus est omnimoda similitudo, non erit reactio, nec mixtio. Potest tamen esse similitudo in specie, & dissimilitudo in qualitatibus: hoc dato, agens intendens assimilare in qualitatibus, per accidens corrumpit substantiam; sicut Æthiops dealbari nequit, quin corrumpatur. Ad aliud de vinis consecratis, dic, quod si sunt diversarum qualitatibus, ita poterunt pugna- re, ut sub neutro contineatur sanguis Christi, quia non manent

species, quæ erant, antea. Non enim consecratur, nisi *hic panis*, & *hoc vinum*, ut ait D. Thomas; quare si per alterationem non maneat hoc numero vinum, non maneat sanguis Christi sub speciebus. Ad fundamentum alterius sententia dicimus, licet eisdem speciei, & uniformis qualitatis continuari invicem, nec venire ad rigorofam mixtionem, quia non est, à quo corruptatur quantitas, aut qualitas eorum: nec per conjunctionem dividuntur in partes minimas, imò ununtur inter se ad faciendum maius, & extensum.

6. Quæres, an gutta aquæ vino permixta, à vino absorbeat, & in substantiam vini mutetur? Negant Philoponus hic textu 84. Marsilius, & Aresius I. de Generat. Coninch. 3. p. q. 74. art. 8. Logo disp. 4. de Eucharist. sect. 4. Et probatur. Nam Aristoteles, Plinius, Medici, & Chimici diligentissimè investigantes, negant, aquam in vinum converti: in rebus naturalibus maxima fides istis adhibenda est, Rufus. Corpora simplicia, qualis est aqua, non mutantur, quia non possunt immediate converti in mixta: ergo nec aqua poterit, immediate converti in vinum; præsertim cum vinum sit plenum, calidissimis spiritibus, qui nullo modo gigni possunt ex aqua. Tertio, quia in vino nullum est principium corruptivum aquæ, & conversum illius in

propriam substantiam: ergo quomodocumque miscetur, non convertitur in substantiam vini. Antecedens probatur. Nam calor, & sapor vini non sunt qualitates activæ: humiditas, & frigiditas vini sunt qualitates (symbolæ qualitativæ) aquæ. Calor, & si quæ aliæ qualitates sunt virtualiter in vino, non sufficient corrumpere aquam, quæ est tenacissimæ naturæ. Præterquamquod qualitates virtuales non agunt nisi irritatæ per alias sui generis: hinc vinum non calefacit, nisi excitatum à calore subiecti, in quod agit; sed in aqua nullus est calor formalis, aut virtualis, nec aliqua qualitas proportionata ad irritandum vini calorem: ergo in vino nihil est, quod aquam corrumpat, & in se transformet.

Contraria sententia omnino tenenda est. Et probatur ex Innocentio III. lib. 4. de sacro Altaris mysterio cap. 31. ubi ait: *Quis enim ambigat, aquam in vinum transfere, cum multo vino modicum infunditur aqua.* Et in Catechismo Pij V. dicitur de Sacrif. Missæ: *Modicam aquam infundendam esse, nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententia, & iudicia aqua illa in vinum convertitur.* Idem sentit Innocentius cap. *Cum Martine*, de celebrat. Missæ, ut docet D. Thomas 3. p. q. 75. art. 8. in corp. & ad 2. Quam sententiam ubique tradit D. Thomas in Sententiaris, & in Summa Theologia,

gæ, & est ita communis, ut servacaneum sit Authores referret

Probatum primò ab experimento operationis, quæ est evidens signum speciei, ut ait D. Thomas: videmus enim, facta tali mixtione, non manere operationem aquæ, & experimentum operationem vini. Hæc experientia probatur à simili: nam si modica aqua aceto infundatur, in acetum convertitur: ergo pariter de aqua vino admixta. Rufus. Ut docet D. Thomas 1. de Generat. lect. 16. natura paulatim convertit aquam in vbam, & vbam in vinum: ergo potest vinum naturali virtute aquam in se convertere. Eodem exemplo videtur Authôr de Mirabilib. Sacra. Scriptora lib. 1. cap. 18. dicens: *Aqua cum per vitis arborem infunditur, in vini saporem, & colorem mutatur.* Tandem. Calore naturali convertitur alimentum in substantiam aliti: ergo qualitate simili poterit aqua in vinum converti. Accedit ratio. Activitas vini magna est ad alterandam aquam; & aqua, si parva est, debilis est ad resistendum; sed ex his principiis forma corrumpitur, & mutatur in substantiam prævalentem: ergo vinum virtutem habet ad convertendam in se modicam aquam.

7. Ad fundamenta contraria respondemus, & ad primum dicimus, Aristotelem perpetam citari contra nos, cum sit pro nobis. De Plinio, & alijs non curamus, quia


Theologorum Principes, qui etiam in Philosophicis magni sunt, pro nostra, & communi sententia militant. Quod si illes, aquam vino admixtam extrahi posse varijs experimentis, responderet ex Galeo no lib. 1. de Elementis cap. ult. ubi ait: *Et hæc de causa nonnulla possunt statim post mixtionem segregari, quæ si diutius permanserint, donec totum fuerit unum factum, nequid amplius alterum ab altero divelli.* Præterquamquod ex vino puro potest eisdem experimentis humor aqueus educi: ergo illis experimentis nihil convincitur.

Ad secundum respondemus cum D. Thoma in 4. dist. 8. q. 1. art. 4. quod, licet aqua in se non nutriat, admixta nutrit; unde mixta alijs humoribus in stomacho nutrimentum est. Præterea, admissio antecedenti, negatur consequentia, quia conversio aquæ in vinum non est nutritio, sed augmentatio vini per conversionem illius. Nec dicimus, aquam augere spiritus vini, cum potius debilitentur ab aqua reagente: sed quia prævalet vini fortitudo, cedit aqua, & in vinum convertitur.

Ad tertium dic, instatur veneni corruptentibus animalia; nam veneni qualitas non apparet ad similem effectum, & tamen mortifera experimur venena. Dicitur recte responderi, præcipuam qualitatem vini ad convertendam aquam, esse nativum eius calorem

virtualem, quo maxime agit. Ad-
est etiam qualitas vino propria, &
nobis innominata, quæ acrimonia
sua, aquam corrumpit. Nec videntur
probationes in contrarium. Non
prima, quia aqua non est ita tena-
cis natura, vt non convertatur in
vaporem, & in aerem; ergo potest
à vino in vinum converti. Non
etiam secunda, quia falsum est,
qualitatem virtuales debere alte-
rari ab alia formali eiusdem nomi-

nis: caliditas enim accendit aquam
vinum recens in se absument plura
non calida ipsi iniecta: plantæ fi-
mo, & alijs formaliter non calen-
tibus foventur: in his, & alijs
exemplis nullus est calor formalis
excitans virtuales calorem calidis
vini, ac simi, vt suos effectus pro-
ducant: ergo nec in casu nostro
requiritur calor excitans, vt vi-
num operetur talem con-



QVÆSTIO DECIMAQUARTA.

An elementa maneant formaliter in mixto?

I. **Referantur sententiæ cum suis fundamentis.**
12. art. 4. Variè defenditur
nam Aureolus non ponit in mixto
nisi vnam formam coalescentem
ex quatuor elementaribus. Avicen-
na formas substantiales elementor-
um dicit indivisibiles, & manere
integras in mixto. Aberroes dicit,
formas illas esse intensibiles, & re-
missibiles, manereque in mixto
remissas iuxta proportionem qua-
litatum. Rursus, alij docent, ma-
nere in partibus diversis materia-
rum, quæ sensum latent: alij formasi-
las, quæ sunt actus materia, dicunt
esse

Referantur sententiæ cum suis fundamentis.
MAnere elementa for-
maliter in mixto nō
hil aliud est, quàm
conservari in mix-
to formas substantiales elemento-
rum, nempe ignis, aeris, aquæ, &
terræ. Affirmant manere ex Theo-
logis B. Albertus Magnus, & Au-
reolus; ex Philosophis Avicena,
Aberroes, Niphus, Scaliger, &
alij, quos refert Rubio: ex Medi-
cis Vega, Mercatus, & alij Com-
plutenses, quam sententiã pro-
babilem dicit D. Thomas in 2,

esse potentia respectu formæ mix-
ti.

Probatur primò, Nam si ele-
menta non manerent in mixto, fal-
sum esset, quod mixtum compo-
neretur ex elementis. Rursus. Mix-
ta essent æquè simplicia, ac sunt
elementa: quod est contra verita-
tem, & contra D. Thomam 3.
contra Gent. cap. 23. ubi ait: *Ele-
mentorum corpora sunt simplicia, &
non est compositio nisi materia, &
formæ.* Sequela probatur. Nam
quod non est, non potest actu com-
ponere: si ergo elementa non sunt
in mixto, non potest mixtum ex
eis componi. Nec sufficit, manere
virtualiter ad compositionem: nam
etiam elementa habent compositi-
onem ex subiecto, & accidenti-
bus: & tamèn simplicia vocantur,
& sunt. Secundò. Vnumquodque
resolvitur in ea, ex quibus com-
ponitur; sed mixtum resolvitur in
elementa: ergo ista formaliter ma-
nent in mixto. Minor probatur
experientia, cum ignis applicatur
ligno viridi, & comburitur. Nam
per extremas partes ligni egredi-
tur aqua; & è vaporatione egre-
ditur in fumo aer; in flamma ap-
paret ignis; & terra manet in ci-
neribus: ergo lignum resolvitur in
quatuor elementa, ex quibus com-
ponebatur.

Si dicas, hanc resolutionem non
fieri immediate in elementa, sed
media generatione alterius mixti.
Instat Aureolus primò, quia sequi-

tur ignem corrumpentem lignum,
generare aquam: quod est plane im-
possibile igni. Secundò, forma per-
fectior continet inferiorem: & ta-
mèn non dicitur, ipsam resolvi:
ergo aliquid aliud intendunt Phi-
losophi, cum dicant, mixta resolvi
in elementa. Tertio, resolutio
differt à corruptione per hoc, quod
resolvere est rem solvere in præ-
existentia realiter: ergo si mixtum
resolvitur in elementa, ista non
corrumpuntur.

Secundò probatur ex Aristo-
tele hic docente, mixturem non
esse generationem, quia in gene-
ratione alterum corrumpitur: ergo
si in productione mixti elementa
corrumpentur, mixti productio
esset generatio. Rursus. Iuxta Phi-
losophum hic textu 88. gutta vini
effusa in magnam aquam non mis-
cetur aquæ, quia corrumpitur:
ergo si elementa in productione
mixti corrumpentur, non esset
mixture, sed generatio. Tertio: Si
elementa non essent in mixto se-
cundum formas substantiales, ita
essent in mixto, sicut vnum ele-
mentum in alio; nam aer est in
aqua secundum humiditatem, quæ
est illi propria: ergo ex hoc etiam
elementa essent mixta. Tandem,
non datur corruptivum elementor-
um: ergo manent in mixto for-
maliter. Antecedens patet, nam
elementa non possunt corrumpi à
Cælo, quod non habet qualita-
tes contrarias: nec à mixto, quia

non habet talem virtutem: ergo non adest corruptivum elementorum.

2. Negativa sententia est communis inter Theologos, Philosophos, & Medicos. Expresse traditur ab Aristotele lib. 2. de partib. animal. cap. 1. & 1. de Generat. textu 84. cuius auctoritas allegatur à D. Thoma. 1. p. q. 76. art. 4. ad 4. ubi dicit: *Et ideo dicendum secundum Philosophum 1. de Generat. quod forma elementorum manent in mixto non actu, sed virtute.*

Probatum ratione. Nam plures formae substantiales non possunt esse naturaliter in eadem materia. Rursus. Non datur generatio sine corruptione, ut probatum est: ergo cum productio mixti sit generatio, sequitur ad substantialem corruptionem elementorum. Tertio. Nam vnum elementum in aliud transmutati dicimus, quia experimur variari propriam temperiem eius in temperiem alterius; sed temperies mixti diversa est à temperie omnium elementorum: ergo non manent formae elementares in mixto. Tandem. Iuxta D. Thomam hic lect. 24. forma substantialis nequit esse in materia sine propria dispositione; sed ignis, & aqua petunt qualitates contrarias in summo, & istae sic non possunt compati in eodem subiecto: ergo formae elementares non manent formaliter in mixto.

§. II.

Defenditur communis sententia.

3. **N**obis tenenda est communis sententia assertans, manere in mixto qualitates elementorum, non autem formas ipsas substantiales. Probatum ex P. Aug. lib. contra Priscillianum, & Origenem. cap. 18. ubi ait: *Item vero ipsa corporalis creatura evidentius apparet in nobis, quae licet ex terra facta, atque formata sit, insunt tamen illi ex omnibus huius corporis mundi elementis quadam particula ad temperiem valetudinis. Nam & calore membra vegetantur, qui est ab igne, cuius etiam lux ab oculis emicat, & aere venarum discursus, quas arterias vocant, aut spiramenta pulmonis implentur, & humor nisi esset, nulla sputamenta confluerent, vitamque absumeret siccitatis: nam & sanguis humido lapsus alitas venas replens, quasi rivis, & fluminibus per cuncta diffunditur.* Sic loquitur Epist. 146. & sup. Psalm. 6. & lib. 83. qq. q. 57. & 81. & saepe alias, praesertim 7. de Genesi ad lit. cap. 13.

Rationibus probatur, eis praesertim quibus 1. Physic. q. 16. probatum est, esse naturaliter impossibile, duas formas substantiales coexistere in eadem materia. Con-

Confirmatur brevitet sic. Vel in qualibet parte materiae sunt formae substantiales omnium elementorum, vel non; si primum: ergo eadem pars materiae est ignis, aer, aqua, & terra; quod est absurdum. Si secundum: ergo qualibet pars mixti non est mixta, nec habet formam mixti. Si dicās, partes sensibiles materiae esse mixtas; ac non esse ignem, aquam &c. sed mixtum ex eis, quia ratione mixtionis elevatae sunt ad nobiliorem formam. Contra: nam si elementa manent in mixto formaliter, manent in qualibet parte sensibili materiae forma ignis, aquae &c. sed forma ignis, & aquae naturaliter se expellunt, & mutuo corrumpunt: ergo quidquid sit de denominatione mixti sumpta à nobiliori forma, implicat elementares formas manere in eadem parte sensibili materiae. Vide alias rationes in Nostro Gavardi quaest. 1. de Elementis art. 5. §. 2.

4. Ad fundamenta contrariae sententiae respondemus, & ad 1. dicimus cum D. Thoma opusc. 33. quod loquendo de compositione substantiali formali, aequè simplicia sunt mixta, ac elementa, quia compositum substantiale constat ex unica forma, & materia, sive in mixtis, sive in elementis. Loquendo autem de compositione virtuali, mixta non sunt simplicia, ut elementa, sed ex eis composita, quia propria dispositio mixti par-

ticipat qualitates omnium elementorum; & sic sapit eorum naturam, quia participat qualitates illarum formarum substantialium, quae operativae sunt simili substantiae.

Ad secundum ex Aureolo, negamus, mixtum resolvi immediate in elementa: nec hoc probatur exemplo ignis comburentis lignum viride. Nam aqua, quae egreditur per extremas ligni partes, aqua non est, sed humor, quo lignum nutriebatur, & ab igne expellitur, ut melius ad formam ignis disponatur. Patet hoc in ligno sicco, quod licet componatur ex elementis, non emittit talem humorem, alteratum à calore ignis. Contingit etiam in corporibus mixtis esse plures substantias accidentaliter permixtas, quae calore ignis, vel divisione agentis extrinseci videntur generari; ac non generantur, sed secernuntur.

Hae solutio coincidit cum impugnata ab Aureolo, sed non bene impugnatur. Ad primam eius instantiam dic, ignem à ligno viridi non extrahere aquam, sed humorem mixtum: nec istum generat, sed secernit. Ad secundam nego minorem, nam anima viventis verè dicitur resolvi in formam cadavericam imperfectiorem. Nec Philosophi dicentes, mixtum resolvi in elementa, tenent resolvi in omnia, sed in illud, quod magis dominatur; quia eius accidentia determi-

determinant materiam ad intro-
ductionem similis formæ. Si tamen
derat casus, quo debite applicen-
tur causæ pro generatione omnium
elementorum, tunc fiet resolutio
in omnia elementa; ceterum di-
videtur materia pro singulis ele-
mentis. Ad tertiam dic, resolutio-
nem, & corruptionem mutuo se
includere; nec resolutio fit nisi in
preexistentem materiam, quæ sola
est subiectum commune genera-
tionis, & corruptionis.

5 Ad secundum fundamen-
tum dic de mente Philosophi,
mixtionem non esse generationem
simpliciter ita, ut omnis generatio
sit mixtio; nam in generatione
vnius mixti ex alio mixto, nihil
mixti corrupti manet in mixto ge-
nerato: at in mixtione, qua mix-
tum generatur ex elementis, ma-
nent in mixto qualitates elemen-
torum, unde non corrumpitur to-
tum elementum, cum maneat qua-
litas illius. Hoc intendit Philoso-
phus, sed cum hoc stat, mixtionem
esse etiam generationem, non ab-
solutè, sed cum addito, nempe
ex mixtione elementorum. Ad se-
cundam probationem concessa an-
tecedenti, nego consequentiam.

Disparitas est, quod gutta vini
effusa in magnam aquam non con-
servat qualitatem villam, & sic
plene corrumpitur: at elementa
quoad substantiam deficiunt in
mixto, sed conservant in eo pro-
prias qualitates.

Ad tertiam nego consequen-
tiam. Quia, licet elementa sym-
bola habeant convenientiam in
aliqua qualitate, & ideo de vno
ad aliud facilior sit transitus; non
sequitur, vnum elementum esse
mixtum ex duobus: nam illa qua-
litas symbola cum qualitate alte-
rius elementi non habetur per mix-
tionem, sed vi propria, & sim-
plicissimæ entitatis. In mixto au-
tèm sunt qualitates elementorum
per veram mixtionem, & refra-
ctionem primarum qualitatum. Ad
ultimam probationem nego ante-
cedens: datur enim corruptivum
elementorum, & hoc est vel co-
lam, quod virtualitè continet
qualitates contrarias, quas pro-
ducit in sublunariis; vel est ge-
nerans sublunare alterans in vir-
tute cæli primi mobilis, quod
est primum alterans iuxta
Philosophos.

LIBER SECVNDVS

DE GENERATIONE.

QUÆSTIO VNICA.

De rebus genitis, & termino generationis.

§. I.

De Elementis.

H Actenus actum est de
generatione, & cor-
ruptione, & de mo-
tibus eidem deser-
vientibus; restat agere de termi-
no, ac rebus genitis, de quibus
differit Philosophus lib. 2. de Ge-
nerat. Res genitæ sunt vel ele-
menta, vel mixta ex elementis.
Mixta alia sunt perfecta, ut ho-
mo, & planta, in quibus perfec-
tissimè elementa miscentur, ita ut
non nisi per varias resolutiones pos-
sint redire ad naturam elementi.
Alia imperfecta, in quibus duo,
vel tria elementa ita sociantur, ut
facillimè dissolvantur, sicut patet
in nive, grandine &c. Alia mixta
medium tenent locum, ita ut non
sint tam perfecta ut priora, nec
tam imperfecta ut posteriora: eius-
modi sunt metalla, & mineralia.
De his omnibus agendum est, sed

brevissimè; quoniam materia ista pot-
tius traditur more historico, quam
disputativo. Si velis uberiorem
tractatum pulcherrimè concinna-
tum, vide Goudin Dominicanum
tom. 3. suæ Philosophiæ q. 3. per
tot. & N. Gayardi tom. 3. Ægi-
dianæ Philosophiæ.

Elementum definitur: *Corpus
simplex, ex quo mixta fiunt, & in
quod resolvuntur.* Colligitur ex Arit-
totele 1. de Cælo cap. 3. textu
11. Dicitur *simplex*, non quia ca-
reat materia, & forma, sed quia
non constat ex alijs corporibus
mixtis, & duas tantùm habet ex
primis qualitatibus. De elemento
sic sumpto queritur, quid sit, &
quotuplex sit, quale sit, & an
vnum ex alio generari possit? Pri-
mum constat ex eius definitione.
Circa secundum, omisso errore
Manichæorum asserentium, quin-

Hhhh

que

que esse elementa mala, scilicet, fumum, tenebras, ignem, aquam, & ventum: quibus debellandis missa sunt alia quinque elementa bona à substantia Dei, scilicet, aerem, lucem, ignem bonum, aquam bonam, & ventum bonum, ut refert P. Augustinus de Hæresibus hæresi 46. Omisso etiã errore antiquo quorundam negantium ignem purum supra aeris regionem, tenentiamque, solum dari ignem mixtum, vel supra terram, vel in visceribus terræ.

Communis, & vera sententia docet, quatuor tantum esse elementa, nec plura, nec pauciora: & quælibet esse pro suis qualitatibus suis locis collocata. Itã B. Ægidius quodlib. 6. q. 8. ubi explicat communem sententiam. Probatur ex P. Augustino lib. 2. de Genesi ad lit. cap. 1. ubi ait: *Non enim tantum locis, sed etiam qualitatibus proprijs elementa distinguuntur; ut pro qualitatibus proprijs propria loca sortirentur. Aqua scilicet supra terram. Et cap. 3. Idem verò aerem esse aqua superiorem &c. Et cap. 3. Ignem verò ad superna emicantem etiam ipsius aeris naturam transcendere &c.* Hinc constat, quòd terra est subtus aquam, aqua supra terram, aer supra aquam, & ignis supra aerem.

Ratio communis probativa numeri elementorum formatur sic. Tot sunt elementa, quot sunt combinationes primarum qualita-

tum, nempe caloris, frigoris, humiditatis, & siccitatis; sed combinationes sunt quatuor: ergo quatuor sunt elementa. Probatur minor, & supposito, quòd duo contraria in gradu intenso non possunt compati, ut calor cum frigore, humiditas cum siccitate; restat, quòd combinationes possibile sunt tantum quatuor, scilicet caloris cum siccitate, & hæc competit igni; humiditatis cum calore, quæ competit aeri: frigiditatis cum humiditate, quæ convenit aquæ: & siccitatis cum frigiditate, quæ competit terræ. Oportet in quolibet elemento ponere duas qualitates, unam activam, qua possit agere; alteram passivam, per quam pati possit. Tum, quia elementa sunt invicem activa, & passiva: ergo per qualitates ad hoc deservientes. Tum etiam, quia mixta participant ab elementis virtutem activam, & passivam, participando ab elementis qualitatē. Qualitates activæ elementorū noscuntur ex operationibus, v. g. calor ignis ex combustionem, siccitas aeris ex desiccatione &c. Inferatur etiam ex mutua reactione, & oppositione: nam igni calido, & sicco summe opponitur aqua: ergo ista est frigida, & humida. Variant Auctores circa distributionem qualitatū elementarium: de qua vide N. Gavardi tom. 3. quæst. 1. de elementis art. 2. & 3.

Quæres,

QVÆST.

I. §. II.

611

2. Quæres, an elementa sint generabilia, & corruptibilia? Negat Empedocles, quem sequuntur Atomistæ, & aliqui RR. Contraria sententia est communis, & vera. Probatur ex P. Augustino 3. de Genesi ad lit. cap. 2. ubi ait, quòd tempore diluvij pars aeris in aquam corrupta est. Rursus. Calore ignis aqua evaporata convertitur in aerem. Aer etiam calore nimium rarefactus, convertitur in ignem. Sed in his conversionibus generatur unum ex corruptione alterius: ergo elementa invicem sunt generabilia, & corruptibilia.

Quæres secundò, an difficilius sit transitus ab elemento symbolo, quàm à dissymbolo? Negat N. Gavardi. Et probat, quia in transmutatione elementi symboli una tantum qualitas repugnat; in elemento autem dissymbolo ambæ qualitates repugnant transmutationi; sed ibi est maior difficultas, ubi est maior resistentia: ergo difficilius transmutatur elementum dissymbolum. Dices. In transmutatione dissymboli agit duplex qualitas elementi agentis contra duplicem qualitatem elementi dissymboli; sed æquè facillè duæ qualitates vincuntur à duabus, ac una ab una: ergo æquè facillè transmutatur dissymbolum, ac symbolum. Respondetur, qualitates activas elementi dissymboli non agere æqualitèr directè, sed unam directè, alteram indirectè; ex parte

verò passivi utraque resistit directè, & idè adest maior resistentia in transmutatione elementi dissymboli.

§. II.

De mixtis perfectis.

3. Vocantur mixta perfecta illa, quorum temperies qualitatum multum durat. Et licet inter perfecta computentur plantæ, quæ suam etiam habent stabile temperamentum, nec non animalia, quæ perfectiorem ducunt vitam; præcipua tamèn inquisitio est de humano temperamento, quod etiam vocatur *complexio*. Hæc vniuersior est in cæteris animantibus eiusdem speciei, nam omnes ferè vulpes sunt eiusdem complexionis, omnes boves eiusdem temperamenti. In hominibus tanta est complexionum diversitas, ut eiusdem omninò temperamenti, & genij vix duos reperias. Cùm temperamentum sit proportio primarum qualitatum in mixto, quinque modis differre potest unum temperamentum ab altero. Primò, si omnes qualitates æqualitèr in mixto temperantur: tunc enim est optimum temperamentum. Si tamèn sit inæqualitas, tot distinguuntur temperamenta, quot dantur qualitates prædominantes. Et omnis inuicibus combinatio;

Hhhh 2

binatio;

binationibus, tot sunt complexiones difformes, quot sunt qualitates dominantes.

Hinc temperamentum difforme est quadruplex, scilicet, biliosum, in quo dominatur ignis; sanguineum, in quo dominatur aer; phlegmaticum, in quo dominatur aqua; & melancholicum, in quo terra dominatur. Ex his quatuor veluti cardinalibus temperamentis alia pullulant, ut attrabiliosum, quod sumitur pro mixto ex bilioso, & melancholico; sanguineum biliosum, in quo sanguis acuitur per bilem. Ex his temperamentis hominum genia, dotes, virtutes, & defectus magna ex parte dependent, quoniam anima in statu contractionis operari debet per corpus organicum, & temperatum.

4 Hinc dicitur, temperamentum biliosum præcellere ad ingenij vigorem, celeritatem, acumen, & perspicaciam: nam temperies sicca, & calida acuit ingenium, & dat intelligendi celeritatem. At huic temperamento deficit iudicij maturitas, motuum firmitas, & in regendo suavitas &c.

Temperamentum sanguineum est ad omnia paratissimum, quia in eo excellit sanguis calore, & humiditate proportionatus ad omnes operationes vitales, & animales. Hinc sanguinei sunt ad omnia paratissimi, mansueti, hilares, urbani, & benignissimi indolis,

Si tamen nimio humore temperamentum obruat animum, reddit homines molles, instabiles, flexibiles, ut facile vincantur, & non audeant quid heroicum.

Temperamentum phlegmaticum iuvat ad memoriam, prudentiam, & mansuetudinem: vnde phlegmatici in negotiis maturiores sunt, historiatur studiosi, & ad misericordiam compositi. Hoc temperamentum omnium ineptissimum censetur, quia aquea frigiditate calorem nativum obtundit, offuscatur mentis aciem, motus reddit tardos, hebetes, languidos, & instabiles.

Melancholicum temperamentum stabilitatem inspirat, impetus animi roborat, mentem revocat ad se, & eius aciem contemplationibus defigit: vnde melancholici sunt longanimes, in motibus suis firmi, cogitabundi, studiosi, & ad lenta, recondita, diuturna que consilia idonei. Peccat hæc complexio nimia tarditate, & quia animum efficit suspiciosum, meticulosum, & malignum, sibi, & alijs ingratum, molestum, & amarulentum. Ob id D. Thomas 1. 2. q. 23. art. 7. ad 2. dicit, melancholicos esse ad voluptates procliviores, nam earum dulcedine mitigare querunt internam suæ complexionis amaritudinem.

5 Queritur, an detur temperamentum æquale ad pondus? Affirmant N. Saxonia, Marsilius, Rubio,

Rubio, Cabero, & plures Medici citati à Prado. Probant, quia tale pondus æquale non repugnat ex parte qualitatum, cum habeant latitudinem gradualem, & possint convenire in gradu æquali. Nec repugnat ex parte elementorum, quæ licet inæqualia sint in agendo, possunt tamen refrangi, & attemperari, ut actio æqualis sequatur. Hoc temperamentum ex terminis non repugnans, datum esse in Christo D. affirmant plures.

Negativa sententia est communis inter Theologos, & Philosophos, quos allegat Prado in præfati 2. de Generat. q. 6. Traditur à D. Thoma 3. Sent. dist. 16. q. 1. art. 1. ad 4. ubi ait: *Impossibile est, quod complexio perveniat ad tantam æqualitatem, quin alterum contrariorum prædominetur: quia aliis non feret mixtio, nisi unum in alterum ageret dominans, ad medium reducendo, altero resistente. Et præcipue hoc oportet in corpore humano, quod calor dominetur propter operationes animæ, quæ indigent calore ut instrumento, ut dicitur in 2. de Anima textu 41.* Hinc solvitur fundamentum contrarium: nam repugnantia temperamenti æqualis desumitur non ex qualitibus, sed ex operationibus animæ, quæ impedirentur calore non dominante. Ideo etiam pro diversitate operationum partes corporis humani diversam habent temperiem, nam cor est calidissimum, cerebrum

frigidissimum, ossa sicca, pupilla humida &c. Nec homo totius vite decursu eandem habet complexionem, sed eam variat decurrente ætate, & extraneis acquisitis humoribus.

§. III.

De mixtis imperfectis, seu meteoris.

6 **M**ixta imperfecta sunt, quæ vno constant elemento, qualitibus alterius elementi alterato, v. g. aqua duritie terrestri per frigus contracta sit glacies. Vel si consistunt pluribus elementis, mixtio eorum non est ita perfecta, ut facile non possint solvi in pristinam naturam: ut nix mixta ex aqua & aere, facile in ea resolvitur. Quia tamen magna pars istorum mixtorum fit in sublimi, scilicet in aere, vocantur meteoræ, id est, in sublimi apparentia, ac in sursum lata. Sub hoc nomine plura comprehenduntur, quæ sunt in terra, & in aqua, ut terræ motus, maris æstus, salsedo aquarum &c. De his omnibus agendum, primò de meteoris igneis in aere apparentibus; secundò de meteoris aqueis aeris. Tertio de meteoris consistentibus in sola apparentia; quartò de meteoris, quæ sunt in aqua, & terra.

Ex terra, & aqua virtute Solis,

& aliorum syderum, quidam sumi elevantur, qui sunt materia meteororum in aere apparentium. Fumus ille, qui trahitur ex aquis, dicitur *vapor*; qui ex terra, dicitur *exhalatio*. Hæc sapit conditiones terræ à qua oritur: vnde sicut videmus alias terras steriles, & macras, alias bituminosas, nitrosas, pingues, oleaginosas; ita exhalationes aliæ sunt calidæ, aliæ sulphureæ, aliæ bituminosæ, nitrosæ, & oleaginosæ. Ex his fiunt meteora ignita: materia enim sulphurea, bituminosa, & pinguis facillimè concipit flammam, ut patet in lampade, cuius flamma nutritur oleaginosa exhalatione. Hinc oriuntur. *Cometa, Fulmina, Tonitrua, Stella cadentes, Ignes fatui, & lambentes, Dracones volantes, Capræ saltantes, Sagittæ ardentes &c.*

Meteora ignita ut plurimum differunt penes diversam materiæ dispositionem, secundum densitatem, raritatem, & figuram: quare igitur illi meteorici, qui sunt circa mediam aeris regionem, sola forma & figura differunt, & ratione illius varia nomina sortiuntur, v.g. *Capræ saltantes, Dracones volantes, faces ardentes, candela accensa, lanceæ columnæ, ignis perpendicularis &c.* Iuxta qualitatem exhalationum ascendunt ad primam, secundam, aut tertiam aeris regionem, & calore syderum agitata, accenduntur meteora ignita.

7 Circa Cometarum naturam,

& in quo loco contineantur, distidium est inter Philosophos, & Astrologos. Hippocrates, Anaxagoras, Democritus, & alij voluerunt, esse combinationem plurius stellarum, quæ propter propinquitatem apparent ut una stella. Cardanus voluit, esse quædam astra secundaria in orbibus Planetarum, licet non ita firma ut Planetæ, & tunc apparere, cum à Sole illustrantur. Tyco Brahe, quem plures sequuntur, voluit, gigni in Cælo ex quibusdam exhalationibus à Sole, & alijs Planetis exeuntibus. At si supra orbem Lunæ Cometæ deprehendantur, non erunt meteorici, id est mixta imperfecta, ad tempus genita, & mox dissolvenda; sed erunt corpora cælestia incorruptibilia, de quibus nunc sermo non est.

Aristoteles, cum quo omnes Philosophi, & ferè omnes Astrologi, qui ante Tyconem scripserunt, docent, Cometæ gigni ex terræ vaporibus in regionibus sublanaribus. Ita Philosophus 1. Meteor. & ibi B. Ægidius, ac alij Interpretes. Probat ex luce, nam lux Cometarum est pallida; languens, & subobscura sicut lux aliarum impressionum ignitarum; non est lux ardens, vivida, & fulgida sicut stellarum, & corporum cælestium: ergo Cometæ gignuntur in regione aeris ex terreis exhalationibus. Secundò, Cometæ videntur variari, scindi, augeri, & destrui;

destrui: ergo non sunt ex materia cælesti, quæ mutabilis non est. Præterea, quod debeant collocari in suprema aeris regione, & infra Lunam, patet ex eo, quod exhalationes terræ nequeunt Cælos solidos penetrare; nec regionem ignis, à qua absumerentur, pertransire; cum ignis activior sit, quàm exhalatio.

8 In Cometis quatuor observantur: figura, motus, color, & significatio. Figura variatur iuxta dispositionem materiæ: & triplex enumeratur. Dicitur *Cometa caudatus*; quando materia subtilior in longum porrigitur uniformiter. Dicitur *Cometa barbatus*, quando materia disponitur versus unam partem, ut conformetur in modum barbæ, Vocatur *Cometa crinitus, seu comaus*, quando Cometæ circumstantes exhalationes in modum crinium assistunt. Solent alias figuras referre, ut gladij, crucis &c. & inde varia nomina sortiri.

Motus Cometarum est ab Oriente in Occidentem: cum enim sint in suprema parte aeris, rapiuntur motu diurno. Præterea, nonnunquam elevantur, deprimuntur, & declinant ad polos, prout aviditas materiæ quærendæ, vel syderum virtus eos impulerit.

Color Cometarum varius est iuxta materiæ conditionem, sicut apud nos flamma variat colorem, ut ardet in diversis materijs; nam in sulphure cærulea est, in resina

nigrescit, in oleo puro albescit. Ita in Cometis, qui habent materiam crassioram, & caliginosam, horridi, & nigri apparent: qui subtiliorem, & rariorem, argentei, & lucidi; quorum materia miscetur caliginosæ exhalationi, rubei apparent, & sanguinei.

Significare dicuntur tempestates, ventos, sterilitates, morbos, mortes, bella, mutationes statuum, & alios sinistros eventus. Hæc præfagire possunt partim naturaliter, partim ex beneplacito Dei. Naturaliter quidem: nam Cometa nutritur magna copia pinguium exhalationum; vnde exigit terræ pinguedinem, & ita causat sterilitatem. Partes sicciore harum exhalationum vertuntur in ventos & turbines, vnde oriuntur tempestates. Crassiores demùm partes inficiunt aerem: inde morbi, & mortes sequuntur. Cum producitur Cometa, dominatur astrum calidum & siccum, à quo excitantur homines biliosi; hinc rixæ, & bella. Demùm, tanta naturæ alteratio inducit alterationes, & mutationes humorum, inclinationum, & studiorum in hominibus: hinc aviditas mutandi statum, & mutationes regnorum, aut morum.

Ex beneplacito quoque Dei hos eventus Cometæ prænantiant: vnde ante excidium Hierosolymitanum apparuit Cometa futuræ cladis prænantius, qui diù perseveravit. Vnde sicut arcum cælestem dedit

dedit Deus in signum fœderis inter Cœlum & terram; ita videtur allumpſiſſe inſignia portenta illa in ſignum iræ ſuæ, & imminentiũ flagellorum, vt expreſſè docet Damascenus lib. 2. Fidei. cap. 27. & Regius Propheta dicens: *Dediſti dilectis tuis ſignum, vt fugiant à facie arcus.*

9 Fulmen, Fulgur, & Tonitru eandem habent cauſam, ſcilicèt exhalationem ſiccam, & calidam naturæ ſulphuræ, & nitroſæ. Tonitru eſt ſonus factus in nubibus ex violenta percuffione exhalationis calidæ, & ſiccæ cum iſtis nubibus, à quibus circumdatur; vel ex collisione iſarum nubium. Cum enim eleuatur vapor, & cum eo exhalatio, vapor exhalationem circumdat, & inſpiſatur in nubem, cuius frigiditatem non ferens inclufa exhalatio, quæ calida, & ſicca eſt, contra latera nubis impellitur quærens exitum; & cauſat fragorem, quoſque nubem diſcindit, & ex illa exit. Tali motu inflammatur exhalatio, & fulgur producit. Licèt autem tonitru, & fulgur ſiant ſimul, priùs tamen videmus coruſcationem, quàm audiamus ſonam: quia viſus ſubtilior eſt, quàm auditus. Aliquando videmus fulgur, & ſonam non audimus, quia ſonus debilis eſt, nec peruenit ad nos.

Fulmen eſt exhalatio ignita, condensata in nube diſciſa, magno impetu excuſſa. Eadem eſt materia

fulminis, & fulguris, cū ſolo diſcrimine raritatis, & denſitatis; vnde Seneca dicit: *Fulgur eſſe flammam, quæ futura erat fulmen, ſi plus virium habuiſſet.* Aliquando Fulmen ſecum deſert lapidem, & eo veluti tormentario globo obvia, quæ que perforat, conterit, & proſternit. Lapis iſte fulmineus dicitur *Cuneus*, quia formatus eſt ad modum cunei, quo ſolemus ligna diſcindere. Formatur lapis in nubibus ex partibus exhalationum craſſioribus, quæ frigore deſeſcunt. Si autem fulmina nullam ſecum deſerunt lapidem, facilè per poros ſe ſe inſinuant, interiora magis reſiſtentia comburunt, externa verò parum, aut nihil offendant. Hinc illa mirabilia, vt præter naturæ ordinem pecuniam in crumena, enſem in vagina, pedem in calceo deſtruant, iſſeſis crumena, vagina, & calceo: hominem, & animalia redigunt in cineres, illaſa ſuperficie: arborum medullas ſugunt intactis arboribus &c.

Temporibus noſtris ad plurius perniciem Ars naturam imitata eſt in pulvere tormentario, compoſito ex ſulphure, halinitro, & carbone. In hac compoſitione adhibetur ſulphur, vt facilè flammam concipiat: halinitrum, vt inflammationè per totam maſſam promoueat, & flammam ſummè amplifcet & rarefaciat: carbo denique, vt actionem halinitri non nihil remoretur. Hæc compoſitio

incluſa

incluſa intra æneam fiſtolam, dum accenditur, ſubitò rareſcit; & fulmini perſimilis edito fulgure, erumpit è carcere ſuo cum magno ſtrepitu; ſecumque deſert ad maximam diſtantiã globos ferreos, aut plumbeos, certiffimam ſtragem obuijs corporibus. Si hoc efficit Ars in parua materia ſulphuris, & halinitri; longè potentior natura quid efficiet in ingenti copia ſulphurearum exhalationum?

10 Fulminis formationem hæc tenus explicatam inſinuare videtur Regius Propheta Psalm. 17. dicens: *Ascendit fumus in irâ eius,* id eſt, ſumoſa exhalatio, calore nimio educta è viſceribus terræ ad oſtentionem iræ Diuinæ. *Et ignis à facie eius exarſit,* ſcilicèt, cùm illa exhalatio in ſuperiores regiones aſcendens, inardefcit. *Carbones ſuccenſi ſunt ab eo,* id eſt, ignis fulmineus, qui in craſſiori materia benè nuncupatur *Carbo.* Quia verò ira Dei his metuendis effectibus ad nos deſcendere videtur, ideò ſubiungit: *inclinavit cœlos, & deſcendit, caligo ſub pedibus eius.* Et poſt pauca ſubdit: *Poſuit tenebras tabernaculum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aeris.*

Præter hæc præcipua ignita meteoræ, alia minùs præcipua generantur prope nos, vt contingit in navibus, vbi circa antennas apparent flammæ, quæ olim vocabantur *Cæſter,* & *Pollux,* nunc au-

tèm dicuntur *ignes Sancti Telmi,* quem Patronum inuocant nauæ in maris tempeſtatibus. Fiunt ex pinguibus exhalationibus conglobatis circa antennas nauium, & vento agitata flammæ concipiunt. Si flammæ aſcendant ad ſaltigia antennatum, indicant tempeſtatem remittere: ſi verò appareant in inſima parte, indicant aerem adhuc turbatum, nec ſinere exhalationes innata leuitate aſcendere; proindèque adhuc viget tempeſtas. *Ignes labentes, & fatui* dicuntur, qui apparent circa capillos hominum, & crines equorum, necnon in cæmenterijs: gignuntur ex leviſſimis exhalationibus, quæ ſolùm fulgent, & non ardent, vel ſaltem calore non moleſtant, & citò diſſipantur. Et hæc de meteoris ignitis.

11 Météora aquea ſunt *Nubes, Nebula, Grando, Granula, Nix, Pluvia, Pruma, Ros, Fontes, & Flumina.* Generantur ex vaporibus virtute Solis, & Aſtorum extractis ex marinis aquis, & flualibus. *Nubes* eſt vapor aqueus in media regione aeris frigore condensatus. *Pluvia* eſt eiufmodi nubes diſtillata, & reſoluta in aquas, quæ aeris agitatione diuiduntur, vt guttatim deſcendant. *Grando* eſt pluvia nimio frigore congelata, & glaciata. *Nix* cadit, dum nubes nondum in pluiam reſoluta, ſed adhuc exiſtens vapor congelatur, & decidit in floccos candidos. Si

quæras, cùm nix fecundat agros? Respondetur, quia ei admiscetur multum pinguis exhalationis: tursus, copiosior nix sata tutatur ab externo frigore: & tandem impedit, nè calor internus terrarum ita facillè transpiraret.

Ros est vapor tenuis, & subtilis, qui diurno calore attractus, & blando noctis frigore resolutus, cadit in tenuissimas stillas. Pruna fit, quando ros iste nimio frigore congelatur. Si tibi misceantur benignæ exhalationes, à floribus, arboribus, & herbis exudantes, fit quædam mixtura, quæ Solis calore decocta usurpatur ab apibus, & inde conficiunt mel. Si verò exhalationes istæ sint crassiores, inde fit manna, quod copiosè colligitur in Calabria, Libano, & alijs locis.

His adiungitur *Glacies*, quæ nihil aliud est, quàm aqua nimio frigore durata. Si autem per multa sæcula glacies perseveret in locis frigidis, dicitur verti in crystallam, vt in Alpibus, & alijs montibus frigidissimis. Hoc traditur à Plinio, sed à multis non admittitur, quia crystallas magis sapientiam naturam perfecti, pretiosisque lapidis, quàm glaciei pertinacitè indurata.

12 Inter meteora, quæ non sunt mixtionis, sed in solo colore consistant, numerantur *Galaxia*, seu *Circulus lacteus*, *Arcus cælestis*, *Parhelia*, *Vorago*, *Virgæ*, &

Corona. *Galaxia*, seu *Circulus lacteus* (omissis Poetarum fabulis) est densior firmamenti pars, quæ languidiorem lucem transmittit ad nos. Hæc parti variæ stellulæ coniunguntur, quæ multum iuvant ad producendum illum fulgorem. *Iris*, seu arcus cælestis est arcus tricolor in nube rorida, & concaua, ex reflexione radiorum Solis apparet. Vbi nubes densior est, fit reflexio radiorum fortior, & apparet color puniceus: vbi autem nubes est rara, fit reflexio debilis, & apparet color viridis: vbi nubes est rarior, fit reflexio debilior, & apparet color alurgus, seu ad instar lapidis lazuli. Ex colore puniceo, & viridi generatur color glaucus, & Iride desinente, color puniceus transit in glaucum. Ratio figuræ semicircularis sumitur à Sole, qui cùm sit sphericus, assimilat sibi Iridem, quantum potest.

Parhelia, seu Sol eumentis, est imago Solis expressa in nube collateraliter ad Austrum, vel ad Aquilonem. Sicut enim imago nostra apparet in speculo, ita imago Solis in nube, dum ista debite præparatur, & in modum speculi. Virgæ sunt radij solares, penetrantes nubem difformiter densam & raram, ad modum baculorum versus terram protensorum. Hæc est vapor in medio obscurus, & ater, in circumferentia magis clarus, & albicans. Causatur, cùm nocte circa Lunam, aut aliud Astrum

trum colliguntur multæ exhalationes crassiores in medio, & subtiliores in extremo, à Luna, aut Astris illuminatæ. *Corona*, quæ dicitur Halo, vel Area, est circulus circa Lunam, aut aliud Astrum apparet. Causatur ex vaporibus interpositis inter Lunam, & visum nostrum à Luna illuminatis.

13 *Meteora*, quæ sunt circa aquam, & terram, minus propriè meteora dicuntur, quia sublimia non sunt; inter meteora tamen computantur. Præcipua sunt fluxus, & refluxus maris, ac eius faldedo. Ista causatur ex terrestribus exhalationibus siccis, & adustis, quæ à terrâ in mare eleuantur. Ita Philosophus 2. Meteor. cap. 3. Recipit mare has exhalationes terreas, quia lambit viscera terræ, montium, & cavernarum, vbi sunt diversorum salium mineræ. Hinc fit, vt aquæ maris sunt graviore, & crassiores, quàm fluviales. Causa remota huius faldedinis est ipsa creatio elementi, quam in sua creatione accepit à Deo, vt commodius nutrentur pisces maximi, qui dulces aquas pati non possunt. Similiter, vt naves sustineret, & onera; nam constat, aquas dulces leviores esse, nec posse ingentia pondera sustinere.

Circa fluxum, & refluxum maris, qui præcipuè cernitur in mari Oceano singulis senis horis, variant DD. in causâ assignanda. Aliqui voluerunt, causari propter

varium situm terræ, qui in vno loco est altior, in alio declivior. Reijcitur: quia in hoc casu deberet aqua semper fluere ad partem declivior, vt constat de fluminibus; mare autem fluit ad vnâ partem, & refluit ad oppositam. Omissa hac, & alijs opinionibus, communior sententia tribuit Lunæ effectum istum fluxus, & refluxus maris. Probat, quia Luna dominatur corporibus humidis: ergo & mari præcipuo humiditatis regno. Accedit, motum maris ita sequi Lunæ cursum, vt affluxus fiat existente Luna in Meridiano nostro, refluxus, dum Luna exiit in occasu: quod etiam observatur, dum Luna attingit Meridianum, & occasum nostrorum Antipodum. B. Egidius in Hexamer. p. 2. cap. 25. dicit, magnam partem aquæ converti in aerem à Sole, dum diametraliter transit super mare, & per hoc mare retrahitur. E contra sub Aquilone, vbi magnum est frigus, pars aeris condensatur in aquam, & aqua ista mare dilatatur, & fluit. Quia autem vtraque conversio fit omni die; quotidie fit fluxus, & refluxus. Hoc enim nobis certum est, plures causas concurrere ad illum mirabilem effectum; quare ultra influxum Lunæ humidis dominantis, causatur etiam fluxus, & refluxus ab explicatis conversionibus.

14 Ex vaporibus elevatis à terra generantur fontes: sunt enim

in ventre terræ plures concavitates, & quasi viscera ipsius, in quibus sunt vapores; qui cum in lateribus cavernarum resolvuntur in aquam, guttatim distillant, rivulos formant, & tandem erumpentes, fontem efficiunt. Si transeant per quædam mineralia, participant eorum qualitates, ut colorem, odorem, saporem, & etiam calorem, quando sulphur admixtum est.

Vt ergo omnium opiniones conciliantur circa originem fontium, & fluminum, varias causas assignare possumus. Prima est aqua pluvialis intra terræ speluncas conclusa, & collecta, quæ distribuitur per fontium foramina. Causa ista patet, quia si cesset pluvia, plures fontes ardescunt. Secunda causa est aer, qui intra frigidissimas, & humidas terræ cavernas inclusus distillat in guttas, quæ paulatim collectæ fluunt in fontes. Huiusmodi aquæ non sunt copiosæ; quia ex multo aere non fit nisi modica aqua. Tertia causa, & universaliior est aqua maris, quæ terræ venis se se insinuat, ex quibus purgata falsedine, erumpit in vberissimos fontes, & aliquando in maxima flumina. Constat enim, quod sicut corpus animalis infinitis meatibus perforatur, quibus sanguis, & humores per omnia membra distribuuntur; ita terræ corpus infinitis venis, & vijs scaturit, per quas aquæ maris se se in-

sinuant. Huiusmodi communicatio aquæ maris in intima terræ tanta est, ut reperta sint in visceribus terræ grandia flumina, & vastissimi lacus, partim salis, partim dulces; & plura alia longè copiosiora scrutari liceret, si profundius terram perspiceremus, qui tantum primam cutem eius attingimus. Cum enim terræ profunditas, & semidiameter sit mille & fere quingentarum leucarum, vix ad unam, aut alteram leucam penetrare valemus. De his receptaculis intelligi potest Psalmista dicens: *Qui ponit in thesauris abyssos*, id est, in terræ visceribus ingentem copiam aquarum, quæ est veluti inexhaustus fontium, & fluminum thesaurus. His meatibus subterraneis communicant invicem maria, ut communiter dicitur de mari Caspio, & Mediterraneo. Fontes etiam voragines illæ, quarum vada nondum reperta sunt, nihil aliud erunt, quam meatus, per quos unum mare pertingit ad aliud etiam remotissimum.

15 Circa terram duo præcipua occurrunt meteora, nempe, terræ motus, & incendia subterranea. Quantum ad terræ motum, qui nihil aliud est, quam tremor terræ, causatus ab exhalationibus intra viscera terræ conclusis; scientum est, evenire, dum exhalationes calore Solis rarefiunt, & hinc inde agitantur, ut exitum liberum

ad

ad proprium locum sibi aperiant. Tunc terram concutunt, quæ tandem in magnos hiatus aperitur, quibus integræ vires, & maximi montes nonnunquam devorantur. Aliquando hiatus iste manet, ostendens, quæ forbit; aliquando ita occultat, ut inducto solo, nulla extant vestigia. Frequentèr terræ motus fit, ubi tellus spongiosa est, & cavernosa, ut in Sicilia, & Calabria. Frequentèr evenit vere, & autumno, quando plurimum viget attractio exhalationum. Fit cum sono, & mugitu, quem edere solet exhalatio conclusa, & commota. Signa præagientia terræ motum sunt, cum aquæ puteales turbantur, vel ebulliunt; cum ascendunt, & terræ odorem emittunt; tunc enim moventur halitus, & exhalationes. Signa etiam sunt intemptiva aeris tranquillitas, & siccitas; pallida Solis facies, & nubecula levis post Solis occasum diu persistens. Aliquando post terræ motum pestilentia succedit, quia halitus exeuntes sunt venenosi, & aerem inficiunt.

Subterranea incendia sunt ex materia sulphorea, & bituminosa, accensa intra viscera terræ; quæ si sit in magna copia, dilatatur, & erumpit ignis in vastos hiatus, & spiracula fumantia. Hinc sunt vulcani, seu montes ardentes: talis est Ætna in Sicilia, Vesubius in Campania, Hecla in Islandia, & alij in alijs locis. Inter

istos ignes creditur esse quædam communicatio per foramina subterranea; nam observatum est, plures invicem remotissimos eodem tempore exaruisse, & eructasse. Aluntur sulphure, & bitumine; & ubi semel robusti sunt, alias res, ut lapides, & metalla, vertunt in nutrimentum. Hinc aliquando eructant igneum torrentem plumbum, vitrum, ferro, sulphure, & bitumine mixtum. Præ cæteris mirandum est, unæ tanta materia, & tantis, ac tam perennibus flammis necessaria suggeratur: ecce enim Ætna, & Vesubius à plusquam duobus annorum millibus ardere conspiciuntur. Dicendum, intra terræ viscera, ut aquarum ingentes abyssos, ita bituminis, & sulphuris immensos thesauros latere, qui perennem horum ignium materiam novis incrementis reparent, & suggerant. Accenduntur vel vibrato fulmine in materiam præparatam, vel terræ motu, vel inardescente per antiparistatim sulphurea exhalatione.

16 Ventos nihil aliud esse, quam aerem agitatione commotum, dixerunt Stoici, quos secuti sunt Hippocrates, Cardanus, & alij. Eorum natura occultissima est æquæ, ac mirabilis eorum utilitas in mundo sublanari; purgant enim aerem, temperant astivos calores, hyberna frigora emolliunt, pluvijis fecundas nubes è mari advehunt, naves impellunt,

& infinita alia commoda nobis procarant. Verosimilior est Aristotelis sententia docens, ventum esse exhalationem calidam, & siccam, è visceribus terræ erumpentem, & lateralitèr motam circa ipsam terram. Ità Philosophus 2. Meteor. cap. 4. Cùm enim exhalatio calida sursum tendere conetur, à frigore mediæ regionis deijcitur; & idèò lateralitèr circa terram movetur. Hanc sententiam tenent communitèr DD. & eam tradit P. Augustinus 3. de Genesi ad lit. cap. 10.

Venti principales quatuor sunt, à quatuor mundi plagis exorientes, & eisdem nominibus appellantur, scilicèt, *Oriens*, *Ponens*, *Aquilo*, & *Auster*. Isti venti habent alios collaterales, qui proprijs nominibus distinguuntur à nautis vsque ad numerum trigèsimum secundum. Qualitates ventorum differunt ex tractibus, per quos transeunt. Qui stat à Septentrione, est nobis frigidissimus, quia spirat à frigidissimis regionibus. Qui à Meridie, calidissimus est, etiàm in hyeme; nàm transit per Torridam Zonam, vbi est ætus perennis. Qui ab Occidente, humidus est, & pluviosus, quia ex mari plures vapores comportat, in largos imbres solvendo. Qui stat ab Oriente, serenus est. Contingit, ventum vni regioni serenum, alteri pluviosum esse, aut è contrà, propter varios respectus ad mare: generalitèr

tèr ventus marinus pluviosus est.

Quando venti obviam euntes se repercutiunt, per gyrum se volunt, & revolvunt; pulverem, folia, & paleas in aerem elevant, & cùm flant supra mare, aquam, & aliquando naves etiàm elevasse feruntur. Ex his duobus ventis conficitur vnus, qui dicitur *Turbo*. Turbines magis periculosi, & formidabiles sunt tres Ethnepias, Typho, & Præster. Ethnepias est ventus à cavitate nubis subito erumpens, & ad ima magno impetu perflans; certissima navigantium perniciës, præcipuè dum tangit navim explicatis velis: tunc enim velis se implicat, navim evertit, ac submergit, nisi promptissimè deiciantur antennæ. Frequentèr accidit navigantibus circa oras Africae sub Æquinoctio positas. Typho est turbo, qui non recta via, sed vorticoso impetu erumpit è nubibus, & aliquando ità violentèr, ut naves in altum abripiat, & diu agitatae in aere, tandèm submergat. Si huiusmodi turbinibus se immisceat exhalatio ignita, fit *Præster*, id est, turbo ignitus, & comburens, qui incendit, quæ sibi occurrunt.

(****)

§. IV.

De mixtis medijs, seu mineralibus.

17 **M**Ixta tertiæ compositionis sunt mineralia, & ità appellantur quæcumque è terræ visceribus eruuntur, ut lapides, fossilia, & metalla, Numerantur inter meteora ratione materiæ, quia generantur ex vaporibus, & exhalationibus. Mineraliam præcipuà materia videtur esse terra, & aqua, præparata tamèn per varias dispositiones, ut resoluta in vaporem, & exhalationem, postea condensata in humorem, tandèm indurescat in formam mineralis. Causa efficiens mineraliam sunt Cæli, & Astra, quorum calore, & virtute materia ista mineralium disponitur, digeritur, & formatur. Vndè D. Thomas de mente Philosophi dicit: *Omniùm, quæ in visceribus terræ nascuntur, terra quidèm, & aqua veluti mater præbent materiam; sed Cælum, & Astra sunt veluti pater inducens formam.*

Lapides ex vapore, & exhalatione permixta cum luto viscoso actione longa producantur, & iuxta qualitates materiæ generantur diversorum colorum, & multiplicis efficacitæ. Certissimum est, puram terram non posse immedia-

tè fieri lapidem: nàm siccitas terræ ipsam impedit coagulari. Aliqui dubitant de aqua: sed hæc per se ipsam nequit converti in lapidem; per admixtionem vaporum, & exhalationum potest ità converti. Hinc pluries visum est, aquarum spumam in lapidè fuisse conversam; imò etiàm ligna, animalia &c. Causa efficiens lapidum sunt corpora cælestia, à quibus fulgor, colores, virtutes, ac mirabiles proprietates, ipsis etiàm Lapidarijs ut plurimum ignotæ derivantur. In quibusdam gemmis muscæ, formicæ, & alia huiusmodi intercepta, & inclusa reperiuntur: indè provenit, quòd eiusmodi res in humorem istum gemmeum casu incidant, antequàm durescat, moxque illo concreto, & lapidescente, simul indurantur. Coralliam non est lapis, sed planta crescens in fundo maris, vbi mollis, & flexibilis est ut reliquæ plantæ; extracta tamèn contrahit lapideam duritiem.

Fossilia ferè innumera, & sales generantur ex vaporibus admixtis cum exhalationibus actione forti. Ex diversa proportione inter vapores, & exhalationes diversi producantur sales, ut sunt sal communis, cibus inserviens, sal harmoniacus, sal nitrus, & alia fossilia, ut cerussa, ocre, sulphur, cinnabaris, naphtha, sandaracum, stibium, seu antimonium, vitriolum, camphora, gypsus, arsenicum,

eam, carbo terrestris, alumen, sal fossile, imo vt ferrum, lignum foli-
file. Horum utilitates variae sunt
ad medicinam, & humanos vius,
pro quo explicando longam oportet
historiam texere, & varia
experimenta narrare.

18 Metalla ex argento vivo, &
sulphure immediatè generantur.
Argentum vivum est substantia
aquea mixtione forti permixta
terreo subtili. Componitur ex par-
te terrea, & aquea: partem terream
vocant sulphur argenti vivi, & in
eius separatione multi laboris im-
penditur. Argentum vivum clarita-
tem habet ab aqua, & aere inclu-
sis; mobilitatem ab humiditate,
& pondere: quòd autem non ma-
defaciat manus, habet ex siccitate
superficiè extrinsecè. Eius naturam
plurima ingenia scrutari tentarunt:
aliqui dixerunt esse naturaliter
calidum, alij humidum, alij sic-
cum, alij frigidum. Vocatur Mer-
curius, quia sicut Mercurius cum
omnibus Planetis coniungitur; ita
argentum vivum cum omnibus me-
tallis facillimè vnitur. Metalla va-
ria sunt, sed ad septem præcipua
revocantur, nempe Plumbum,
Stannum, Ferrum, Aurum, Cu-
prum, Argentum, & Mercurium,
quæ septem Planetis adscribi so-
lent.

Plumbum, quod Saturno tri-
buitur, & ideo etiam Saturnus ap-
pellatur, ex argento vivo impuro,
crasso, faculento, & ex sulphure

immundo generatur. Stannum vero,
quod tribuitur Iovi, ex argento
vivo puro, & clares, & ex sulphu-
re immundo producitur. Ferrum,
quod tribuitur Marti, ex modico
argento vivo, & immundo; & ex
sulphure spisso, immundo, & adu-
rente componitur. Aurum, quod
Soli tribuitur, ex argento vivo,
puro, & claro; & ex sulphure
mundissimo, rubeo, non adurente
per actionem Solis conficitur. Cu-
prum, seu æs, quod tribuitur Ven-
neri, ex argento vivo, non omni-
nò immundo; & ex sulphure ru-
beo crasso, & leproso generatur.
Argentum vivum, quod Mercurio
tribuitur, ex sulphure vinctuoso par-
tim aereo, & partim terrestri, &
igneo; & humore aqueo componi-
tur. Argentum, quod tribuitur
Lunæ, ex argento vivo albo, &
mundo; & ex sulphure albo, &
mundo, non adurente, generatur.
Omnia hæc metalla, vocantur no-
mine Planetæ, cui tribuitur eo-
rum productio.

Ex his patet, quòd argentum
vivum est materia communis om-
nium metallorum, quia ex illo
omnia generantur; sulphur vero
se habet, vt forma, quæ metalla
specie distinguit. Praxis autem hoc
docet; ex quolibet enim metallo
argentum vivum extrahitur, quò
separato remanet quedam materia
terrestri, & sicca, quæ sulphur
communi nomine dicitur. Cum
igitur quolibet ex ijs componi-
tur,

tur, in qua resolvitur; ideo ex re-
solutione omnium metallorum in
argentum vivum, & in partem ter-
restrem, rectè inferitur, metalla
omnia ex argento vivo, & sulphu-
re terrestri generari, & componi.

Chalybs nihil aliud est, quam
ferrum purgatum, & deparatum.
Sicut aurichalcum est cuprum tu-
thia coloratum.

Electri autem tres species inve-
niuntur; vna, quæ ex quodam ar-
borum gummi indurescit, & Succin-
num dicitur; altera ex tribus par-
tibus auri, & ex vna argenti con-
ficitur; tertia autem naturalis est,
& in mineris reperitur; & ab auro
vix discernitur; ac inter alias vir-
tutes venenam miro splendore ha-
bet ostendere, vt refert D. Am-
bros. in Hexam. lib. 3. cap. 5.

19 Quæres, an per artem Chi-
micam possit fieri verum aurum?
Affirmant plures cum Hermete,
qui omnium Princeps censetur: al-
legatur etiam B. Albertus Ma-
gnus, Raymundus Lullius, Ar-
naldus de Villanova, Basilus Va-
lentinus, & alij viri gravissimi. Pro-
bant; nam ideo elementa possunt
invicem transmutari, quia habent
materiam communem, quæ potest
affici qualitatibus disponentibus
ad alias formas elementares; sed
etiam metalla habent materiam
communem, quæ est argentum vi-
vum; & hoc per Chemicam potest
alterari, & disponi dispositione
æquivalente influxui Solis, & Pla-

netarum: ergo per Chemicam me-
dio Mercurio potest effici verum
aurum. Confirmatur. Nam metal-
la quantumque perfecta solum
petunt principium activum &
passivum, ac debitum calorem, quo
in visceribus terræ generantur: sed
hec duo principia ignorata à mul-
tis, in calum semper laborantibus,
ab aliquibus cognita sunt, & ap-
plicata; ea etiam possunt artificiali
calore foveti, coniungi, & perfici
in vnum purissimum elixir, sicut
aves ova in ventre nata, extra
ventrem calore fovent: ergo per
artem suppleri possunt quæcum-
que natura contribuit ad genera-
tionem auri, & metallorum. Hinc
dicitur, quòd ex Mercurio puris-
simo, & sulphure ex metallis per-
fectis extracto, conficitur lapis,
qui vocatur lapis Philosophorum.
Tota huius rei secretissimè summa
consistit in invenendis ponderibus
vtriusque, & gradu ignis, quo de-
coqui debent.

B. Ægidius quodlib. 3. q. 8.
huic quæsito negativè respondet:
favet consensus ferè omnium Phi-
losophorum, & ab infelicissimis
experientijs quàm plurimum, qui in
conficiendo per Chemicam auro,
oleum, & operam perdidit; non
leviter negativa sententia compro-
batur. Accedit ratio. Corpora quæ
perfectiora sunt, eò magis deter-
minant sibi propria principia, &
locum suæ generationis. Sic equus
animal perfectum in sua specie de-

terminat sibi principium activum, & passivum; non enim generari potest nisi ab equo, & ex menstruo equo; tandem determinat sibi locum suæ generationis, qui est ventris equæ. Sed aurum, & argentum sunt perfecta inter metalla: ergo exigunt determinata principia, & determinatum locum, scilicet ventrem terræ, ita ut extra illum nequeant fieri per artem. Accedit, quod Ioannes XXII. in Extrav. *Spondent* damnavit artem Chemicam, & venditionem auri per hanc artem confecti: ergo per hanc artem non conficitur verum aurum, sed apparenter tale, aut aurichalcum. Monet B. Ægidius ubi supra, quod si per hanc artem fieret aurum, cuius falsitas non posset probari, non posset vendi in conscientia: nam aurum ponitur in medicinis deservientibus ad hominis sanitatem; & tale aurum complexioem hominis potius læderet, quam iuvarer.

Fundamenta contraria facile solvuntur. Ad primum negatur minor, quia alterationes Chemicæ sunt artificiales, nec possunt æqui-

valere influxui Solis, & Planetarum. Valet enim ignis artificialis solvere metalla, & ex eis conficere mixtiones varias, & à mixtis metalla extrahere, & reducere ad pristinas formas. Hæc, & alia quàm plura mirabilia efficiuntur ab arte, à qua etiam formantur quædam mixta, quæ assimilantur lapidibus pretiosis. At hæc omnia sophistica sunt, & apparenter talia, & longè distant à perfectissimo opere auri purissimi, aut alterius metalli perfecti. Ad confirmationem dicimus, sub dubio remanere adhuc principium activum auri, & solum constat de mercurio, quod est principium passivum. Præterea, calor Solis, & Planetarum est calor virtuosus eminenter contentivus omnium mineralium: calor autem artificialis virtuosus non est, nec fecundus, sed adæquatè sterilis, nec habet virtutem nisi ad dissolvendam. Quare calorè artificiali non potest suppleri defectus cælestis influxus. Quæ de lapide Philosophorum vulgariter dicuntur, inter aniles fabulas computantur.

LAVS DEO.

INDEX

INDEX

QUESTIONVM, QUÆ PRO LIBRIS DE ANIMA,
Generatione, & Corruptione in hoc quinto
Tomo continentur.

LIBER PRIMUS DE ANIMA IN COMMUNI

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Anima in communi?

- §. I. **Q**uibusdam notatis, traditur, & explicatur duplex definitio Aristotelica. pag. 4.
- §. II. Dubia quædam circa definitionem animæ dissolvuntur. pag. 6.

QVÆSTIO. II.

Quotplex sit anima? Vbi de anima loco motiva.

- §. I. Quibusdam notatis, & erroribus explosis, explicatur communis sententia. pag. 9.
- §. II. Solvantur obiectiones contra communem sententiam. pag. 12.
- §. III. De Anima loco motiva, ubi etiam de animatione Cælorum. pag. 14.

QVÆSTIO. III.

An in quolibet vivente sit unica anima, an vero dentur formæ

subordinatæ realiter distinctæ in eodem subiecto?

- §. I. Quibusdam notatis, referuntur sententiæ cum suis fundamentis. pag. 20.
- §. II. Refertur communis sententia, & probatur, argumentaque solvuntur. pag. 25.

QVÆSTIO. IV.

An anima informet quidquid est in corpore viventis?

- §. I. Statuitur anima in toto corpore viventis, & non in determinata parte. pag. 29.
- §. II. Quibusdam notatis, deciditur quæstio de partibus solidis. pag. 31.
- §. III. Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis circa animationem sanguinis. pag. 36.
- §. IV. Refertur sententia affirmans, & solvuntur fundamenta contraria. pag. 42.

Kkkk 2

Quæst.

QUESTIO V.

Quanam Animæ sint indivisibiles?

§. I. Scitur indivisibilitas Animæ rationalis, & divisibilitas animæ vegetativæ. pag. 49.

§. II. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis circa animam sensitivam. pag. 54.

§. III. Nostra sententia proponitur, & probatur. pag. 59.

§. IV. Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum. pag. 67.

QUESTIO VI.

An Anima eiusdem speciei sint æquales in perfectione substantiali?

§. I. Deciditur questio de animabus diversæ speciei. p. 72.

§. II. Proponuntur sententiæ circa animas eiusdem speciei. p. 75.

§. III. Refertur affirmativa sententia, quæ iterum confirmatur. pag. 80.

§. IV. Expenduntur fundamenta contraria. pag. 84.

QUESTIO VII.

An potentia realiter distinguatur ab Anima?

§. I. Explicantur quinque potentia Animæ, & traditur ratio huius numeri determinati. p. 89.

§. II. Propugnantur sententiæ circa distinctionem potentiarum ab anima. pag. 92.

§. III. Refertur sententia affirmans, & confirmatur auctoritate, & ratione. pag. 99.

§. IV. Expenduntur fundamenta contraria. pag. 104.

QUESTIO VIII.

Vnde sumatur specificatio potentiarum, & actuum?

§. I. Notatis quibusdam, sententiæ referuntur. pag. 108.

§. II. Nostra sententia proponitur, & probatur. pag. 117.

LIBER SECVNDVS

De Anima vegetativa, & sensu vegetativa.

QUESTIO I.

Quid sit Anima vegetativa, & quot potentia illius?

§. I. Definitor Anima vegetativa, eiusque potetie, & actus exponuntur. p. 120.

§. II. De potetia nutritiva. p. 123.

§. III. De potentia augmentativa. pag. 131.

§. IV. De potentia generativa. pag. 134.

QUESTIO II.

Quid sit, & qualiter operetur anima vegetativa?

§. I. Respondetur directè questio. pag. 138.

§. II. Dissolvuntur varia questio circa deceptionem, reflexionem, & laesionem sensuum. p. 142.

QUESTIO III.

Quid sit, & qualiter operetur potentia visiva, ubi de eius obiecto, & subiecto?

§. I. Traditur definitio potentia visivæ, & quæ concernunt eius subiectum, & obiectum. p. 148.

§. II. Solvuntur aliqua dubia circa lucem, & colorem. pag. 153.

§. III. Deciditur, an visio sit per emissionem radiorum. p. 156.

QUESTIO IV.

Quid sit, & qualiter operetur potentia auditiva, ubi de eius obiecto, & subiecto.

§. I. Traditur definitio potentia auditivæ, & quæ concernunt eius subiectum, & obiectum. p. 163.

§. II. Dissolvuntur varia dubia circa subiectum, & obiectum auditus, ubi de echis, & vocibus diversis. pag. 170.

QUESTIO V.

De olfactu, gustu, & tactu.

§. I. De olfactu, eius obiecto, & de odoribus. pag. 174.

§. II. De gustu, sapore, & medio ad sensationem gustativam. pag. 178.

§. III. De tactu, & eius obiecto, ac de medio ad huiusmodi sensationem. pag. 180.

QUESTIO VI.

An sit, quid sit, & quotuplex sensus internus?

§. I. Probatur existentia, & necessitas sensus interni. pag. 185.

§. II. Propugnatur distinctio realis sensuum interiorum. p. 188.

§. III. Explicatur, quid sit sensus communis, & quædam dissolvuntur. pag. 196.

§. IV. De alijs sensibus internis in particulari. pag. 199.

QUESTIO VII.

An potentia sensitivæ sint purè passivæ.

§. I. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. pag. 202.

§. II. Refertur sententia affirmans, & multipliciter probatur. pag. 206.

§. III. Solvuntur argumenta contraria. pag. 215.

QUESTIO VIII.

An detur sensus agens? ubi de speciebus sensibilibus.

§. I. Praefertur sententia negans sensum agentem. pag. 222.

§. II. Solvuntur argumenta, & explicatur, quid sint species compositæ, & inflectæ? pag. 231.

QUESTIO IX.

An sensibile commune moveat sensum per se?

§. I. Quibusdam notatis, proponitur sententia negans. pag. 236.

§. II. Praefertur sententia affirmans iuxta sensum Aegidii. pag. 239.

QUESTIO X.

De somno, somnio, vigilia, risu, fletu, & respiratione.

§. Vnic. Hæc omnia explicantur iuxta principia certioris Philosophiæ. pag. 247.

QUESTIO XI.

Quid sit, & quotuplex potentia appetitiva?

§. I. Probatur potentia appetitiva in omnibus sensitivis. pag. 253.

§. II. Quotuplex sit hæc potentia, & de illius actu, & obiecto. pag. 257.

QUESTIO XII.

Quid sit, & quotuplex potentia loco motiva?

§. Vnde. Respondetur directè
quæsitò. pag. 236.

LIBER TERTIVS De Anima rationali.

QVÆSTIO I.

An Anima nostra sit immortalis?

§. I. **P**roponuntur argumenta
contra immortalitatem
animæ. pag. 268.

§. II. Probatur autoritate, & ra-
tione immortalitas animæ. 270.

§. III. Solvuntur argumenta con-
traria. pag. 276.

QVÆSTIO II.

An Anima rationalis sit substantia
(spiritualis)?

§. I. Refertur opinio de corporei-
tate animæ cum suis fundamen-
tis. pag. 281.

§. II. Ostenditur spiritualitas ani-
mæ ex principijs fidei. p. 282.

§. III. A ratione probatur spiritu-
alitas animæ. pag. 284.

§. IV. Solvuntur arguméta. 287.

QVÆSTIO III.

Quomodo, & quando producat
Anima rationalis?

§. I. Ostenditur, animam rationa-
lem non educi de potentia ma-
teriæ, sed creati à solo Deo. 289.

§. II. Assignatur tempus, quo ani-
ma infunditur corpori. p. 290.

QVÆSTIO IV.

An sit, quid sit, & propter quid
intellectus agens? ubi de distin-
ctione eius ab intellectu
possibili.

§. I. Probatur existentia intellec-
tus agentis. pag. 298.

§. II. Explicatur, quid sit intel-
lectus agens, & defenditur dis-
tinctio realis eiusdè ab intelle-
ctu possibili. pag. 302.

§. III. Explicantur alia manèra
intellectus agentis. pag. 312.

QVÆSTIO V.

An phantasmata concurrant effec-
tivè ad productionem speciei
impressæ.

§. I. Quibusdà notatis, proponi-
tur sententia negans. p. 316.

§. II. Præfertur sententia affirmans,
phantasmata concurrere efficien-
tèr instrumèntaliter. pag. 320.

§. III. Explicatur, quare intellec-
tus in omni operatione sua pen-
det à phantasia? pag. 324.

QVÆSTIO VI.

Quid sit intellectus possibilis, quid
intellectio, quid eius ob-
iectum?

§. I. Deciditur, an sit intellectus
pura potentia taliter, ut non
concurrat activè ad intellectio-
nem. pag. 328.

§. II. Deciditur, an intellectio sit
vera actio, & distinctio eius à
verbo mentis. pag. 340.

§. III. Designatur obiectum intel-
lectus, & qualiter se habet re-
latè ad singularia. pag. 353.

QVÆSTIO VII.

An sint, & quid species intentio-
nales?

§. I. Probatur earum existentia,
& necessitas pro omni potentia
cognosci-

cognoscitiva. pag. 369.

§. II. Explicatur, quid sint spe-
cies intentionales. pag. 374.

QVÆSTIO VIII.

An species sit formalis similitudo
obiecti, & an univoca?

§. I. Defenditur formalis similitu-
do obiecti. pag. 381.

§. II. Disquiritur, an sit univo-
ca. pag. 385.

§. III. Defenditur convenientia
univoca speciei cum obiecto, &
identitas in esse intelligibili.
pag. 388.

QVÆSTIO IX.

An species efficientèr concurrat
ad intellectioem?

§. I. Proponitur sententia negans,
& approbatur affirmans. p. 393.

§. II. Solvuntur arguméta. p. 396.

QVÆSTIO X.

De memoria, & verbo mentis.
§. I. Explicatur, quid sit memoria,
& an differat ab intellectu; obi-
tèr etiàm dissolvuntur pulchra

quæsitò. pag. 399.

§. II. Deciditur, an in omni in-
tellectione producat verbum,
& quid sit. pag. 405.

QVÆSTIO XI.

De voluntate, volitione, & ob-
iecto voluntatis.

§. I. Explicantur, quæ concernunt
voluntatem, ut potentia ratio-
nalis est. pag. 410.

§. II. De actu voluntatis, & de-
ciditur, an sit efficientèr ab
obiecto. pag. 412.

§. III. De obiecto voluntatis, &
an malum possit movere sub
ratione mali. pag. 417.

QVÆSTIO XII.

An intellectus sit nobilior, & per-
fectior voluntate?

§. I. Rationes præferendi intellec-
tum. pag. 419.

§. II. Proponuntur rationes pro
voluntate. pag. 421.

§. III. Nostra sententia proponi-
tur, & argumenta dissolvuntur.
pag. 424.

PRO DVOBVS LIBRIS DE GENERAT. ET CORRVP.

LIBER PRIMVS.

QVÆSTIO I.

An sit, & quid sit generatio subs-
tantialis?

§. I. **S**tatuatur dari genera-
tionem, explicatur,

quid sit, & aliquæ difficulta-
tes enodantur. pag. 431.

Quæ res, an generatio sit actio
distincta à tota alteratione præ-
cedente. pag. 432.

Quæ res,

- Quæres, an generatio sit vera actio de prædicamento actionis? pag. 434.
- Quæres, an generatio sit essentialiter mutatio? pag. 435.
- §. II. Traditur definitio generationis viventium, & aliquæ difficultates enodantur. pag. 437.
- §. III. Designantur principia intrinseca, & extrinseca generationis. pag. 439.
- Quæres, an ultima dispositio ad formam dimanet à forma, ad quam disponit pag. 443.
- §. IV. Enodantur præcipue difficultates circa terminum generationis. pag. 444.
- §. V. Quid sit subiectum generationis. pag. 449.
- QVÆSTIO. II.**
- An in generatione fiat resolutio vsque ad materiam primam?
- §. I. Explicatur ratio dubitandi, & sententiæ referuntur. p. 452.
- §. II. Nostra sententia proponitur, & probatur. pag. 459.
- §. III. Expenduntur fundamenta utriusque sententiæ. p. 466.
- QVÆSTIO. III.**
- An sit, & quid sit corruptio substantialis?
- §. I. Traditur definitio, & quædam dubia incidentia dissolvuntur. pag. 472.
- Quæres, an corruptio sit actio? pag. 473.
- Quæres, an generatio, & corruptio sint duæ mutationes diverse? pag. 474.
- §. II. Explicatur quomodo, & qualiter generatio unius est corruptio alterius. pag. 475.
- Quæres, an generatio, & corruptio habeant mutuum ordinem prioris, & posterioris. p. 477.
- §. III. Explicatur, an forma expellat aliam efficienter, & quomodo corruptio sit intenta à natura? pag. 480.
- Quæres, an corruptio sit per se intenta à natura? pag. 483.
- QVÆSTIO. IV.**
- Quomodo, & qua virtute res corrupta possit iterum reproduci?
- §. I. Explosis aliquibus erroribus, sententiæ referuntur. p. 484.
- §. II. Communis sententia defenditur, & auctoritate, ac ratione comprobatur. pag. 484.
- §. III. Solvuntur argumenta contraria. pag. 484.
- Quæres, an Angeli virtute propria possint mortuos suscitare? pag. 484.
- §. IV. Deciditur, an idem numero corruptum possit redire per divinam potentiam? pag. 498.
- Quæres, quid sit obiectum formale reproductionis? p. 502.
- Quæres, an specie differat à generatione? pag. 502.
- Quæres, an sit supernaturalis quoad substantiam? pag. 502.
- QVÆSTIO. V.**
- De Creatione, & Conversione substantiali.

- §. I. Explicatur, quid sit creatio, & quædam dubia dissolvuntur. 502.
- Quæres, an creatio sit actio transiens? pag. 502.
- Quæres, quid sit terminus formalis creationis. pag. 503.
- Quæres, an creatio sit vera actio de prædicamento actionis? 503.
- §. II. An virtus creativa sit communicabilis creaturæ? p. 503.
- §. III. Quid sit conversio, & an quodlibet possit in quodlibet converti? pag. 509.
- Quæres, an unum possit in alterum converti? pag. 509.
- Quæres, an Deus possit uti creatura, ut instrumento ad conversionem totalem? pag. 510.
- Quæres, an virtute divina quælibet creatura in quamlibet converti possit? pag. 510.
- QVÆSTIO. VI.**
- Quid sit alteratio, & quotuplex, ac qualiter fiat?
- §. I. Traditur definitio alterationis, & quædam dubia dissolvuntur. pag. 514.
- Quæres, quid sit intensio, & remissio? pag. 516.
- Quæres, an intensio, & remissio conveniat soli qualitati? pag. 517.
- §. II. An alteratio sit motus continuus? pag. 518.
- §. III. Quomodo qualitates contrariæ sint compatibles in eodem subiecto? pag. 522.
- Quæres, an divinitus possint contraria coexistere in gradibus intensis? pag. 525.
- QVÆSTIO. VII.**
- Quomodo fiat intensio qualitatum?
- §. I. Impugnatur sententia quorundam, quæ non tam explicat, quam exercit intentionem. pag. 527.
- §. II. Expenditur sententia explicans intensiorem per additionem gradus ad gradum. p. 530.
- §. III. Expenditur sententia asserens, intensiorem fieri per maiorem radicationem in subiecto. pag. 539.
- §. IV. Sententia B. Ægidij proponitur, & probatur. p. 547.
- §. V. Solvuntur argumenta contra sententiæ Ægidianam. 552.
- Quæres, quomodo fiat intensio formatum intentionaliū? 568.
- QVÆSTIO. VIII.**
- De augmentatione, & nutritione.
- §. I. Explicatur, quid sint, & variæ difficultates deciduntur. pag. 569.
- Quæres, quid sit augmentatio, & nutritio? pag. 569.
- Quæres, an dentur nutritio, & augmentatio in omnibus viventibus? pag. 569.
- Quæres, an nutritio differat realiter ab augmentatione. 569.
- Quæres, an per nutritionem substantia alimenti convertatur in substantiam aliti? p. 569.
- Quæres, quomodo nutritio fiat? pag. 570.

- Quæres, an generatio sit vera actio de prædicamento actionis? pag. 434.
- Quæres, an generatio sit essentialiter mutatio? pag. 435.
- §. II. Traditur definitio generationis viventium, & aliquæ difficultates enodantur. pag. 437.
- §. III. Designantur principia intrinseca, & extrinseca generationis. pag. 439.
- Quæres, an ultima dispositio ad formam dimanet à forma, ad quam disponit pag. 443.
- §. IV. Enodantur præcipuæ difficultates circa terminum generationis. pag. 444.
- §. V. Quid sit subiectam generationis. pag. 449.
- QVÆSTIO. II.**
- An in generatione fiat resolutio usque ad materiam primam?
- §. I. Explicatur ratio dubitandi, & sententiæ referuntur. p. 452.
- §. II. Nostra sententia proponitur, & probatur. pag. 459.
- §. III. Expenduntur fundamenta utriusque sententiæ. p. 466.
- QVÆSTIO. III.**
- An sit, & quid sit corruptio substantialis?
- §. I. Traditur definitio, & quædam dubia incidentia dissolvuntur. pag. 472.
- Quæres, an corruptio sit actio? pag. 473.
- Quæres, an generatio, & corruptio sint duæ mutationes diverse? pag. 474.
- §. II. Explicatur quomodo, & qualiter generatio unius est corruptio alterius. pag. 475.
- Quæres, an generatio, & corruptio habeant mutuum ordinem prioris, & posterioris. p. 477.
- §. III. Explicatur, an forma expellat aliam efficienter, & quomodo corruptio sit intenta à natura? pag. 480.
- Quæres, an corruptio sit per se intenta à natura? pag. 483.
- QVÆSTIO. IV.**
- Quomodo, & qua virtute res corrupta possit iterum res produci?
- §. I. Explosis aliquibus erroribus, sententiæ referuntur. p. 484.
- §. II. Communis sententia defenditur, & auctoritate, ac ratione comprobatur. pag. 484.
- §. III. Solvuntur argumenta contraria. pag. 484.
- Quæres, an Angeli virtute propria possint mortuos suscitare? pag. 484.
- §. IV. Deciditur, an idem numero corruptum possit redire per divinam potentiam? pag. 498.
- Quæres, quid sit obiectam formale reproductionis? p. 502.
- Quæres, an specie differat à generatione? pag. 502.
- Quæres, an sit supernaturalis quoad substantiam? pag. 503.
- QVÆSTIO. V.**
- De Creatione, & Conversione substantiali.**
- §. I.

- bus intensis? pag. 525.
- QVÆSTIO. VII.**
- Quomodo fiat intensio qualitatum?
- §. I. Impugnatur sententia quorundam, quæ non tam explicat, quam evenit intentionem. pag. 517.
- §. II. Expenditur sententia explicans intensiorem per additionem gradus ad gradum. p. 530.
- §. III. Expenditur sententia asserens, intensiorem fieri per maiorem radicationem in subiecto. pag. 539.
- §. IV. Sententia B. Agidij proponitur, & probatur. p. 547.
- §. V. Solvuntur argumenta contra sententiâ Agidianam. 552.
- Quæres, quomodo fiat intensio formatum intentionaliū? 568.
- QVÆSTIO. VIII.**
- De augmentatione, & nutritione.**
- §. I. Explicatur, quid sint, & variæ difficultates deciduntur. pag. 569.
- Quæres, quid sit augmentatio, & nutritio? pag. 569.
- Quæres, an dentur nutritio, & augmentatio in omnibus viventibus? pag. 569.
- Quæres, an nutritio differat realiter ab augmentatione. 569.
- Quæres, an per nutritionem substantia alimenti convertatur in substantiam aliti? p. 569.
- Quæres, quomodo nutritio fiat? pag. 570.
- Quæres,
- §. I. Explicatur, quid sit creatio, & quædam dubia dissolvuntur. 502.
- Quæres, an creatio sit actio transiens? pag. 502.
- Quæres, quid sit terminus formalis creationis. pag. 503.
- Quæres, an creatio sit vera actio de prædicamento actionis? 503.
- §. II. An virtus creativa sit communicabilis creaturæ? p. 503.
- §. III. Quid sit conversio, & an quodlibet possit in quodlibet converti? pag. 509.
- Quæres, an unum possit in alterum converti? pag. 509.
- Quæres, an Deus possit uti creatura, ut instrumento ad conversionem totalem? pag. 510.
- Quæres, an virtute divina quælibet creatura in quamlibet converti possit? pag. 510.
- QVÆSTIO. VI.**
- Quid sit alteratio, & quotuplex, ac qualiter fiat?
- §. I. Traditur definitio alterationis, & quædam dubia dissolvuntur. pag. 514.
- Quæres, quid sit intensio, & remissio? pag. 516.
- Quæres, an intensio, & remissio conveniat soli qualitati? pag. 517.
- §. II. An alteratio sit motus continuus? pag. 518.
- §. III. Quomodo qualitates contrariæ sint compatibles in eodem subiecto? pag. 522.
- Quæres, an divinitus possint contraria coexistere in gradibus intensis?

- Quæres, an elementa possint esse alimentum viventium? pag. 570.
- Quæres, an purum accidens possit esse alimentum viventium? pag. 570.
- Quæres, an nutritio sit motus continuus? pag. 570.
- Quæres, an nutritio duret toto tempore vitæ? pag. 570.
- Quæres, an nutritio conveniat solis viventibus? pag. 570.
- §. II. An vivens maneat idem toto tempore augmenti? pag. 570.
- Quæres, an in augmento addatur nova pars formæ, vel præexistens extendatur ad infermandam novam partem materiæ? pag. 571.

QVÆSTIO. IX.

In quo consistant Rarefactio, & Condensatio?

- §. I. Traditur utriusque definitio, & sententiæ aliquæ expenduntur. pag. 573.
- §. II. Traditur communis sententia, & probatur auctoritate, & ratione. pag. 578.

QVÆSTIO. X.

Utrum idem possit agere in se ipsum?

- §. Vniuers. Quibusdam suppositis, proponitur ratio dubitandi, & defenditur negativa sententia. pag. 580.
- Quæres, an idem agat in se ipsum per Antiparitaliam? p. 583.

QVÆSTIO. XI.

Utrum simile possit agere in sibi simile?

- §. I. Quibusdam notatis, referuntur sententiæ, & probantur. pag. 584.
- §. II. Nostra sententia proponitur, & probatur. pag. 587.

QVÆSTIO. XII.

De resistentia qualitatum, & reactione agentium.

- §. I. Explicantur, quæ concernunt resistentiâ qualitatum. pag. 591.
- Quæres, an resistentia actiua, & formâlis, quæ etiâ passiva dicitur, sint æquales in quacumque qualitate actiua? pag. 592.
- Quæres secundò, an activitas agentis debeat esse maior, quàm passiva resistentia? pag. 593.
- §. II. Explicatur, quomodo agens in agendo reparatur. pag. 594.

QVÆSTIO. XIII.

An sit, & quid sit mixtio, & quomodo differat à generatione?

- §. I. Explicantur, quæ in titulò continentur. pag. 597.
- Quæres, an ad veram mixtionem necessariò debeant concurrere omnia quatuor elementa? pag. 599.
- Quæres, an omnes qualitates elementorum actiue concurrant ad productionem mixti? p. 599.
- §. II. Explicatur mixtio inter li-

cores, & an possibilis sit, & quomodo? pag. 600.

Quæres, an gutta aquæ vino permixta, à vino absorbeatur, & in substantiam vini mutetur? pag. 602.

QVÆSTIO. XIV.

An elementa manean formaliter in mixto?

- §. I. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. pag. 604.
- §. II. Defenditur communis sententia. pag. 606.

LIBER SECVNDVS.

QVÆSTIO VNICA.

De rebus genitis, & termino generationis.

- §. I. De elementis. pag. 609.
- Quæres, an elementa sint generabilia, & corruptibilia? p. 611.
- Quæres, an difficilior sit transitus ab elemento symbolo, quàm disymbolo? pag. 611.
- §. II. De mixtis perfectis. pag. 611.
- Quæritur, an detur temperamentum æquale ad pondus? p. 612.
- §. III. De mixtis imperfectis seu Meteoris. pag. 613.
- §. IV. De mixtis medijs, seu Mineralibus. pag. 613.
- Quæres, an per artem Chemicam possit fieri verum aurum? pag. 613.



Handwritten text in a cursive script, likely a historical document or manuscript. The text is written on a page with a prominent vertical line on the left side. The script is dense and characteristic of early modern handwriting. The text is oriented vertically on the page, reading from top to bottom. The characters are highly stylized and interconnected, with many loops and flourishes. The ink is dark, and the paper appears aged or slightly yellowed. The overall appearance is that of a well-preserved but somewhat difficult-to-read historical document.